DISQUISITIONUM
PHILOSOPHIAE
KANTIANAE
LIBRI DUO,

QUORUM PRIMUS CRITICEN RATIONIS PURAE, ALTER SIC DICTAM FUNDATIONEM METAPHYSICES MORUM EXAMINAT.

Elucubratus est
JACOBUS ANTONIUS ZALLINGER
AD TURRIM,
SS. Theologiæ, & J. U. Doctor, Juris Ecclesiastici Professor ordinarius publicus, p. t. Studiorum, & Collegii S. Salvatoris Rector, & Examinator synodalis.

LIBER I.

Disquiritur Critice rationis puræ.

AUGUSTAE VINDELICORUM.
IN OFFICINA LIBRARIA
IGNAT. VEITH - & MICH. RIEGERIANA.
MDCCXCIX.
1799

Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt.
S. Hieron. Epiſt. ad Cteſiphontem.

APPROBATIO.

Cum præſens Opus: Disquiſitiones Philoſophiæ Kantianæ, nihil contra catholicam fidem, bonosve mores contineat, & ad elucidanda chriſtianæ Religionis Principia utiliſſimum ſit; hinc illud Prælo digniſſimum eſſe cenſeo.

Auguſtæ Vindelicorum die 25 Julij Anno 1798.

Imprimatur.

ANT. COELEST. NIGG, SS. Theol. Doct. Eccleſ. Cathedral. & S. Mauritii Canon. Vicarius in ſpiritual. generalis. mppr.

JOS. ANT. STEINER, SS. Theol. Doct. Eminentiſſ. ac Sereniſſimi Elect. Archiep. Trevir. Epiſcopi Auguſt. &c. Conſil. Eccleſ. Major Pœnitentiarius, Conſiſtorii Aſſeſſor, Viſitator generalis, ad inſig. Colleg. S. Mauritii Canonicus, & Librorum Cenſor.

PRAEFATIO.

Si edita a Kantio, certisque ab hominibus tantopere celebrata *Critice rationis puræ* nihil admodum periculi & detrimenti afferre divinæ religioni fuiſſet viſa; nunquam profecto ad evolvendum tenebricoſum, vaſtumque opus, tantoque, quantum depoſcit, ſtudio expendendum, animum, manumque adjeciſſem, aut a ſuſcepto conſilio deceſſiſſem certo certius. Tanta enim ſcriptionis farragine mentem ſuam implicat, contegitque auctor, tam incondita verborum novitate, notionumque inconſtantia, & repetitionum moleſtia attentionem legentium vexat, *tanto* apparatu res minutas, quas ſciri ab tironibus Logices & Metaphyſices nulla gloria eſt, pertractat locis pluribus, tam enormi denique opinionum abſurditate, deductionumque,

 uti

ti appellat, inani ac verbosa circuitione fatigat lectorem, & velut in labyrintho circumducit, ut laboris patientissimus quisque, maximeque cupidus doctrinæ, succumbere moli debeat, aut certe de jactura temporis identidem ingemiscere cogatur. Poterat per me Kantius, (ac ni fallor, per virum quemvis prudentem, qui utiliter collocare horas assolet) si constitisset intra res naturales, nec eas ad subvertendas divinas præparasset, impune verba facere, aberrare, desipere.

At enim, cum eam Kantii tractationem, quam *de religione intra limites rationis puræ constricta* emisit in lucem, primo accepissem in manus, impiosque hominis conatus perspicerem, quibus summa christianæ religionis capita, divinaque mysteria de *personarum trinitate, de originario peccato, de divino Redemtore, de fidei, gratiæque necessitate, de Sacramentorum vi, de hominis justificatione, ac de Ecclesia divinitus instituta*, ad deliria humanæ rationis detorquere aggressus est, tum vero nulli cedendum esse molestiæ, nullis parcendum laboribus censui, non quo hæc ipsa gravissima dogmata mox vindicanda sumerem, sed, quod primum omnium fieri necesse est, ut ea, quæ erroribus suis præstruxit, inanis ac fallacis philosophiæ munimenta de-

deſtruerem: ut explicarem difficiles nodos, quibus perſpicuarum rerum argumenta involvit: ut patefacerem falſas hypotheſes, ex quibus ad ſuas concluſiunculas erroris & impietatis plenas progreſſus eſt: ut denique ſophismatum fallacias, quas in philoſophiæ magiſtros ac principes conferre eſt auſus, in ipſummet retorquerem.

Neque tamen nullum in hac ipſa ſcriptione negotium cum religione mihi fuit. Nam Kantius quidem, cum Criticen ſuam tanquam novum veritatis inquirendæ organum ſumma confidentia obtruderet hominibus doctis, ſoli metaphyſices diſciplinæ litem ſe bellumque movere profeſſus eſt; at progreſſus operis, atque exitus docuit, non tam metaphyſices doctrinas, quam religionis naturalis dogmata de Summi Dei exiſtentia, ejusque infinitis perfectionibus, deque natura humanæ mentis, ejusdemque futuro ſtatu ſpectata a Kantio, atque omnibus ingenii argutiis, novorumque & obſcurorum verborum præſtygiis impugnata fuiſſe; quemadmodum ex concluſione harum disquiſitionum, quam in calce operis adjeci, manifeſte colliget lector, ſi prævertere ejus lectionem voluerit.

Sed nunc quidem hominum callidiſſimorum, pravorumque magno numero, qui divinæ religioni adverſantur noſtra ætate, periculoſa & fallax ſcribendique, pugnandique adverſus eandem ratio expendenda eſt. Primo id agunt, ut eam partibus variis impetant, laceſſantque: ſcripta impia ſcriptis accumulent forma multiplici & arte varia: ut arma depromant ex ſacris perinde ac profanis diſciplinis: incredibilia, omni captu ſuperiora, atque adeo pugnantia in profeſſione religionis ineſſe vociferentur: ut ex omni hiſtoria humani generis corradant, quidquid uſpiam cuidam dogmati de ſummis Dei perfectionibus, & natura animorum actionumque ſanctitate & juſtitia obeſſe opinantur. Talia cum ingerunt, regeruntque iterum atque iterum, & modis omnibus, ſolicite cavent, ne viris bonis atque eruditis, qui religionis patrocinium ſuſcipiunt, directe reſpondeant, & litem quodammodo conteſtentur; ſed priores aſſultus renovant, quæque centies confutata atque exploſa ſunt, de integro replicant, quaſi nihil reſponſum a quoquam fuiſſet, aut reſponderi omnino potuerit.

His

His quidem diu multumque actitatis gradum promovent, & persuadere imperitis hominibus conantur, æquo marte utrinque dimicari: ambas controversiæ partes paribus momentis niti: dirimi non posse, quo loco stet veritas, proindeque nec inquirendum esse anxie, quænam ex partibus iis, quæ christiano nomine æque gloriantur, præ altera veritati adhæreat: satis esse, ut quæ præcipua videntur, & *fundamentalia religionis* appellari solent, arripiat vir honestus, teneatque: de cetero sentiat & vivat judicio, arbitrioque suo. Hac quidem pugnandi via divinam Christi religionem magna clade affecisse se norunt, penitusque pessumdaturos præfidunt cæci homines. Sed *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus.* 2. Tim. II. 19.

At Kantius satis non habuit, divinam Evangelii auctoritatem subjicere examini, judicioque suo, & rejicere cælestem lucem, quæ extrinsecus illapsa est humano generi, nisi etiam rationis lumen, quo natura ipsa gravissimas de Deo conditore & humana mente veritates manifestat hominibus, obscurare omnibus viribus, & extinguere conaretur. Cum enim in Critice

ſua ad illa dijudicanda rationis dictata, perſpicuaque dogmata progreditur, adeo nihil certi de Deo, divinisque perfectionibus, humanæque mentis natura omni rationis vi & contemplatione confici poſſe docet, ut antinomias inenodabiles, illuſiones perpetuas, fallacias naturales ipſius rationis obtendat, objectetque philoſophis omnibus; quos negat aliter ſapere poſſe, quando iis de quæſtionibus tractant, niſi rationis ſuæ omne lumen extinxiſſent, eamque ipſam penitus enecaſſent; quem hominis ſtatum humanæ rationis εὐθανασίαν nuncupare veritus non eſt.

Vidit autem Kantius perfacile, hoc ipſum aliter ſuſcipi a ſe, & obtineri non poſſe, niſi vocum peregrinarum laqueis, & obſcuriſſimarum circuitionum, deductionumque, uti eas vocitat, tenebris involveret omnia, ac more illorum, qui magicis incantationibus dant operam, arcana ſapientiæ myſteria, & quemadmodum Kantianus aſſecla jactat, *profundiſſimas profunditates Metaphyſices* mentiretur; quas ego profunditates certiſſimis argumentis eas eſſe interpretor, quas jam olim *altitudines Satanæ* nuncupatas fuiſſe, divinis Scripturis edocemur. Apoc. II. 24.

Ex

Ex affectata hac doctrinæ profunditate id etiam commodi nacturos se Kantiani vident, ut, siquis vir bonus doctusque crassos errores kantianæ Critices, & abnormes absurditates proferre in lucem, & convellere studuerit, in promtu responsionem habeant, ab illo scilicet *Kantium nequaquam intellectum, neque kantianam doctrinam satis perspectam, expositamque fuisse.* At hoc quidem defensionis genus, si aliud addant nihil, uti addere nihil omnino solent, æque inane esse ac injustum, quivis intelliget vir acutus. Quid enim? Metaphysices disciplinæ actionem litemque intentare se, aperte professus est Kantius. Contra actionem hanc excipiunt viri eruditi, repelluntque Kantii objecta. Ordo nunc posceret, ut replicaret Kantius, aut litis consortium quispiam, quodque primo intenderat Kantius, contra exceptiones tueretur; atque hoc cum penitus subterfugere nolint Kantiani, replicant ii quidem, sed ita, ut omnem vim in eo ponant, ab adversariis actionem a Kantio intentatam non satis perspectam, comprehensamque fuisse: *Qui contradicunt Kantio, nequaquam eum intelligunt. Manet ergo totum, quod a Kantio propositum, & contra Metaphysicam actum fuit.* Quis, obsecro, vir bonus & æquus hac sola repli-

replicandi ratione jam conclusum in causa volet, & pro philosophia kantiana pronuntiabit sententiam? Enimvero necesse est, ut, si respondere adversariis suis velint Kantiani, perspicue ostendant, quo loco non expressa fuerit mens Kantii: quid iste docuerit: quid aliter acceperint adversarii, & isti quid reprehendere ac refellere debeant, si refellere Kantium cogitent.

Equidem in exquirenda, exponendaque mente Kantii plurimum operæ temporisque collocavi, & doctrinæ kantianæ præcipua capita ipsis Kantii verbis expressi; quæ si non respondeant omnibus locis kantianæ Critices, non ea continuo assignanda causa est, quod a mente Kantii aberrarim ego; sed quod ipse Kantius Kantio sæpenumero adversetur, tollatque posteriore loco, quod priore posuerat. Istiusmodi inconstantiæ & contradictionis exempla non pauca indicavi in hisce disquisitionibus. Fieri autem sine iterata sæpius vasti operis lectione, diligenteque annotatione plurimarum enuntiationum non poterat, ut omnia colligerentur Kantii asserta contraria inter se, minimeque cohærentia.

Ad-

Addam nunc unum, antequam finiam præfationem. Etsi nulla Critices kantianæ, quemadmodum examinata a me, & dijudicata fuit, ratio haberetur, non tamen suscepti laboris magnopere me pænitere; nec credo, viros eruditos, qui istiusmodi res philosophicas perquirere scrutarique amant, si evolvendis hisce disquisitionibus impenderint operam, de jactura temporis eo negotio amissi conquesturos. Fit enim fere, ut, quæ recta, genuina, vera sunt, contrariis pugnantium studiis, adcuratisque perquisitionibus plurimum firmitatis, lucisque nanciscantur. Philosophiam quidem rationalem, uti a veteribus nuncupata est, Logicamque, & Ontologiam, atque adeo magnam Psychologiæ, & naturalis Theologiæ partem comprehendit, locis pluribus non parum illustratam hisce disquisitionibus, ac fortassis etiam locupletatam fuisse puto, eo præsertim ex capite, quod idearum humanæ mentis originem, & prima complexarum notionum stamina, simplices nempe ideas investigaverim diligenter, exposuerimque; qua quidem re tractationes quaslibet inde a primis principiis repetere, ipsasque ideas, & idearum complexiones ab inanium verborum involucris, velut nucleum a cortice discernere, ac separare discimus; indeque etiam

va-

vanam Critices kantianæ verbositatem velut cassas nuces deprehendimus.

Præcipuæ autem, maximique momenti disputationes contra Kantium sine dubio eæ sunt, in quas, initio ducto a capite tertio ac decimo ingressus sum, differens de natura simplici & immortali humanæ mentis, Deique infiniti existentia contra effrænem nempe Scepticismum, & Idealismum; in quo genere Kantius omnes ante se errorum magistros arroganti temeritate, obstinatoque quidlibet inficiandi, aut in dubitationem adducendi studio, ac velut furore superasse visus est. Ceterum errores typorum, qui ad hiemalem lucernulam penitus evitari non poterant, in fine adnotatos reperiet lector, quantum necesse videbatur, provideque ante inspiciet, quam ad legendum opus aggrediatur.

IN-

INDEX CAPITUM.

Pag.

I. Introductio kantiana in criticen rationis puræ. Cognitio a priori, & a posteriori. 1.

II. Divisio kantiana judiciorum in analytica & synthetica. 16.

III. Humana cognoscendi facultas exhibetur a Kantio non ex veritate & natura rei, sed ad arbitrium, libidinemque præconceptæ hypotheseos, falso, imperfecte, novatis vocibus & definitionibus sine necessitate, sine ullo commodo disciplinæ rationalis. 44.

IV. Formæ kantianæ. - - 60.

V. Kantiana sensuum externorum forma, intuitus spatii. - - - 69.

VI. Kantiana forma sensus interni, seu intuitus temporis. - - - 89.

VII. Idealismus transcendentalis. - 101.

VIII. Analytica Kantii, eamque præcedens synthesis repræsentationum. - 117.

IX. Categoriæ Kantii, seu formæ intellectus, aut formæ cogitandi. - - 130.

X. Inquiritur origo earum notionum, quas pro categoriis assumit Kantius. - 146.

XI.

XI. Evertitur fundamentum tabulæ kantianæ, & rejecta quadripartita judiciorum divisione differitur de investiganda origine idearum. 168.

XII. Kantianum systema principiorum syntheticorum intellectus puri. - 190.

XIII. Dialectica kantiana, id est, Sophistica philosophiæ transcendentalis in disputatione de anima hominis. - 244.

XIV. Antinomiæ a Kantio confictæ in ideis cosmologicis, sive de mundo. - 273.

XV. Falsa & plane commentitia origo ideæ de summo Ente excogitata a Kantio. 330.

XVI. Enumeratio demonstrationum, argumentorumque de Existentia Dei proposita a Kantio est manca & mutila & inepta. - - - - 345.

XVII. Oppositiones frivolæ Kantii contra demonstrationes, quas de Deo commemorat prætermissis aliis. - - 357.

XVIII. Argumentum kantianum ex ratione practica petitum pro existentia Dei. 398.

Conclusio disquisitionum Libri I. 414.

CA-

Caput I.

INTRODUCTIO KANTIANA IN CRITICEN RATIONIS PURÆ. COGNITIO A PRIORI, ET A POSTERIORI.

§. I. Insunt in humana mente cognitio rerum, perceptio voluptatis vel molestiæ, appetitio. De facultatibus mentis, quæ hisce affectionibus respondent, tria sunt, docente Kantio, quæ disquiri in disciplinis scientiarum, ac definiri debent. Primum est, quæ sit cujusvis facultatis velut propria ditio, quam late, arcteve vi sua pertingat: alterum, qua via nanciscatur objecta, in quibus versetur; tertium denique, quibus legibus obire queat functiones suas. Hæc tria cum de facultate cognoscendi exquirere, ac definire tentat Kantius, tractationem totam inscripsit *Criticem rationis puræ*. Qui dein amplexi sunt kantianam rationem (quid enim novi, quale id cunque sit, excogitari potest, quod non admirentur quidam homines, adamentque) ii in votis habent, ut ea *Criticæ Philosophiæ* nomen vulgo obtineat; quasi Philosophi omnium ætatum locorumque nihil magnopere satis acuta cum crisi, certisque ex legibus facultatum mentis ante Kantium protulissent. Facul-

cultas cognoſcendi generatim ſenſu continetur, & intellectu, qui quidem arctiore ſignificatu ad ſolas notiones generales refertur, latius acceptus vim etiam judicandi, rationeque concludendi continet. De omnibus his partite agit Kantius, ita ut tractatibus ſingulis ſingula nomina impoſuerit, quæ nunc quidem commemorare neceſſe non eſt, ne peregrina atque obſcura novitate vocum ipſo in limine terreantur lectores; ob quam cauſam non modicas mihi grates debebunt Kantiani, quod perſpicua planaque oratione expoſuerim ea, quæ in tenebricoſo opere plurimum involuta, & a communi non ſermone ſolum, ſed etiam intelligentia valde remota, & congeſta & diſperſa aliis atque aliis erant locis. Vaſto operi ingentisque moliminis Iſagoge præmiſſa eſt, in qua totius ædificii, neſcio, an demolitionis, quam contra Metaphyſicas diſciplinas propoſitam habuit Kantius, hæc velut fundamenta jaciuntur: *Sunt in nobis cognitiones a priori. Sunt judicia tum analytica, tum ſynthetica.* De cognitionibus illis nunc agendum eſt: de judiciorum diviſione capite proximo.

§. 2. De cognitionibus ſic ſtatuitur in Critica Kantiana.

a) Humana cognitio aut provenit ab experientia, id eſt, perceptione atque animadverſione ſenſuum: quæ dicitur *Empirica*, ſeu *a poſteriori:* aut citra adminiculum ſenſuum *a priori* eſſe debet, ex ipſa cognoſcendi facultate, naturaque profecta; quæ ſi nihil plane de experientia ſenſuum habeat admixtum, *pura* nuncupatur.

b) Iſtiusmodi cognitiones a priori ſunt in hominibus omnibus; majorique numero extant in di-

ſcipli-

sciplinis præsertim mathematicis, metaphysicis & physica rationali, nempe ea, quæ ratione pura nititur, non experientiis rerum.

c) Argumenta, & indicia cognitionis a priori sunt tum universalitas, tum necessitas, quæ inest in ideis, & judiciis; talia enim ab experientia oriri non possunt; quippe quæ id solum docet, *quid sit*, contingatque in natura rerum: at necessitatem, qua sic esse quidpiam, aut contingere *debeat*, exhibere non potest; neque enim necessitas sub sensus cadit. Dein quis experiri *omnes possibiles* casus poterit? quæ igitur *universalis* est cognitio, & quæ *necessaria*, ab experientia, sive a posteriori non oritur: ergo a priori.

§. 3. Exempla afferuntur hæc. Tres sunt in hominibus cogitationes momenti maximi, de Deo, libertate humana, immortalitate animorum. Has cum experientia parere nullo modo possit: quippe quæ sensibus minime subjacent, a priori derivari necesse est. Theoremata Mathematicorum absolutam habent necessitatem, suntque generalia: non igitur a posteriori; reliquum est, ut a priori proficiscantur. Si ex empirica repræsentatione corporis rejicitur totum id, quod sensus afficit, color, mollities, durities, gravitas, impenetrabilitas, ipsum adeo corpus si tollitur: manet tamen intuitus spatii, quod occupaverat. Spatii ergo intuitus a priori est. Similiter manet substantiæ notio, sublata affectione qualibet sensibus obnoxia. In propositione hac: *omnis mutatio habet causam*, continetur tum universalitas huius enuntiati, tum vera necessitas connexionis inter causas, & effecta. Hæc proin cognitio, dudum animadvertente Humio, ab experientia deduci haud potest. Ex qui-

quæ nihil habet cum motu corporum commune, inter mutationes organorum, mentisque perceptiones harmoniam a conditore præſtabilitam commenti ſunt, ita, ut mens vi ſua inſtar automatis ſpiritualis omnes efficiat perceptiones, motibus corporum, & organorum reſpondentes quidem, ſed ab his reipſa haud pendentes. Kantius philoſophiæ Leibnitianæ, uti videtur, innutritus, indeque hac in re ad fingendum audacior factus, prioritates ſuas, ſeu formas a priori nec innatas dicit, nec præſtabilitas, ſed ex ipſa cognoſcendi natura & facultate, ex ſenſu nempe, ex intellectu, ex ratione vult prorumpere, occaſione fortaſſis experientiæ, non tamen ab experientia nec immediate, nec mediate provenientes,*) cum ipſe potius formæ jam præjacentes in ſenſu & intellectu poſſibilem faciant experientiam, poſſibilia judicia, ſeu cognitiones intellectus.

*) Einleitung in die Critik S. 1. wenn gleich alle unſere Erkenntniſs mit der Erfahrung anhebt, ſo entſpringt ſie darum doch nicht eben alle aus der Erfahrung. Denn es könnte wohl ſein, daſs ſelbſt unſere Erfahrungserkenntniſs ein Zuſammengeſetztes aus dem ſei, was wir durch Eindrucke empfangen, und aus dem, was unſer eigenes Erkenntniſsvermögen (durch ſinnliche Eindrücke bloſs veranlaſst) aus ſich ſelbſt hergiebt. — — Man pflegt wohl von mancher aus Erfahrungsquellen abgeleiteten Erkenntniſs zu ſagen, das wir ihrer a priori fähig, oder theilhaftig ſind; weil wir ſie nicht unmittelbar aus der Erfahrung, ſondern aus einer allgemeinen Regel, die wir gleichwohl ſelbſt doch aus der Erfahrung entlehnt haben, ableiten. — — Wir werden in verfolg unter Erkenntniſſen a priori nicht ſolche verſtehen, die von dieſer oder jener, ſondern die ſchlechterdings von aller Erfahrung unabhängig ſtatt finden.

§. 6. Non debuerat Kantius, cum ſuas illas formas a priori inducere cogitaret in philoſophiam, prætermittere argumenta Lockii, maximæque partis Philoſophorum veterum, recentiumque. Neque enim ulla nos ratio aut neceſſitas cogit admitere formas illas a priori effuſas; cum perſpicue certoque demonſtrari poſſit, ideas omnes ſenſu, reflexioneque mentis adhibita ad id, quod ipſa in ſemet intime ſentit, atque experitur, *primo* oriri, indeque vi naturali intellectus per diſtinctionem earundem, abſtractionem, compoſitionem, comparationemque ad ulteriores rerum cognitiones aptari; quam quidem vim intellectus ipſe Kantius in empiricis, quas vocat, ſpecierum & generum ideis agnoſcit; quemadmodum neceſſe non eſt, ut imagines rerum in anima depingat Deus, aut præſtabiliat, poſteaquam tam admirabili artificio ſenſuum organa accommodavit humano corpori, ſuisque locis aptiſſime collocavit. Legerat profecto Kantius, ſæpiusque in decurſu Critices ſuæ nominavit Lockium, neque ignorare poterat, quanto meditandi ſtudio, quanta ingenii perſpicacia, quam longa, accurataque facultatis cognoſcendi obſervatione fuerit opus, ut innumerabilium idearum varietates ad ſuas claſſes, & experientiæ fontes reducerentur. In eo tamen, quem fundationem Metaphyſices morum inſcripſit, libro ſcribere non dubitavit, commoditatis ſtudio & quaſi tædio laboris fieri, ut ideæ omnes ab experientia deriventur. *) At quis non videt, nihil commodius eſſe, magisque expeditum, quam, omiſſa originis indagatione, temere atque ex arbitrio dicere, ideas per ſe, ex natura facultatis cognoſcendi proſilire, ipſosque ſenſus, & intellectum, & rationem easdem parere, quin indicetur, unde illas conceperint, aut quomodo vel quando,

aut quamdiu parturierint. Id quidem non plus laboris habet, ac nominare qualitates occultas, formas ſubſtantiales, entitates ſuperadditas, modalitates. Nec mihi dubium eſt, homines doctos, qui in hiſtoria rerum phyſicarum verſati ſunt, rationemque philoſophiæ experimentalis, qualem excolere Neutonus docuit, complexi ſunt animo, formas illas Kantianas, mox ut perceperint, tanquam commentitias plane, & ab omni naturæ analogia abhorrentes cum faſtidio rejecturos.

*) Grundlegung zur Metaphyſik der Sitten. Seite 27. Die Begriffe der Pflicht (ſo wie man ſich aus Gemächlichkeit gerne überredet, daſs es auch mit allen übrigen Begriffen bewandt ſey,) ſind lediglich aus der Erfahrung gezogen.

§. 7. Si etiam venia detur Kantio de confictis illis formis & cognitionibus a priori, illud plane intolerabile eſt, quod cum easdem ab ipſa naturali facultate & naturæ neceſſitate aſſerat productas, tamen omnis veritatis, valorisque vacuas eſſe, expertesque doceat. *Formæ* enim *ſenſuum*, quæ extenſionem ſpatiaque rerum & mutationum viciſſitudines, ac tempora repræſentant, id ſcilicet docente Kantio repræſentant, quod extra hanc ipſam repræſentationem nullibi & nunquam eſt. *Formæ intellectus* etſi neceſſariæ ſint, & vi naturali protruſæ, non valent reipſa, niſi de iis, quæ neceſſaria non ſunt, ſed quæ contingentia: etſi univerſales ſint, non univerſe valent, ſed tunc tantum, cum quid cerni oculis, hauriri auribus, naribusve, explorari guſtu, palpari manibus poteſt. *Rationis* vero *ideæ*, quæ mundi originem, productionemque, quæ exiſtentiam perfectionesque infiniti Entis, quæ mentis humanæ ſubſtantiam, ſimplicitatem, indeque

que pendentem ſpiritualem naturam & immortalitatem exhibent, comprobantque, eæ non ſunt, niſi perpetua, naturalis, neceſſaria illuſio, nec plus momenti habent ad veritates graviſſimas, quæ ſunt fundamenta honeſtatis morum, omnisque religionis, affirmandas, quam easdem inficiandas. *) Quis unquam philoſophorum de præſtantiſſimo naturæ dono, de ratione ſcilicet noſtra, qua longe antecellimus beſtiis, tam temere quidquam & injurioſe ſuſpicatus eſt? Fuere, qui ſenſus accuſarent, iisque abrogarent fidem. At iidem rationis vi & magiſterio, ſenſuum errorem deprehendere ſe, & corrigere poſſe autumarunt, rationisque judicia ipſius *naturæ vocem*, *naturæ legem*, & *naturæ judicia* appellarunt. Quid porro in dubium non vocabit Scepticus, ſi de naturæ judiciis addubitare jure poterit, aut quid reliquum erit, niſi ut mundum pro fatuorum, aut delirantium animalium domicilio habeamus?

*) Critik der reinen Vernunft Seite 354. Wir haben es mit einer natürlichen und unvermeidlichen Illuſion zu thun, die ſelbſt auf ſubjectiven Gründen beruht. — — Es giebt eine natürliche und unvermeidliche Dialectik der reinen Vernunft, — die der menſchlichen Vernunft unhintertreiblich anhängt, und ſelbſt nachdem wir ihr Blendwerk aufgedeckt haben, dennoch nicht aufhören wird, ihr vorzugaukeln, und ſie unabläſslich in augenblickliche Verirrungen zu ſtoſſen. Seite 433. Der Pneumatiſmus (die Lehre von der Selbſtſtändigder menſchlichen Seele) kann den Erbfehler nicht verläugnen, bey allem ihm günſtigen Schein in der Feuerprobe der Critik ſich in lauter Dunſt aufzulöſen.

§. 8. Argumentum & indicium cognitionis a priori, aſſerente Kantio, hoc eſt, quod ea ſit *univerſa-*

versalis, & *necessaria*, sive in materia necessaria. Experientia enim nec universalem præbet, neque necessariam cognitionem. Aliis quidem locis Kantius cognitionis vocem ad sola judicia refert, eaque formata secundum certam perceptionum legem. Hic autem ad ideas etiam, sive simplices rerum repræsentationes & intuitus adhibet, quibus nihil de re cognita affirmatur aut negatur. At enim universalitas & necessitas manifeste solorum judiciorum, propositionumque affectiones sunt. Simplices enim repræsentationes, nisi in singularibus hæreant, exprimuntur terminis communibus, adeoque universales sunt; & quia non possunt non repræsentare id, quod repræsentant, erunt etiam necessariæ, etsi empiricæ sint, sive a sensibus, non a priori ortæ. De judiciis quæro, utrum a priori proveniant omnia, quæ necessaria sunt, & universalia? Sæpe de legibus naturæ, ipsarumque facultatum mentis, de necessitate item naturæ & caussalitatis naturalium rerum differit Kantius, atque ita differit, ut eidem necessitati liberas etiam hominum actiones, quatenus phænomena sunt, subjiciat. Hæc naturæ, legumque necessitas unde innotescit demum, nisi ab experientia? Non igitur cognitiones istiusmodi a priori proveniunt. Pag. 2. Critices ait: siquis domus fundamenta videat subrui, a priori novit, ædificium collapsurum; sed negat, hoc sensu prioritates se suas intelligere; reipsa enim experientia nos docuit, remoto fulcro labi gravia, quæ illo sustinebantur. Pag. 350. vis inquit, & facultas nulla naturæ a legibus suis per se ipsam potest discedere. Hæ igitur leges necessariæ sunt, proindeque etiam universales. At unde eas novimus, nisi ab experientia? Non igitur continuo a priori censenda est profecta cognitio, quæ neces-

necessaria est, & universalis. Pag. 404. Critices quærit, quo fundamento conditiones, legesque cogitandi, quas quisque sola sua ipsius experientia novit, ad omnes alias applicet naturas cogitantes; respondetque: rebus omnibus a priori ac necessario eas a nobis attribui proprietates cunctas, sine quibus res illæ omnino concipi a nobis non possunt, atque ita generalia & apodictica a nobis judicia formari. *) Non dicam nunc, hanc generalem regulam judicandi de natura rerum ex iis, quæ concipi a nobis possunt, solentque, innumeris erroribus obnoxiam esse. Illud quæro, quam apodicticam certitudinem Kantius hic intelligat, absolutamne, & mathematicam? Istuc quidem tam falsum est, ut nihil magis. Debebat sane Kantius distinguere duplicem necessitatem, & universalitatem cognitionum. Alia est enim absoluta necessitas, quæ in notionibus fundatur, & principio contradictionis: alia est naturæ, legumque ejus & eventorum naturalium necessitas atque universalitas. Neutra a priori (sensu Kantiano) oritur: hæc ex inductione & uniformi ac constanti experientia; illa ex notionibus rerum, quas ante experti sumus, abstractis, atque ab intellectu efformatis.

*) Es muss befremdlich scheinen, — dass wir auf einen empirisch scheinenden Satz ein apodictisches und allgemeines Urtheil zu grüden uns anmassen können, nämlich: dass alles, was denkt, so beschaffen sei, als der Ausspruch des selbstbewusstseins es an mir aussagt. Die Ursache aber davon liegt darinn: dass wir den Dingen a priori alle die Eigenschaften nothwendig beilegen müssen, die Bedingungen ausmachen, unter welchen wir sie allein denken.

§. 9.

§. 9. De exemplis cognitionum a priori (§. 3.) illud animadverto, habere id Kantium in more positum, ut in prioribus sui operis locis, cum quidpiam ad propositum afferre deberet, ea tanquam certa jam & explorata præsumat, quæ posteriore loco quodam est tractaturus. In hunc modum cognitiones nostras de Deo, libertate humana, immortalitate animorum, de spatio, substantia, causa efficiente adeo provenire a priori, in ipso Critices limine indicat, nullam ut partem vel in notionibus earum rerum, vel demonstrationibus experientia habeat; quæ omnia in ipso postea operis decursu exponere & confirmare nititur; quapropter ne simili peccem confusione, ea loco aptiori reservo. Unam causæ notionem, quam perpetuo recoquit tanquam firmissimum hypoteseos argumentum, præterire silentio non debeo. Primus, qui notionem *Causæ* acquiri per experientiam posse negavit, Humius extitit; eoquod experiamur nos quidem, uno posito sequi alterum, non experiamur item, hoc alterum *ex illo priore* sequi. Causalitas, inquit Humius & post Humium Kantius, sub sensus atque experientiam non cadit. Ob quod Humius ad naturalem hominum inclinationem & consuetudinem ita judicandi recurrit: Kantius notionem causæ a priori oriri, atque ab ipso intellectu gigni pro indubitato intulit. Res a principio arcessenda est.

§. 10. Effecta & mutationes omnes, quas experimur in creatis rebus, motu constant & cogitatione; qua quidem voce comprehendo illa quoque, quæ appetitus sunt propria. Vim actuosam humanæ mentis, quam cogitando exerit, attendendo, continuando vel abrumpendo sensuum aut phantasmatum

matum intuitus, appetitiones item incitando, cohibendo, moderando, ignorare nemo poteſt, niſi qui ipſum ſe, atque ea, quæ intime ſentit in ſeſe, ignorare ſe dicit, aut ſtudio ignorare vult. Quod anima corporis membra ad motum cieat, vel retrahat a motu, non addo nunc, ne ex præſenti lite lis alia de ſyſtemate aſſiſtentiæ aut harmoniæ præſtabilitæ exoriatur. At illud certe ab experientia diſcit mens noſtra, quid aut quæ ſit vis illa, qua corpora ſtatum motus vel quietis conſervare dicimus. Novit ſane conatum, quo opus eſt, ut quieſcentia concitentur ad motum, aut a motu reducantur ad quietem: præterea claras omnino in ſe habet ideas haſce: quodvis corpus eſt impenetrabile, eundemque cum alio locum eodem tempore occupare nequit: inertia, quam corpus quieſcens exerit, vi quadam majore vincitur, ut loco cedere debeat. Ecce! talem vim corpus A in motu conſtitutum exerit, quando in aliud quieſcens B incurrit; ergo iſtuc A vincet inertiam corporis B; eritque vere proprieque cauſa ejus motus, qui ex incurſu, impulſuque corporis A in corpore B ſequitur. Dixi: ſequitur *ex incurſu impulſuque*, non tantum *poſt incurſum impulſumque* corporis A. Utrumque enim corpus eſt impenetrabile; corpus B quieſcens eſt mobile, ejusque inertia vi majore adhibita vincitur: vis major reipſa adhibetur ab incurrente corpore A. Quid ergo deeſt, quo minus dicamus, corpus A eſſe vere proprieque cauſam ejus motus, qui in corpore B ex illius incurſu, impulſuque ſequitur? Profecto nodum in ſcirpo quærunt Humius, Kantiusque.

§. 11. Sed cauſalitas, inquiunt, non cadit in ſenſus, nec eam ulla talis experientia exhibet, quæ pro-

proprietates corporum, impenetrabilitatem, inertiam, mobilitatem, motumque ex motu nascentem nos docet. At ego quidem dubito vehementer, utrumne Humius Kantiusque tam claram habeant causalitatis notionem, ac de ea habent, quod corpus incurrens A vera sit propriaque causa ejus motus, quem in corpore quiescente B efficit. Obscuræ quidem rerum quarundem ideæ non deberent officere luminibus & perspicuitati aliarum, quæ nobis præsto sunt. Sed evoluamus ideam causalitatis, & pellamus vel potius arceamus tenebras, quas offundere Sceptici gestiunt.

§. 12. Causam denominamus in actu primo, vel in actu secundo, uti Veteres Scholastici recte docuerunt. *Causa in actu primo* remoto vel proximo dicitur, uti aut sola ejus vis ac virtus agendi spectatur: aut eadem proxime jam expedita ad agendum intelligitur, remotis impedimentis, positisque omnibus, quibus ad agendum indiget. *Causam in actu secundo* dicimus, quando eandem actu agere & exerere vim (cogitandi vel movendi) cogitamus. *Causalitas* tanquam forma denominans, id est, quod causæ nomen rei tribuit: & quemadmodum causa in actu primo, eoque remoto vel proximo, aut in actu secundo cogitatur; sic idem de causalitate statui debet; quia pro omni eo casu nomen causæ suppetit, quæ sine forma denominante esse non potest. Nec difficile est id concipere animo. Agitur autem hoc loco de causalitate in actu secundo, quæ est ipsa actio effectum producens, exercitium actuale causæ, determinatio causæ, verbo, id ex quo causa intelligitur agere, vim suam & virtutem ita exerere, ut effectus ab hac causa, non ab alia nunc pendeat. Est hæc in-

ingens & multiplex vocabulorum diverſitas, quibus idea ſubeſt una unica, ob ſolam relationem multiplex. Quid eſt enim, quod animo tenemus, quando cogitamus vel dicimus, cauſam actu agere, vim ſuam exerere, effectum producere? Cogito nempe motum in corpore B effectum, cujus idea omnino clara eſt, eumque nunc refero ad corpus incurrens A, nunc ad corpus impulſum B. Tota ergo cauſalitas tanquam notio relativa in ipſo cœpto motu ſita eſt; qui quidem relate ad corpus incurrens A nuncupatur actio: relate ad corpus impulſum B paſſio. Atqui is motus, ejusque initium omnino in ſenſus cadit; & quamvis mens intellectiva ob relationem variam varie eundem denominet; tamen neque actio neque effectus ab hac relatione reipſa pendet, ſed motus ex impulſu corporis incurrentis A tanquam veræ propriæque cauſæ in corpore B efficitur: neque omnino opus eſt, ut aliud quidpiam aut nos concipere animo debeamus, aut pro efficiendo motu reipſa interveniat. Cum igitur Humius Kantiusque notionem cauſalitatis negant ab experientia naſci poſſe? quam obſecro, ideam ſubjiciunt vocabulo *cauſalitatis*, niſi eam ipſam, quam diſtincte nominavi, quæque ſenſibus & experientiæ obnoxia eſt? Anne id volunt, ut Veterum Scholaſticorum, quos ipſi penitus aſpernantur, modalitates in philoſophiam revocemus, qui quidem effectus illos, quos transeuntes appellabant, qui nempe ab aliis atque aliis cauſis potuiſſent gigni, in entitate modali reponebant, tum a cauſa agente, tum a motu producto realiter diſtincta? Ita fit nempe, ſi examinandis ideis noſtris, iisque diſcernentis a varietate & farragine vocum, earumque inquirendæ origini non aſſueti, ſpeculationibus ſuis indulgeant

geant expertes veræ methodi philosophi, novisque vocabulis vocabula cumulent.

Caput II.

DIVISIO KANTIANA JUDICIORUM in ANALYTICA, ET SYNTHETICA.

§. 13. Posteaquam Kantius veritates summi momenti, quas de Deo & humana mente facili cogitandi labore assequitur nostra ratio, adducere in dubitationem, penitusque infirmare constituerat, id maxime egit, ut ipsi naturali rationi omnem veritatis inquirendæ perspiciendæque vim & facultatem adimeret, iis nempe in rebus, quæ omnem sensum excederent, soliusque intelligentiæ & rationis essent propriæ. Huic proposito nihil magis oberat, quam ars & scientia Mathematicorum, qui de rebus ab omni sensu longe remotis sola rationis vi, certissima demonstrant summeque perspicua dogmata. Hanc igitur iniit consilii rationem, ut negaret, theoremata & demonstrationes mathematicas referri ad res a sensibus alienas, sed potius ad solos intuitus spatii & temporis, qui sensuum proprii sunt, pertinere contenderet. Geometria, inquit, notiones suas & judicia alligat ad puros intuitus spatii: Arithmetica vero, quæ successiva numerorum additione conficit suos numeros, ad intuitus temporis, ita, ut progredi in cognitione rerum mathematicarum minime possimus, nisi notiones puro intuitu a priori nobis repræsentemus. *) Nec vero confirmandæ hujus assertionis, tam alienæ a judicio peritorum omnium, laborem suscepit Kantius, sed novum potius confinxit judiciorum & propositionum genus, certe novo illud significatu propo-

proposuit, ut alia diceret analytica judicia, alia synthetica, cujusmodi omnia essent mathematicorum theoremata.

*) Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik. Seite 49. Wir finden, dass alle mathematische Erkenntniss ihren Begriff vorher in der Anschauung, und zwar a priori, mithin einer solchen, die nicht empirisch, sondern reine Anschauung ist, darstellen müsse; ohne welches Mittel sie nicht einen einzigen Schritt thun kann.

§. 14. De utroque judiciorum genere sic definit.

a) *Analytica* judicia sunt, quorum prædicatum in ipsa notione subjecti, si ea paulum modo declaretur, comprehensum est. *Circulus est rotundus. Synthetica*, si cum subjecto conjungitur prædicatum, quod in illius notione contentum non est. *In triangulo rectilineo summa omnium angulorum æqualis est duobus rectis.*

b) Proprietates istorum judiciorum sunt hæ: Analytica judicia cognitiones nostras non augent, sed illustrant: veritatem ipsæ præ se ferunt, nec egent probatione ab experientia, aliove ex fonte; quia ex subjecti notione profluunt: fundantur in principio contradictionis; si enim prædicatum, quod inest in notione subjecti, ab hoc aufertur, idem ponitur simul, & tollitur: affirmatur & negatur: esse & non esse sumitur; adeoque ea sunt judicia *identitatis*, si affirmativa sint, aut *distinctionis*, si negativa.

c) At judicia synthetica, dum ad subjectum addunt prædicatum, quod in illius notione non inest, progrediuntur ultra notionem subjecti, sive extra hanc egrediuntur, proindeque augent cogni-

tionem nostram. Non repugnant ea quidem principio contradictionis; at ex hoc solo eorum veritas minime intelligitur; nec ista per se est perspicua, sed alio eget principio aut fundamento: neque etiam affirmant identitatem, sed inhæsionem, nempe id, quod dato subjecto præter notas, quas ipsa illius notio exhibet, præterea inhæret.

d) Veritas judiciorum syntheticorum, si sint empirica, ceu *corpus est grave*, patet ab experientia, eaque nititur. At si ea judicia necessaria sint & universalia, tum certe empirica esse non possunt. (§. 2.) Igitur a priori tantum derivari debent.

e) Extant in nobis judicia synthetica, eaque necessaria & universalia, quæ proin cum ab experientia pendere nequaquam possint, a priori existant, necesse est. Exempla sunt hujusmodi. Analytica quidem sunt hæc: *Corpus est extensum. Triangulum tres habet angulos.* Contra vero synthetica sunt hæc: *Corpus est grave. Duæ lineæ rectæ non claudunt spatium.* $5 + 7 = 12$. *Omne, quod fit, aut contingit, habet causam. Mundus principium habuit existendi.* Imo judicia omnia matheseos puræ sunt synthetica; ac talia etiam omnia Metaphysices judicia esse deberent.

f) Necesse est ergo, ut diligentissime inquiratur, quænam judicia a priori proveniant: quam veritatem objectivam sive realitatem habeant. Scientia, quæ cognitiones a priori ortas conquirit, quæ earum veritatem examinat, & quatenus pro veris assumi possint, definit, appellatur *Philosophia transscendentalis*, utpote exponens ea, quæ experientiam transscendunt. Ea scientia maximi momenti adhuc neglecta fuit a Metaphysicis, qui notionibus

bus suis & rationi præsidentes per judicia synthetica omnem transilicre experientiam, quæque de Deo, humana mente, & mundi origine terminisque commentati sunt, in numero certissimarum veritatum habuerunt; cum istiusmodi progressus, qui notionum ope de rebus fiunt ab experientia remotis, feliciter cecidisse in disciplinis mathematicis opinarentur, ipsique, si differerent de iis, quæ sensibus & experientiæ non subjacent, per sensus & experientiam convinci se haud posse, præviderent. Sed nunc generale omnibus metaphysicarum rerum cultoribus problema solvendum est: QUOMODO POSSIBILIA SUNT JUDICIA SYNTHETICA? Id nisi penitissime solverint, a jactandis deinceps demonstrationibus abstinere, ipsamque Metaphysicam ex numero scientiarum expungere debebunt.

g) Facta ejus problematis discussione concludendum est: judicia synthetica, quæ universalia & necessaria, proindeque a priori sunt, veritatem objectivam & realitatem nunquam habent, nec aliter, nisi quando ad objecta sensuum atque ad experientiam applicari, indeque fieri realia possunt.

§. 15. Hoc est igitur judiciorum genus dispar, quod Philosophorum acumen, solertiamque adhuc effugisse queritur Kantius; generalem vero propositi problematis solutionem plurium annorum labore sibi constitisse narrat. *) De ipsa ejus problematis formula, exprimendique modo haud parum placere sibi videtur. Ingens, inquit, commodum & sibi & lectoribus affert, qui quæstionum numerum magnum unius formula problematis novit comprehendere. Sic enim adcurate definitur quæstio, aut quod ajunt, status quæstionis præcise determinatur, ut, qui judicare de illa velit, ex-

peditum habeat negotium, citoque videat, ſatisne factum quæſtioni fuerit, an ſecus. Proprium rationis puræ problema hac continetur quæſtione: Quo modo poſſibilia ſunt judicia ſynthetica a priori? **)

*) Prolegomena zur Metaphyſik. Seite 44. Auch hat es Iahre lang Bemühung gekoſtet, um dieſe Aufgabe in ihrer ganzen Allgemeinheit aufzulöſen.

**) Critik S. 19. Man gewinnt dadurch ſchon ſehr viel, wann man eine Menge von Unterſuchungen unter die Formel einer einzigen Aufgabe bringen kann. Denn dadurch erleichtert man ſich nicht allein ſelbſt ſein eigenes Geſchäft, indem man es ſich genau beſtimmt, ſondern auch jedem anderen, der es prüfen will, das Urtheil, ob wir unſerem Vorhaben ein Genüge geleiſtet haben oder nicht. Die eigentliche Aufgabe der reinen Vernunf iſt nun in der Frage enthalten: Wie ſind ſynthetiſche Urtheile a priori möglich?

§. 16. Equidem multum laboro de hoc Kantiano judiciorum genere, non quomodo refellendum ſit totum id, rejiciendumque, ſed quid primo loco, quid dein altero, quid poſtremo proferri a me debeat; adeo vacillant omnia, & inania ſunt, & a ratione philoſophiæ aliena. Dabo tamen Kantio, quantum poſſum omnino, ut fatear, plenam fidem me ipſi habere narranti nobis, pluribus ſe annis in eo problemate deſudaſſe; neque enim leve negotium eſt, obſcurare res perſpicuas, rectasque & explicatas implicare difficilibus tectisque nodis, nec labore caret novas longeque petitas excogitare verborum, & ſententiarum formulas, iisque reconditæ doctrinæ ſpeciem illinere; ac novimus, majori aliquando molimine opus eſſe ad deſtruendum, quam ad ædificandum, ad eradican-

dicandum, quam plantandum. Sed accedam ad rem ipsam.

§. 17. De problematis formula apte scilicet & definite proposita, multumque protensa gloriatur Kantius. At ego modis omnibus nego, quaestionem ea formula propositam aut perspicuam esse, aut satis definitam. Animadvertet id lector quilibet, nec intelliget sane, quid ea quaestione petat Kantius, quo respiciat, quid responderi velit. Certe ambigua est ea formula, & amphiboliam continet manifestam; quod in omni controversia, quae ad disputandum profertur, maximum vitium est. Vis enim illius, ac sensus hic esse potest. *Primo* ut respondeatur, quomodo *dato subjecto* inveniri praedicata queant, eidem convenientia quidem, sed quae ex ipsa subjecti notione non illico relucent, uti si proposita circuli definitione ejus proprietates sint inveniendae. *Secundo* ut *dato judicio synthetico* indicetur fundamentum ac ratio, qua adducamur ad istiusmodi ferendum judicium, utrum sensu, perspicacia rationis, aliave via. Atque hoc sensu problema suum intellexisse videtur Kantius. Docet enim, esse in nobis reipsa judicia synthetica, sed ea non aliter in nobis esse posse, nisi quatenus notioni subjecti adjungitur intuitus spatii aut temporis; quo adjuncto intuitu appareat id, quod ex sola notione subjecti non apparuerat, praedicatum scilicet eidem convenire. *)

*) Critik Seite 73. Hier haben wir nun eines von den erforderlichen Stücken zur Auflösung der allgemeinen Aufgabe. — — Wie sind synthetische Sätze a priori möglich? nämlich reine Anschauungen a priori. Raum und Zeit, in welchen wir, wenn wir im Urtheile a priori über den gegebenen Begriff hinausgehen wollen, das jenige an-

treffen, was nicht im Begriffe, wohl aber in der Anschauung, die ihm entspricht, a priori entdeckt werden, und mit jenem synthetisch verbunden werden kann; welche Urtheile aber aus diesem Grunde nie weiter, als auf Gegenstände der Sinne reichen, und nur für Objecte möglicher Erfahrung gelten können.

§. 18. Quæro: intuitiva sunt ergo synthetica judicia a priori? omnino inquit Kantius. *) Et omnia mathematicorum theoremata sunt synthetica? etiam ait Kantius, etsi id non observarint, quotquot facultatem humanæ rationis explorare adhuc conati sunt? **) At si intuitiva sunt mathematicorum theoremata, erunt etiam *immediata*, non discursiva (uti Kantius de judiciis philosophicis loquitur) non ratione collecta, non demonstratione deducta, conclusaque? Hoc enim inter judicia intuitiva & discursiva interest consensu omnium, ut illa censeantur immediata, hæc mediata; illa solo idearum intuitu, & perceptione, seu intelligentia vocum, hæc ratiocinatione conficiantur. At quis istuc dabit, theoremata Mathematicorum esse judicia immediata. Ipse Kantius per rationem, imo per catenam ratiocinationum perveniri docet ad cognitionem theorematis geometrici: *in triangulo rectilineo omnes anguli sunt æquales duobus rectis.* ***) Qualis, obsecro, in hac perspicienda veritate est intuitus spatii? spatium, inquit, triangulare intuemur; at istuc intuentur etiam rudes, & infantes, & bestiæ; nec tamen eam intuentur aut perspiciunt veritatem: constructionem forte intuemur, quæ fit demonstrationis causa; at iidem etiam hanc vident, nec tamen pervident veritatem ejus theorematis: forte constructionis ope æqualitatem illam cum binis rectis intuemur? quis æquali-

æqualitatem hanc ſenſu & phantaſia æſtimandam docuit? ipſa illa conſtructio ſenſu an ratione adinveniri debet?

*) Prolegomena zur Metaphyſik Seite 49. Die Urtheile der mathematiſchen Erkenntniſs ſind jederzeit intuitiv; anſtatt das Philoſophie ſich mit diſcurſiven Urtheilen aus bloſſen Begriffen begnügen, und ihre apodictiſche Lehren wohl durch Anſchauung erläütern, niemals aber daher ableiten kann.

**) Critik Seite 14. Matematiſche Urtheile ſind insgeſammt ſynthetiſch. Dieſer Satz ſcheinet den Bemerkungen der Zergliederer der menſchlichen Vernunft bisher entgangen zu ſein.

***) Critik Seite 744. Man gebe einem Philoſophen den Begriff eines Triangels, und laſſe ihm nach ſeiner Art ausfindig machen, wie ſich wohl die Summe ſeiner Winkel zum Rechten verhalten möge. Er hat nun nichts als den Begriff von einer Figur, die in drei geraden Linien eingeſchloſſen iſt, und an ihr den Begriff von eben ſo vielen Winkeln. Nun mag er dieſem Begriffe nachdenken, ſo lang er will; er wird nichts Neues herausbringen. — Allein der Geometer nehme dieſe Frage vor. Er fängt ſo fort an, einen Triangel zu conſtruiren. Weil er weiſs, daſs zwei rechte Winkel zuſammen gerade ſo viel austragen, als alle berührende Winkel, die aus einem Puncte auf einer geraden Linie gezogen werden können, zuſammen, ſo verlängert er eine Seite ſeines Triangels. — — Er gelangt auf ſolche Weiſe durch eine Kette von Schlüſſen, immer von der Anſchauung geleitet, zur völlig einleuchtenden, und zugleich allgemeinen Auflöſung der Frage.

§. 19. Non fruſtra exſcripſi verba Auctoris; docemur enim, de ipſius ſententia in judiciis ſyntheti-

theticis nihil ex conceptu vel notione ſubjecti colligi, (quemadmodum fit in Analyticis) ſed opus eſſe præterea, ut *intuitus* accedat, totamque comitetur demonſtrationem. Similiter docet, ex ſolo conceptu rectarum linearum minime diſci a nobis poſſe veritatem judicii hujus ſynthetici: *duæ lineæ rectæ ſpatium non claudunt*, *ſeu figuram non efficiunt*, niſi præterea intuitus rectarum linearum accedat. *) Hinc in re mathematica conceptuum ſeu notionum conſtructionem dicit neceſſariam eſſe, qua non tam illam denotat, quam pro demonſtratione inſtituenda vi ingenii excogitant Mathematici, atque ad propoſitum ſchema applicant, ſed nudam figuræ e. g. triangularis delineationem, quæ in charta fit, aut vi phantaſiæ in mente velut depingitur. Conceptum conſtruere, inquit, nihil eſt aliud, quam intuitum a priori eidem conceptui reſpondentem repræſentare. Is intuitus, quatenus intuitus eſt, objectum habet ſingulare; ſed valet pro intuitu quovis alio, qui eidem conceptui ſubeſt; eſtque purus, ſi per phantaſiam efformatur, empiricus, ſi deſcribitur in charta: utroque caſu a priori eſt, nullo penitus ab experientia petito exemplo. Singulare ſchema e. g. trianguli, quod præ oculis eſt, etſi tota magnitudine ſua, laterum item & angulorum ratione determinatum ſit, tamen generalem conceptum deſignat, qui eas determinationes certas non habet: quia in propoſito ſchemate ad illas nulla omnino fit attentio, utpote quæ in generali conceptu non continentur. **) Nec Geometria tantum, ſed Arithmetica quoque præter conceptus notionesque numerorum iſtiusmodi intuitu a priori pro operationibus ſuis indiget, dum nempe unitates, quas continent numeri, aut dinumerantur digitis, aut ſingilatim per puncta exhiben-

hibentur. Propositio hæc, 5 + 7 = 12, non analytica est, sed synthetica; quomodo enim cunque evolvam conceptus numerorum 5 & 7, etsi conjunctos inter se cogitem, nondum ob id numerum 12 concipio, sed necesse est, ut ultra eos conceptus progrediens unitates singulas eorum numerorum in digitis meis, punctisve in charta factis intuear. ***)

*) Critik Seite 65. Nehmet nur den Satz: daſs durch zwei gerade Linien sich gar kein Raum einschlüssen lasse, mithin keine Figur möglich sei; und versucht ihn aus den Begriffen von geraden Linien und der Zahl zwei abzuleiten; oder auch daſs aus dreien geraden Linien eine Figur möglich sei, und versucht es eben so bloſs aus diesen Begriffen. Alle eure Bemühung ist vergeblich, und ihr seht euch genöthiget, zur Anschauung eure Zuflucht zu nehmen, wie es die Geometrie auch jederzeit thut.

**) Critik Seite 741. Einen Begriff construiren heiſst, die ihm correspondirende Anschauung a priori darstellen. — — So construire ich einen Triangel, indem ich den, diesem Begriffe entsprechenden, Gegenstand entweders durch bloſse Einbildung in der reinen, oder nach derselben auch auf dem Papier in der empirischen Anschauung, beidemal aber völlig a priori, ohne das Muster dazu aus irgend einer Erfahrung geborgt zu haben, darstelle. Die einzelne hingezeichnete Figur ist empirisch, und dient gleichwohl den Begriff, unbeschadet seiner Allgemeinheit, auszudrucken; weil bei dieser empirischen Anschauung immer nur auf die Handlung der Construction des Begriffs, welchem viele Bestimmungen z. E. der Gröſse, der Seiten und der Winkel ganz gleichgültig sind, gesehen, und also von diesen Verschiedenheiten, die den Begriff des Triangels nicht verändern, abstrahirt wird.

***) Critik Seite 15. Man sollte anfänglich denken, dass der Satz $5 + 7 = 12$ ein bloss analytischer Satz sei, der aus dem Begriffe einer Summe von sieben und fünf nach dem Satze des Widerspruchs erfolge. Allein, wenn man es näher betrachtet, so findet man, dass der Begriff der Summe von sieben und fünf nichts weiter enthalte, als die Vereinigung zweier Zahlen in eine einzige, wodurch ganz und gar nicht gedacht wird, welches diese einzelne Zahl sei, die beide zusammenfasst. Der Begriff von zwölf ist keineswegs dadurch schon gedacht, dass ich mir bloss ein Vereinigung von sieben und fünf denke; und ich mag meinen Begriff von einer solchen möglichen Summe noch so lange zergliedern, so werde ich doch darinn die zwölf nicht antreffen. Man muss über diese Begriffe hinaus gehen, indem man die Anschauung zu Hülfe nimmt, die einem von beiden correspondirt, etwa seine fünf Finger, oder (wie Segner in seiner Arithmetik) fünf Puncte, und so nach und nach die Einheiten des in der Anschauung gegebenen fünf zu dem Begriffe der sieben hinzuthut.

§. 20. Respondebo primo de Geometricis, dein de Arithmeticis. Atque hæc quidem valde putida mihi videntur: illa autem callide excogitata sunt ad decipiendos lectores incautos, nec satis exercitatos in re geometrica. Binas rectas lineas non comprehendere spatium, intuitus earum demonstrat, solus earum *conceptus* non demonstrat. Non dicam, cuivis etiam rudi homini, qui rectas lineas animo *concipit*, perspicuum esse per sese, per binas tantum concludi spatium ex omni parte haud posse, idque ab Euclide rigidissimo Geometra apponi ad notiones communes, & axiomata reliqua; cujusmodi est hoc: *quæ congruunt inter se: æqualia inter se sunt: & totum parte*


sua

sua majus est. Illud nobis exponat Kantius, conceptus seu notio rectarum linearum, vel trianguli, & intuitus rectarum linearum vel trianguli quomodo differant inter sese? quid aliud in mente tenet is, qui conceptum earundem tenet, & aliud, qui vi phantasiæ illarum intuitum in mente efformat? Quid apparet demum in hoc intuitu, quod in conceptu non apparuit? In conceptu forte nudum vocabulum cogitamus sine significatu? in intuitu rem sine vocabulo? At sumimus hominem, qui & rem animo concipit, & significata vocum didicit. Debuisset sane Kantius cum Philosophis aliis distinguere inter ideas intuitivas, & symbolicas. „Si rationem studiose animadvertamus (inquit Lockius de Int. hum. L. IV. C. V. §. 4.) qua mens nostra in cogitando utitur & ratiocinando, manifeste, puto, deprehendemus, quoties propositiones quædam in mente fiunt circa album aut nigrum, triangulum aut circulum, nos posse, & quidem actu, ideas ipsas in animo effingere, nomina haud quaquam intuentes: quando vero ideæ magis complexæ, hominis puta, vitrioli, fortitudinis, gloriæ, cogitationibus nostris aut propositionibus materiam suppeditant, nomen communiter ideæ loco ponimus.“ Priore casu intuitivas, altero symbolicas ideas habemus; quodque caput est, atque ad propositum spectat maxime, his ipsis symbolicis ideis absque Kantiano illo intuitu Geometræ utuntur sæpissime, cum per similitudines linearum, laterumve & figurarum, per æquationes, aut potentias quantitatum suas conficiunt demonstrationes salva perpetua connexione præcedentium propositionum cum sequentibus, plenaque evidentia singularum, quin opus sit, ut phantasticus ille intuitus quemvis demonstrationis progressum comitetur, quemadmo-

admodum Kantius temere, & refragante experientia asserit. Qualem, obsecro, intuitum spatii aut dimensionis adhibere quis poterit ad æquationes singulas, quibus non adeo difficili aut longo labore demonstratur ratio semiordinatarum ad segmenta axeos in sectionibus conicis? Tirones quidem rerum geometricarum crassiore easdem modo sibi repræsentare solent, ut nempe sensuum & phantasiæ ope juvetur intellectus ad formandas notiones abstractas, attentionemque in pertexenda demonstratione conservandam. Totum ergo, quod Kantius de intuitu spatii ad notionem adjungendo, ejusque intuitus necessitate docet, inane est prorsus, ab ipsa experientia & veritate alienum; ac iis, quæ adfert, videtur illudere lectoribus, cum intuitus non differat omnino a conceptu vel notione; & in aliis citra necessitatem intuitivæ notionis per symbolicas cognitiones progrediamur.

*) Elementorum Euclidis L. I. communes notiones seu κοιναι Εννοιαι. και δυο ευθειαι χωριον ου περιεχουσιν.

§. 21. Judicium hoc geometricum: *in quovis triangulo rectilineo anguli omnes sunt æquales duobus rectis*, Kantius negat analyticum esse; quantumcunque enim expendatur notio trianguli, id est, figuræ totius, aut trium laterum vel angulorum, nunquam cognitio ea obtinebitur. At ego judicium illud esse analyticum contendo, ex notione ipsius trianguli, triumque laterum & angulorum sine alia assumta determinatione deductum. Concipiantur enim primo



mo duæ rectæ AB, CD, quas ita intersecat recta AC, ut anguli interni BAC, ACD sint æquales duobus rectis, erunt inter se parallelæ, nec cum tertia intersecante AC efficient triangulum. Si dein concipiatur, has rectas ita inclinari, ut anguli ad eandem partem interni o & r sint minores duobus rectis; tum certe concurrent ad eam partem, & cum recta intersecante AC efficient triangulum AeC. Quod ita perspicuum est, ut Euclides principio geometriæ inter notiones communes id ponat his verbis: Si in duas rectas recta linea incidens, internos & in eadem parte angulos duobus rectis minores fecerit; illas ambas productas indefinite, necesse est concurrere, ea in parte, qua duo isti anguli fuerint duobus rectis minores. Quantum ergo de binis rectis deficit in angulis o & r, tantum ad præcisam summam duorum rectorum adjiciet angulus tertius e, sive ipse concursus rectarum in e, effectioque trianguli; quod manifestum est, si per punctum concursus e concipiatur ducta FG parallela ad AC. Erunt enim anguli m + e + n æquales duobus rectis, & ob angulum m æqualem alterno o, & angulum n æqualem pariter alterno r, erunt etiam anguli omnes o + e + r æquales duobus rectis. Igitur ex sola notione trianguli, sive ex solo concursu duarum rectarum, quas tertia intersecat, intelligitur ea trianguli rectilinei proprietas; & quemadmodum ex illo solo concursu necessario infertur judicium analyticum hoc: *triangulum habet tres angulos;* ita pariter infertur judicium analyticum: *summa eorum trium angulorum æqualis est duobus rectis.* Illud, inquit Kantius, judicium est analyticum, cujus prædicatum B spectat ad notionem subjecti A, tanquam aliquid, quod in notione subjecti A (tecto modo) continetur. *) Quod tectum erat, vi ratio-

rationis protrahi in lucem poteſt, & protraxi jam in Kantiano exemplo, oſtendique, neceſſario ad notionem ſubjecti, nempe trianguli rectilinei pertinere, ut tres habeat angulos æquales duobus rectis. Utrumque eſt judicium identitatis, utrumque in principio contradictionis fundatur; quia utrumque per notionem ſubjecti æque determinatur.


*) Critik S. 10. Entweder das Prædicat B gehört zum Subject A, als etwas, was in dieſem Begriffe A verdeckter Weiſe enthalten iſt. Oder es liegt ganz auſſer dem Begriffe A, ob es zwar mit demſelbem in Verknüpfung ſteht. Im erſten Falle nenne ich das Urtheil analytiſch, in dem anderen ſynthetiſch.

§. 22. Nihil ergo tam falſum eſt, ac Kantianæ aſſertiones: *judicia geometriæ omnia ſunt ſynthetica: & analytica non augent noſtram cognitionem.* Oſtendi enim aperte, eſſe illud analyticum, id eſt, ex notione ſubjecti, ejusque analyſi deductum. Quid ergo? de vocabulo diſputamus ego & Kantius? hic quidem judicium illud eſſe ſyntheticum ait: ego analyticum eſſe, evici; quid refert demum, utrum utri præferas? multum ſane, quaſi de ſumma totius rei ageretur. Kantius docet, ultra id, quod ſenſus & phantaſia offert, progredi homines cogitando non debere ſalva veritate reali cognitionis. At ego contendo, ultra id, quod ſenſus & phantaſia in propoſito trianguli ſchemate offert, progredi homines vi rationis & poſſe & debere ſalva veritate reali cognitionis; idque demonſtravi ex geometrico illo theoremate. Quid eſt enim, aut in quo ſita eſt vis humanæ rationis, niſi in perſpiciendo nexu veritatum, inveniendisque earum rationibus mutuis, quæ nec viſu nec auditu, nec olfactu, guſtu vel tactu percipiuntur? In judi-


judiciis ſyntheticis, inquit Kantius, ultra ſubjecti notionem progrediens, quidpiam cogitare debeo, quod relationem habet cum ſubjecti notione. *) Atqui relatio penitus extra ſubjectum non eſt, ſed res duas ſimul complectitur, & id, quod refertur, & ad quod refertur; ergo ſubjecti notionem non penitus deſero, nec extrinſecus quærere debeo totum id, quod parte maxima in ipſo ineſt ſubjecto.

*) In ſynthetiſchen Urtheilen ſoll ich aus dem gegebenen Begriff hinausgehen, um etwas ganz anderes, als in ihm gedacht war, mit demſelben in Verhältniſs zu betrachten.

§. 23. Nondum a geometricis diſcedo, utpote maxime infeſtis Kantio. Ac ſi tam craſſo in iis modo verſemur, ut ſenſu & phantaſia æſtimare mathemata tentemus, in maximos incidemus errores, quemadmodum illi contigit, qui cum ex lamina bractea diſcum circularem, & quadratum paulo minoris lateris, quam diameter erat circuli, juſſiſſet confici, tamdiu limam utrinque adhibuit, dum æqualis ponderis viderentur; atque ita quadraturam circuli inveniſſe ſe gloriatus eſt. Addam ſolutionem problematis, quod Benedictus Stattlerus volumine I. Antikantii pag. 232. propoſuerat ſuo adverſario, nulla a ſe addita, neque ab hoc obtenta ſolutione. Unde fit, quærebat Stattlerus ex Kantio, ut, ſi & rectangulum abcd, & dimidium illius triangulum bcd moveantur circa latus bc tanquam axem, indeque & cylinder & conus concipiantur generari, tamen conus non dimidia, ſed tertia cylindri pars ſit, etſi quantitas genitrix coni, nempe triangulum



gulum b c d dimidia sit quantitatis genitricis cylindri, nempe rectanguli a b c d? Si res ista sensu & phantasia æstimanda est, nulla suppetet responsio. Sed addam solutionem problematis, ut manifesto pateat, quam longe a vera ratione cognoscendorum mathematum absit Kantiana hypothesis.



§. 24. Sit 1. rectangulum a b c d tanquam elementum cylindri, qui gignitur illius rotatione circa axem bc. Sit dein triangulum bcd, sive $\frac{dc \times bc}{2}$ sive dimidium rectanguli, tanquam elementum coni ex rotatione trianguli circa axem bc geniti.

2. Quærantur centra gravitatis rectanguli & trianguli. Si recta bd bifariam secetur in m, ducaturque normalis mn, sive parallela ad basin, erit m centrum gravitatis rectanguli, & mn radius peripheriæ a centro gravitatis m descriptæ, quæ dicatur P. Pariter in triangulo bcd basi dc bifariam secta in e, ductaque be, si fiat bq $= \frac{2}{3}$ be, & ducatur normalis qr sive parallela ad basin, erit q centrum gravitatis trianguli, & qr radius peripheriæ a centro gravitatis q descriptæ, quæ dicatur p.

3. Ex regula Guldini cylinder æqualis est elemento suo, ducto in peripheriam circuli a centro gravitatis in rotatione descripti; similiter & conus æqualis est elemento suo ducto in peripheriam circuli a centro gravitatis in rotatione descripti. Est ergo cylinder ad conum ut

$$bc \times cd \times P : \frac{bc \times cd}{2} \times p$$

4. Peri-

4. Peripheræ P & p a centris gravitatis descriptæ, ſunt ut radii mn, qr. Eſt autem mn $= \frac{dc}{2}$ ob bd bifariam ſectam in m, & ob mn parallelam ad dc. Ex ſimili ratione qr $= \frac{2}{3}$ ec $= \frac{1}{3}$ dc. Proinde $P : p = \frac{dc}{2} : \frac{dc}{3} = 3 : 2$


5. Eſt ergo cylinder ad conum, ut

$$bc \times dc \times 3 : \frac{bc \times dc}{2} \times 2 = 3 : 1.$$

Elementa ſunt ut 2 : 1. at peripheriæ a centris gravitatis deſcriptæ, quæ dicuntur via rotationis, ſunt ut 3 : 2. Solida ergo in ratione compoſita elementorum & viæ rotationis ut $2 \times 3 : 1 \times 2 = 6 : 2 = 3 : 1$ q. e. d.


§. 25. Intueantur nunc Kantiani formas ſuas: intueantur obverſantem oculis conſtructionem: adhibeant articulos digitorum ad dinumerandas geometricas rationes, aut defigant puncta ad imaginem numerorum efformandam: intendant ſenſuum aciem, ut centra gravitatis rectanguli, trianguli que deprehendant; curentque ſolius intuitus ope intelligere, conum non eſſe niſi *tertiam* partem cylindri eandem altitudinem & baſin habentis, etſi quantitas generatrix coni *dimidia* ſit quantitatis generatricis cylindri. Equidem exiſtimo, ex quo rationis vi & acumine mathemata adinventa ſunt a viris ſolertibus, neminem tantopere ineptiiſſe ante Kantium, ut eorum cognitionem ad ſenſus aut phantaſiam referret, & ſyntheticas propoſitiones vocaret eas, quarum luculenta veritas ex natura & geneſi propoſitarum dimenſionum, atque ex notione ſubjecti, vi rationis excogitatis artificiis unice attingi ac perſpici poteſt. Illud lepidum neſcio, an ab-


ſurdum dicam, quod Stattlerus in compendio Antikantii pag. 10. narrat, ad propoſitum a ſe problema reſpondiſſe Joannem Schulzium Kantii interpretem, ob eam cauſam fieri, ut non dimidia, ſed tertia cylindri pars ſit conus, eoquod pauciora in cono triangula, quam in cylindro rectangula generentur; quod quidem evidentiſſime falſum eſſe, ipſa utriusque ſolidi geneſis patefacit; uti enim rotatione generantis exiſtunt infinita rectangula, ſic infinita rectangulorum dimidia ſeu triangula. Idem perſpicuum eſt ex communi baſi cylindri & coni, cui infinita rectangula, proindeque pari numero dimidia rectangula ſeu triangula inſiſtunt. Ad tanta abſurda nimirum deducit kantiana hypotheſis, quæ remotiſſimas a ſenſibus cognitiones ſenſuum foro adſcribit; quod ſi ita foret, non pauciores Geometras & Analyſtas haberemus, quam homines ſanis ſenſibus & imaginandi vi pollentes. Sed intereſt, ita declarare hanc rem, ut qui ob temporum ſtudiorumque rationem mathematicas diſciplinas nunquam attigerunt, ipſis quodammodo ſenſibus deprehendant, ſenſibus ſuperiorem earum eſſe diſtinctam cognitionem. Si lineæ a b extremo uno in a



immoto, extremum alterum b verſus x, y, z &c, movea-

moveatur, usque dum in b redeat, planum circuli generari perſpicuum eſt. Si dein, adhibita alia linea dc *duplo* longiore, eodem modo efformetur circulus c, f, g, h, k, c; erit poſterior hic circulus non duplo, ſed quadruplo major priore; id quod geometræ certiſſima demonſtratione evincunt. Sed in quadratis dilucidius etiam id patet. Si enim li-





nea fg ſibi parallela manens usque in hk moveatur, ita ut linea fh rectæ fg ad angulum rectum inſiſtat, eidemque æqualis ſit longitudine, generabitur quadratum fgkh. Si dein ut ſupra in circulo aſſumatur linea duplo longior RL, efformeturque quadratum RLTS, ejus lateribus in q, n, p, m bifariam ſectis, ductisque lineis mn, pq; non jam duo, ſed quatuor provenire quadrata, uni quadrato fghk æqualia, ipſis oculis cernitur. Eadem ratione ſi ſphæræ ponantur duæ, quarum una habeat diametrum duplo majorem, hæc ipſa non jam duplo, nec etiam quadruplo, ſed octuplo major erit altera. Quod de circulo dictum eſt, de quadrato item, & ſphæra, id in geometria de ſuperficiebus, & corporibus omnibus ſimilibus demonſtratur conſentiente etiam experientia. At quam rationem dabit Kantius, quod plana ſeu ſuperficies haudquaquam in ſimplici ſed duplicata ratio-

ne dimensionum homologarum, solida vero in triplicata earundem ratione crescant? Hæc, opinior, abunde declarant, theoremata mathematica multo adcuratius pervestiganda, non sensuum intuitu, & cæcæ imaginationis præstygiis æstimanda esse. Addam & illud, dimensiones geometricas motu seu fluxu puncti, linearum, superficierum nasci a peritis censeri (quod ita agnoscit Kantius, ut plane neget, aliter eas concipi omnino posse; quod quidem apertissime falsumest.) Sed nascantur eæ dimensiones motu, *) cum omnis motus & fluxus in spatio fiat, nec aliter cogitari a quoquam possit, spatium autem immobile concipiatur ab omnibus; qua doctrinæ consequentia affirmare poterit Kantius, dimensiones geometricas, quæ fluunt, moventurque, non esse nisi intuitum aut descriptionem spatii, quod non fluit, non movetur? Absurdum hoc evitare aut mitigare voluit Kantius distinguendo inter motum rei cujuspiam in spatio, & inter motum, quo describitur spatium; priorem illum motum experientiæ tribuendum esse; hunc non modo ad geometriam, sed ad ipsam philosophiam transcendentalem pertinere **). Sed quis non videt, inania hæc esse verborum ludibria; quocunque referas motum seu ad philosophiam experimentalem seu transcendentalem, is sine spatio cogitari minime potest; proindeque non potest ipsum spatium esse, id quod movetur, sed diversum quidpiam, quod in spatio movetur.

*) Crit. S. 154. Wir können uns keine Linie denken, ohne sie in Gedanken zu ziehen: keinen Cirkel denken, ohne ihn zu beschreiben: die drei Abmessungen des Raums gar nicht vorstellen, ohne

ohne aus dem selben Punkte drei Linien senkrecht auf einander zu setzen.

**) S. 155. Die Bewegung eines Objects im Raume gehört nicht in eine reine Wissenschaft, folglich auch nicht in die Geometrie; weil, dass etwas beweglich sei, nicht a priori, sondern nur durch Erfahrung erkannt werden kann. Aber Bewegung als Beschreibung eines Raums, ist ein reiner Actus der successiven Sythesis des Mannigfaltigen in der äusseren Anschauung überhaupt durch productive Einbildungskraft, und gehört nicht allein zur Geometrie, sondern sogar zur Transcendentalphilosophie.

§. 26. A geometricis progredior ad arithmetica, in quibus Kantius intuitum temporis inesse dicit, eo quod additio unitatum, qua conflantur numeri, successive fiat & tempore indigeat designando singulas unitates per puncta singula, vel per digitos eas dinumerando. Ope hujus intuitus fit possibilis hæc cognitio synthetica, $5 + 7 = 12$. (§. 19. ***) Hæc quidem putida supra dixi: Tittelius nominavit puerilia. *) Quid ergo? hæccine pariter cognitio: $1 + 1 = 2$. Kantio erit synthetica, qua nostrarum suppellex cognitionum locupletetur? hæc item $1 + 2 = 3$. Si neget Kantius, & has propositiones vocet analyticas; progredior equidem, ac ponam sequentes $1 + 3 = 4$. $1 + 4 = 5$. Suntne & hæ analyticæ? quando ergo in istiusmodi progressu cessabunt analyticæ, & orientur syntheticæ? nec longa erit ista progressio; non enim adeo multæ interjacent inter hanc $1 + 1 = 2$, & illam, quæ ex oraculo kantiano synthetica est $5 + 7 = 12$. Alii quidem Philo-

Philoſophi, qui inter intuitivas & ſymbolicas cognitiones diſtinguunt, illam cujusdam numeri repræſentationem dicent *intuitivam*, cujus unitates uno velut obtutu ſingilatim diſtinguere poſſumus, aut tanta additionis celeritate comprehendere, ut eas ſimul intueri opinemur: alias majores numerorum repræſentationes, in qua illa diſtinctio ob anguſtias humanæ mentis fieri non poteſt, eſſe *ſymbolicas*. Sed quis illud Kantio dabit, cognitionem hanc 5 + 7 = 12, talem eſſe, quæ non fundetur principio contradictionis, ſed alio principio nitatur: talem, in qua prædicatum non contineatur in notione ſubjecti 5 + 7: talem, quæ poſſibilis non ſit, niſi ultra notionem ſubjecti cogitans progrediatur: talem, quæ non exprimat identitatem ſubjecti 7 + 5, & prædicati 12, ſed inhæſionem: talem, quæ non mere explicet & exponat, ſed quæ augeat noſtram cognitionem? Ergone hæc etiam propoſitio: *omnes partes ſunt æquales toti*, non analytica erit, ſed ſynthetica? quid enim illa differt ab hac noſtra 5 + 7 = 12? conferantur proprietates analyticorum & ſyntheticorum judiciorum. §. 14. Illud perabſurdum videtur, cognitiones arithmeticas niti intuitu temporis, eoque fieri poſſibiles; quia operationes arithmeticæ ſucceſſive fiunt, & tempore indigent. Et quid eſt demum, quod humana opera, opificio, artificio, ſcientia ac diſciplina efficitur, & ſucceſſive non fiat, nec tempore indigeat? nunquid ob hanc cauſam cognitio earum rerum intuitu temporis nititur, eoque intuitu ſit poſſibilis? Et operationes quidem arithmeticæ paulo longiores, calculi item literales, quo intentiore ſtudio tractantur, eo magis non tantum intuitum, ſed omnem plane cogitatio-

tationem de tempore nobis eripiunt, ut non advertentibus horæ, ac dimidii prope dies præterlabantur, tempusque videatur brevissimum re arithmetica distentis, quod homini otioso longissimæ moræ tædium sæpe affert.

*) Kantische Denkformen oder Categorien von Gottlob August Tittel. Seite 71. Wir loben es an einem Kinde, wenn es auf die Frage: wie viel macht 7 und 5? fertig antwortet, macht 12. Das Kind hat nun schon im Ausdrucke, in der Bezeichnungsart etwas gelernt. Aber wer konnte es von einem Kant erwarten, dass er es für eine Erkenntniss Erweiterung (Synthesis) halten würde, wenn das Kind für 7 und 5 hat 12 sagen gelernt.

§. 27. De utroque propositionum matheseos puræ genere, geometrico, & arithmetico satis nunc quidem & abunde dixi; ex quo pateat manifestissime, nulla esse in ea disciplina kantiano sensu judicia a *priori*, sive talia, quorum veritas & ratio non ex ipsa notione subjecti intelligatur, deducatur, & per eam determinetur. Sunt ergo analytica plane omnia, siquidem vera ponantur, earumque disciplinarum propria ac domestica. Aliud judiciorum syntheticorum genus commemoratur a Kantio ad cognitionem naturæ pertinens. Propositio hæc (inquit) *corpus est extensum*, analytica est, & a priori subsistit: at hæc altera: *corpus est grave*, in syntheticis numerari debet. Sed ingens hoc loco, & multiplex doctrinæ kantianæ implicatio & pugna cernitur. Nam I. idea corporis, quæ propositionis subjectum efficit, empirica est, ab experientia collecta, & ab experientia abstracta: eadem continetur his notis: res extensa, colorata, mollis vel dura, gravis, impenetrabilis, mobilis &c: hæ

hæ notæ singulæ sola experientia sunt cognitæ *). Igitur propositio: *corpus est extensum*, hunc sensum & hanc respondentem in mente repræsentationem habet: *hæc res colorata*, *mollis vel dura*, *gravis*, *impenetrabilis*, *extensa &c. est extensa;* quæ est propositio nugatoria, tautologica, & identica, perinde ut hæc: triangulum, seu figura tribus lateribus comprehensa, habet tria latera. II. Si asserente Kantio idea corporis empirica est: si notæ singulæ, quas illa complectitur, sola experientia sunt cognitæ; quomodo ipsa propositio, cujus prædicatum ab experientia innotescit, nulla nititur experientia? **) quomodo ea propositionibus a priori adnumerari potest, quæ universales sunt & necessariæ? atqui Kantio asserente, quæ a priori sunt, nulla indigent experientia, nec mediata, nec immediata. ***) Totum hoc innotescit ab experientia: experientia autem nec stricte universalem, neque necessariam parit cognitionem. ****) III. Gravitatem *terrestrium* corporum æque cum idea corporis copulamus, quam extensionem. Si ergo analytica est propositio hæc: *corpus est extensum*; cur non pariter analytica, sed potius synthetica dicitur illa altera: *corpus est grave*?

*) Critik Seite 5. Lasset von eurem Erfahrungsbegriffe eines Körpers alles, was daran empirisch ist, nach und nach weg: die Farbe, die Härte oder Weiche, die Schwere, selbst die Undurchdringlichkeit &c. Ebendaselbst S. 12. indem ich auf die Erfahrung zurück sehe, von welcher ich diesen Begriff des Körpers abgezogen hatte.

**) Critik S. 11. Das ein Körper ausgedehnt sei, ist ein Satz, der a priori fest steht, und kein Erfahrungsurtheil.

***) Cri-

***) Critik S. 2. Wir werden unter Erkenntnissen a priori nicht solche verstehen, die von dieser oder jener, sondern die schlechterdings von aller Erfahrung unabhängig statt finden.

****) Critik S. 3. Erfahrung lehrt uns zwar, dass etwas so und so beschaffen sei, aber nicht, dass es nicht anders sein könne. — — Erfahrung giebt niemals ihren Urtheilen wahre und strenge Allgemeinheit. — — Nothwendigkeit und strenge Allgemeinheit sind also sichere Kennzeichen einer Erkenntniss a priori. Sieh §.

§. 28. Quid ergo respondendum est Kantio, solutionem poscenti sui problematis: *Quomodo possibilia sunt judicia synthetica a priori?* Quia non illud quærit Kantius, utrum possibilia sint istiusmodi judicia, sed quo demum modo sint possibilia, sumit, ea possibilia esse, multaque hujus generis judicia synthetica extare reipsa affirmat; idcirco respondendum est, ea si ex mente Kantii accipiantur, non aliter possibilia esse, nisi temeritate & levitate judicandi, aut pravitate animi, vel opinione præjudicata; ob quas causas fit, ut subjectæ rei tribuantur prædicata, nulla sufficiente experientia, nulla probabili auctoritate, nullo argumento certo, quod ex subjecti notione, ex statu ejusdem ex relatione vel conexione cum subjecto peti possit. Talia, retento Kantii significatu, sunt judicia *synthetica*, in quibus ultra ea, quæ in subjecti notione insunt, proceditur judicando & sunt *a priori*, quia ex ipsa mente, sed male affecta scilicet profluunt; uti siquis cum Kantio pronuntiet: spatium & tempus nihil est, nisi forma intuitus sensuum: formæ eorundem sensuum, vel intellectus ex ipsa facultate repente prorumpunt, uti de fungis aut nascentibus ex putri materia sensere Veteres: siquis te-

meraria de aliis ferat judicia, eos nihil recte c gitasse in philosophia &c. §. 29. Recta quid judicia aut synthetica sunt, sed non a priori: a judicia a priori sunt, non item synthetica. Sy thetica, sed non a priori sunt *primo*, quæ ma me de substantiis rerum creatarum colliguntur experientiæ ope; qualis est hæc propositio: *aurum solvitur aqua regia;* neque enim ex definitione auri, ejusve cognitis notis solubilitas illa derivari potest. *Secundo*, quæ nituntur auctoritate Dei, hominumve, uti siquis nobis nuntiet: *Cajus ægrotat.* Contra vero judicia a priori, non item synthetica sunt, quorum prædicatum in notione subjecti inest, per eam determinatur, vel cum ea connectitur; cujusmodi sunt geometriæ & arithmetices, atque etiam metaphysices theoremata. Quod siquis nunc ita concludere vellet: sunt confessione nostra & judicia synthetica: sunt & judicia a priori: igitur sunt etiam judicia synthetica a priori; is sane committeret fallaciam compositionis, *παραλογισμον της συνθεσεος*, ut Aristoteles appellat L. I. de sophisticis elenchis. c. 3. Habeat igitur Kantius sibimet novam suam judiciorum divisionem, nec reprehendat philosophos; quod id genus adhuc prætermiserint, & minime omnium Lockium hac quidem in re, quod attigerit tantum obscura ratione quadam isthæc judicia, non autem perfecte exposuerit; aut si nominare Lockium velit hoc loco, ne quæso, invitum in suas partes trahat, eumque corrumpat. Corrupit sane Lockii sententiam Kantius in Prolegomenis pag. 31. ubi ait, Lockium de Intellectu hum. L. IV. c. 3. §. 9. & 10. exposita judiciorum diversitate atque origine nominare *primo* judicia *identitatis & contradictionis;* quæ essent *analytica*; dein judicia *coexistentiæ* eorum, quæ repræ-

epræsentantur in subjecto; quæ debeant censeri ju-
icia *synthetica;* sed fateri Lockium, nostram de
s cognitionem (a priori) valde arctam esse, &
ropemodum nullam. Sed Lockius cognitiones
priori, sensu Kantiano, aut præformatas, seu
formas præparatas, aut præjacentes adeo admisit
nullas, ut toto opere suo id egerit potius, ut re-
præsentationes omnes prima sua origine ab expe-
rientia, sensu nimirum & reflexione derivaverit.
Quæ de ideis complexis substantiarum novimus,
ea ex mente Lockii & aliorum appellari possunt ju-
dicia synthetica, nequaquam autem synthetica a pri-
ori. Sic enim inquit, l. c. §. 14. „Qualitates om-
„nes, quæ in subjecto quodam coexistunt, sine de-
„pendentia hac, atque idearum manifesta inter se
„connexione, sibi invicem coexistere, haud aliter
„certo scire possumus, quam experientia illud per
„sensus didicimus. Ita! nimirum, flavum co-
„lorem intuemur, & quæ in auro conjuncta repe-
„riuntur, pondus, ductilitatem, fusilitatem & fixi-
„tatem experimentis deprehendimus. —— Coexi-
„stentia enim hæc eatenus tantum sciri potest, qua-
„tenus percipitur: percipi vero nequit, nisi in sub-
„jectis singularibus per sensus, aut in generalibus
„*per ipsarum idearum connexionem necessariam.*"
Ex his duo colliguntur, *primo* judicia coexisten-
tiæ, qualia Lockius admittit in ideis substantiarum,
maxime corporearum, phrasi kantiana esse judicia
synthetica empirica, non autem a priori. *Secun-
do* Lockium præterea admisisse cognitiones analy-
ticas non eas tantum, in quibus identitas vel con-
tradictio subjecti & prædicati ex ipsa notione subjecti
mox primo velut intuitu elucet & perspicua est,
sed alias, ubi ea per connexionem & relationem
earundem idearum intelligitur, quemadmodum su-
pra

pra ostendi de theoremate geometrico: *in quovis triangulo rectilineo omnes anguli sunt æquales duobus rectis.* Hinc Lockius non duo judiciorum genera, uti Kantius, sed completa divisione quatuor statuit; ad bina enim superiora, quæ infideliter exscripta sunt a Kantio, addit *judicia relationum & connexionum* idearum, quas habemus, cum aliis quibusdam, & *judicia realis seu actualis existentiæ* rerum; de quo genere ita decidit: intuitivam habemus cognitionem existentiæ nostræ: demonstrativam existentiæ Dei: alterius cujusvis rei sensitivam. Adeo nempe dissentit Lockius hoc etiam loco a Kantio; qui sola impressione rerum in organa objecta nobis dari, id est, eorum existentiam nobis innotescere affirmat.

Caput III.

Humana cognoscendi facultas exhibetur a Kantio non ex veritate et natura rei, sed ad arbitrium, libidinemque præconceptæ hypotheseos, falso, imperfecte, novatis vocibus et definitionibus sine necessitate, sine ullo commodo disciplinæ rationalis.

§. 30. Cognoscendi facultatem, ejusque singulas vires ac veluti partes ad examen criticum vocaturus Kantius, eisque præfixurus certos limites, ne ultra, quam par est, audeant progredi, & cognitiones sibi arrogent, quæ nullæ sunt, certe quidem veritatis expertes, vacuæque, incredibilibus modis tractationem totam involvit, obscuratque. Nunc operationes functionesque eis detrahit, quas inesse in nobis, quotidiana experientia convincimur;

mur; nunc alias affingit, de quibus nemini quidquam conſtitit adhuc, nec ex ſenſu intimo, qui adeſt omnibus, quidquam omnino conſtare poteſt: univerſe id agit, nequid proponat, exprimatque verbis ac ſententiis iisdem, quales adhuc receptæ a viris doctis, & in literario orbe civitate donatæ ſunt; ut qui vaſtum volumen, quod Rationis Critice inſcriptum eſt, legerit totum (quod tam moroſa & incondita farragine libri pene heroicum facinus eſt) maximam partem novis implexisque de humana cognitione vocibus, notionibus & animadverſionibus cum ingenti faſtidio diſtineri debeat: & præmonendus ſit ſingulari ſtudio, ut opiniones, aſſertiones, arbitrarias hypotheſes a kantiana critica exſpectet plane abnormes & præ quam credi poteſt, abſurdiores, vix ut oculis ſuis fidem habeat, ſi Kantiana legerit attente, animoque comprehenderit; cujusmodi profecto ſunt, quæ de formis ſenſualitatis, de ſpatio nempe & tempore, de idealitate ſenſuum, de formis intellectus, rationisque ideis adſeruntur, repetuntur, propugnantur cum incredibili temeritate & jactatione. De facultate igitur cognoſcendi, ejusque partibus hæc ſunt Kantii præcipua aſſerta.

§. 31. Omnis noſtra cognitio orditur ab experientia; id quod extra dubium eſt; non tamen continuo ab experientia proficiſcitur omnis cognitio. Fieri enim poteſt, ut id ipſum, quod experiundo cognoſcimus, tum ex eo componatur, quod impreſſione in ſenſus facta extrinſecus accipimus, tum ex eo, quod ipſa facultas ſentiendi occaſione impreſſionum extrinſecus factarum adjungit vi ſua naturali. *) Bini ſunt fontes, primæque origines, unde cognitio noſtra proficiſcitur ac deriva-

derivatur, prima eſt aptitudo accipiendi repræſentationes, ſeu *receptivitas impreſſionum*, altera eſt facultas, repræſentationum iſtarum ope cognoſcendi objeƈtum (ſive *ſpontaneitas conceptuum.*) Priore illa dantur nobis objeƈta: poſteriore eadem cogitantur relate ad faƈtam repræſentationem, quæ mera eſt animi determinatio ſeu modificatio. Ad priorem pertinet intuitus: ad poſteriorem conceptus. Intuitus igitur, & conceptus omnium noſtrarum cognitionum elementa ſunt, ut adeo nec conceptus ſine reſpondente intuitu, nec intuitus absque conceptu cognitionem pariant. **) Omnis igitur humana cognitio per intuitus orditur: ad conceptus progreditur: in ideis ſiſtit, finemque habet. Tria hæc elementa etſi cognitionum fontes a priori habeant tales, qui experientiæ limites videntur excludere; tamen palam fit ex perfeƈta critica, rationem theoreticam, ſi uti velit hisce elementis, ultra experientiam quandam poſſibilem progredi haud poſſe. ***)

*) Critik der reinen Vernunft. S. 1. Daſs alle unſere Erkenntniſs mit der Erfahrung anfange, daran iſt gar kein Zweifel. Wenn aber gleich alle unſere Erkenntniſs mit der Erfahrung anhebt; ſo entſpringt ſie darum doch nicht eben alle aus der Erfahrung. Denn es könnte wohl ſein, daſs ſelbſt unſere Erfahrungserkenntniſs ein Zuſammengeſetztes aus dem ſei, was wir durch Eindrücke empfangen, und dem, was unſer eigenes Erkenntniſsvermögen (durch ſinnliche Eindrücke bloſs veranlaſſet) aus ſich ſelbſt hergiebt.

**) S. 74. Unſere Erkenntniſs entſpringt aus zwei Grundquellen des Gemüths, deren die erſte iſt, die Vorſtellungen zu empfangen (die Receptivitæt der Eindrücke) die zweyte das Vermögen, durch dieſe Vorſtellungen einen Gegenſtand zu erken-

erkennen (Spontaneitæt der Begriffe.) Durch die erstere wird uns ein Gegenstand gegeben; durch die zweite wird dieser im Verhältnisse auf jene Vorstellung (als blosse Bestimmung des Gemüths) gedacht. Anschauung und Begriffe machen also die Elemente aller unserer Erkenntniss aus, so dass weder Begriffe, ohne ihnen auf einige Art correspondirende Anschauung, noch Anschauung ohne Begriffe ein Erkenntniss abgeben können.

***) S. 730. So fängt dann alle menschliche Erkenntniss mit Anschauung an, geht von da zu Begriffen, und endigt mit Ideen. Ob sie zwar in Ansehung aller dreien Elemente Erkenntnissquellen a priori hat, die beim ersten Anblick die Gränzen aller Erfahrung zu verschmähen scheinen; so überzeugt doch eine vollendete Critik; dass alle Vernunft im speculativen Gebrauch mit diesen Elementen niemals über das Feld möglicher Erfahrung hinaus kommen könne.

§. 32. Propositæ ex Kantio sunt facultates cognoscendi tres, *sensus*, *intellectus*, *ratio*. Ad sensum refert *intuitus*: ad intellectum *conceptus & notiones*, ad rationem *ideas*, ita ut ægre ferat, si aliis repræsentationibus, quæ non ratione pura, & citra omne sensuum atque experientiæ adminiculum vel usum effectæ aut conflatæ sunt, *ideæ* nomen tribuatur. *)

At ego Kantium tanti non facio, ut mihi contra liberum, receptumque loquendi usum leges ab ipso præscribi patiar. Dico cum Lockio de Int. Hum. l. I. c. 1. §. 8. „in ipso operis vestibulo exorandus est lector, ut mihi ignoscat, quod vox „*idea* in hoc tractatu tam frequenter occurrat; cum „vocabulum illud mihi videatur maxime idoneum „ad exprimendum *omne illud*, *quidquid demum sit*, „*quod menti obversatur*, *cum cogitat*; idcirco illud „usur-

„usurpavi ad omnia exprimenda, quæ per *phan-„tasma*, *notionem*, *speciem*, aut quocunque alio „nomine venit, quod intellectui præsens est, quan-„do cogitamus.“ Satis est, ideam distinguere a judiciis tam mediatis, quam immediatis, quæ nulla sunt sine ideis. At *cogitationis* vox, qua utitur Kantius, non ad solas ideas & repræsentationes rerum, sed ad judicia quoque varii generis, & perspectas veritates, atque in armariolo mentis quodammodo repositas, referri solet. Quando igitur cognitiones humanas ab experientia ordiri ait, non tamen ob id a sola experientia proficisci, id de ideis tantum ac repræsentationibus rerum intelligi debet. Experientia enim *sensuum* propria est: judicare autem de rebus facta idearum comparatione, & ratione concludere, ad sensus non pertinet, fatente ipso Kantio. **) Tota ergo quæstio de idearum ortu est, utrumne omnes sensu interno vel externo accipiantur, sic ut illarum etiam idearum, quæ abstractione, complexione, relatione efformantur ab intellectu aut phantasia aut, si mavis, facultate fingendi, prima veluti stamina notæque partiales sensibus debeant adscribi: nullæ autem citra omne adminiculum sensuum, ex sola cognoscendi facultate sive ut Kantius ait, *a priori* proveniant. In quo genere non modo res ipsa & sententia kantiana, sed etiam loquendi formula displicet. Quæ enim cognitio, aut cognitionis forma *prior* esse potest cognitione illa, a qua *omnis cognitio initium duxerit*, qualis docente Kantio est cognitio sensibus primo accepta? Sed hæc de ortu idearum, & analysi earundem perquisitio multo majoris momenti est, (quod dudum conjiciebam) ac vulgo creditur; per omnem enim Logicam, & Ontologiam pervadit, nisi kantia-

tianis verborum laqueis, recentibusque tenebris transcendentalis philosophiæ velimus implicari. Ac si palam fit, idearum omnium, quantumvis complexæ sint, resque exhibeant a sensibus remotissimas, partes singulas ad quempiam sensum externum vel intimum referri posse, velut ad caput fontis, ex quo profluunt, duo consequuntur, quæ capitalia sunt kantianæ rationi. Primum est, omnem philosophiam transcendentalem Kantii inanem esse, commentitiam, nullam penitus. Nam in eo sita esse deberet, siqua est, ut usum ostenderet repræsentationum earum, quæ pure a priori, hoc est, citra adminiculum vel usum ullius sensus humanæ menti obveniunt. Alterum est, si ideæ omnes sensibus accipiuntur, nec in complexione earundem committatur error, (qui sane deprehendi potest) de illarum veritate objectiva & reali controversia esse nulla potest; cessatque adeo kantiana distinctio inter veritatem *logicam seu subjectivam*, & *realem vel objectivam;* quemadmodum de veritate conceptuum empiricorum, qui nempe experientia nituntur, nihil ambigit ipse Kantius.

*) Critik S. 377. Es muss einem unerträglich fallen, die Vorstellung der rothen Farbe Idee nennen zu hören. Sie ist nicht einmal Notion (Verstandes Begriff) zu nennen.

**) S. 350. Man kann richtig sagen, dass die Sinne nicht irren; aber nicht darum, weil sie jederzeit richtig urtheilen, sondern weil sie gar nicht urtheilen. — — In den Sinnen ist gar kein Urtheil weder ein wahres, noch ein falsches.

§. 33. Exscripta ad §. 31. Kantii verba argumento sunt inconstantiæ ejusdem in sua contemnenda Critica; ac primo quidem cognitionum ele-

menta assignat duo, receptiones sensuum & functiones intellectus, post intervallum dein longius, quo fortassis jam effluxerant, quæ fuerat commentatus, addit elementum idearum rationis. At si elementa idearum spectat, & præoculis habet, ea ex solis sensibus repetenda esse, tamdiu sustinebimus, donec exploratas proferat ideas quasdam, quarum origo a sensibus arcessi nulla ratione potest. Manet enim recepta inde ab antiquissimis Philosophis sententia, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Dum autem receptiones & repræsentationes cum impressionibus extrinsecus factis *) perpetuo jungit, excludere, aut certe parvi facere, in comparandis elementis cognitionum, videtur sensum intimum, ex quo multo maxima idearum multitudo derivanda est. Aperte autem in eo peccat, quod facultatem sentiendi non aliter exhibeat, nisi potentiam *mere passivam* recipiendi impressiones. Patitur illa, non agit, dum impressiones recipit. At quando ad repræsentationes eisdem respondentes attentionem vertit, in iisque figit: quando res propositas intuetur, contemplatur, earumque perceptiones sistere & continuare conatur, dubium non est, quin vim actuosam exerat sentiendi facultas, uti cum curiosis oculis quidpiam contuemur, saporem exploramus, sonos distinguimus; quod idem in bestiis cernitur, quando de cupita præda naribus, vel auribus quidquam percipiunt, eamque dein citius oculis, quam dentibus, rostris, unguibus configunt. Kantius ad omnem usum sensuum vocem *intuitus* adhibet, intueturque adeo odorem, saporem, sonum, frigus, calorem; sed ipsa vis hujusce vocis plus aliquanto, quam receptionem, passionemve exprimit. Si nulla inesset in sentiendi facultate vis actuosa, non conaremur profecto nunc intendere oculorum aciem,

aciem, nunc obtutum defigere in re exploranda, nunc erigere aures, nunc cogitationem reflectere in id ipsum, quod intra animum contingit; nec quisquam de indiligentia in animadvertendo ad ea, quæ sensibus obversantur, unquam reprehendi posset. Ex his certum omnino & perspicuum est, falli Kantium, dum nihil sensuum facultati tribuit, nisi inertiam quandam, & potentiam passivam, recipiendi quaslibet mutationes, ob eamque causam *Receptivitatem* nuncupat, intellectum vero *Spontaneitatem*, quasi ipse movere se & exerere: sensus vero extrinsecus tantum posset determinari. Ita fit nempe, siquis in explicanda tum cunctarum rerum, tum etiam humanæ mentis natura non ipsam rem & naturam consulit perpetuo, sed meditationibus suis & commentis intentus hypotheses concipit, *earumque novitate & amore captus de natura rerum, repugnante & invita natura, disserere instituit.

*) S. 74. Die erste Grundquelle ist, Vorstellungen zu empfangen (Receptivität der Eindrücke.)

§. 34. Nihil tam perspicuum videtur, magisque expeditum, quam enumerare, palamque facere cognitiones varias, & cognoscendi vires iisdem respondentes, quæ insunt in humana mente. Sed Kantius rem hanc omnem mirifice implicat, & in ipso limine doctrinæ suæ elementaris transcendentalis, falsas eidem hypotheses innectit, ut longiore commentatione opus sit ad detegendos errores, errorumque laqueos indicandos. Per sensus, inquit, objecta dantur, id est, tanquam existentia nobis sistuntur: intellectu autem cogitantur. Nec aliter hominibus quidem objecta dantur, quam quod sensus afficiant, intuitum admittant, expe-

rientiæ subjaceant; ut adeo omnis humana cognitio reduci ad intuitum debeat directe, aut certe quidem indirecte per quasdam rei notas, quas cognitio continet. *) Hic ergo in ipso limine Critices falsissimam hypothesin tacite insinuat Lectoribus, qua negat, existentiam ullius rei quantavis vi rationis theoreticæ cognosci posse, si ea sensus non afficiat, & sub experientiam non cadat. Esse ergo Deum, non novit theoretica ratio. Objecta non dantur, nisi per sensus? quis hoc dabit Kantio? At, inquit, omnis cognitio reduci ad sensus, atque intuitum debet. Si de primigeneis notis idearum, earumque simplicibus staminibus id intelligit, minime repugno, atque etiam modis omnibus assentior. Sed ex illis nempe, quæ sensu acceptæ sunt, intellectu, rationeque aliæ conformantur ideæ rerum, quæ minime sub sensus atque experientiam cadunt, quasque esse reipsa seu existere, evidentissime demonstrare possumus. Ipse Kantius in tractatu de religione intra rationis limites comprehensa, de angelis bonis & malis non dubitanter differit; nec puto, alios extra se homines in numero machinarum habebit, sed mente præditos credet: ac ne bestiarum quidem motus soli mechanismo adscribet; quibus obsecro sensibus ista cognoscit? quæ ab iis affici organa persentiscit? quomodo eadem intuetur? In progressu operis, quando categorias modalitatis, uti appellat elegantiæ causa, & postulata experientiæ profert, sic statuit: „Quidquid cum materialibus conditionibus experientiæ cohæret, & connexum est, id existit reipsa. Sola quidem rei cujuspiam notio, si res ipsa necdum percepta sensibus, atque animadversa est, non aliud indicat, nisi fieri posse, ut sit aliquando; at perceptio ejusdem, & animad-

„versio

„verſio eandem eſſe reapſe, argumento eſt. Siquid „tamen ſecundum experientiæ leges cohæret, con„nexumque cum illo eſt, quod actu perceptum „fuit, atque animadverſum, tum ſane id ipſum „eſſe & extare, quaſi a priori cognoſcitur, etſi ip„ſummet perceptum ſenſibus atque animadverſum „non ſit. Atque hoc modo ex attractione ferri, „quæ percipi ſenſibus atque animadverti poteſt, „extare materiam magneticam novimus, quæ ipſa „craſſis ſenſibus percipi atque animadverti non poſ„ſit.“ Ita quidem Kantius ſtatuit. Quid ergo prohibet, quo minus ipſi ex hac Kantii propoſitione talia aſſumamus: atqui cum motibus ſpontaneis, quos animadvertimus in beſtiis, intime cohæret principium actuoſum quavis materia præſtantius, cognitione quadam & appetitione præditum, etſi iſtuc in ſenſus non cadat: quid prohibet, quo minus ita aſſumamus: atqui cum actionibus hominum intime cohæret cauſa quædam earumdem, multo nobilior, quam ſint animæ beſtiarum, mens intelligens, provida, rationis & conſilii particeps, actionum ſuarum gubernatrix & domina: quid prohibet, quo minus & hanc principem, graviſſimamque veritatem aſſumamus: atqui cum notione Entis perfectiſſimi, ſeu ut Kantius fatur, realiſſimi, quæ ejusdem poſſibilitatem indicat, nihil intimius cohæret, arctiusque connexum eſt, quam ejusdem ſufficientiſſima exiſtendi ratio, ipſaque exiſtentia: cum idea rerum mundanarum nihil intimius cohæret, arctiusque connexum eſt, quam exiſtentia creatoris, qui rationem, ob quam exiſtant, contineat in ſe, quam ipſamet non continent: atqui cum ordine rerum, quas ſenſibus percipimus, nihil intimius cohæret, arctiusque connexum eſt, quam ſapientiſſima & divina mens, quavis huma-

na potentia prudentiaque infinitis gradibus excellentior, superiorque. Ipsis ergo Kantianis principiis & postulatis kantiana hypothesis convellitur, qua humanæ menti non aliter *objecta dari*, aut tanquam existentia sisti ait, nisi quatenus organa & sensus afficiant, atque intuitum admittant, & experientiæ obnoxia sint.

*) Critik S. 33. Die Anschauung findet nur statt, so fern uns der Gegenstand gegeben ist: dieses aber ist wiederum, uns Menschen wenigstens, nur dadurch möglich, daſs er das Gemüth auf gewisse Weise afficire. — — Alles Denken muſs sich, es sei gerade zu (directe) oder im Umschweife (indirecte) vermittelst gewisser Merckmale, zu letzt auf Anschauungen, mithin bei uns, auf Sinnlichkeit beziehen; weil uns auf andere Weise kein Gegenstand gegeben werden kann.

**) S. 266. Was mit den materialen Bedingungen der Erfahrung (der Empfindung) zusammenhängt, ist wirklich. — 273. Der Begriff vor der Wahrnehmung bedeutet dessen bloſse Möglichkeit. — Die Wahrnehmung aber ist der einzige Character der Wirklichkeit. Man kann aber auch vor der Wahrnehmung des Dinges, und also comparative a priori das Dasein desselben erkennen, wenn es nur mit einigen Wahrnehmungen, nach den Grundsätzen der empirischen Verknüpfung derselben zusammenhängt. — — So erkennen wir das Dasein einer alle Cörper durchdringenden magnetischen Materie aus der Wahrnehmung des gezogenen Eisenfeils.

§. 35. Exposui, quid sit illud, quamque falsum sit: *sensibus, iisque solis objecta dantur;* sed mox addit Kantius: *intellectu autem cogitantur.* Quid ergo? infans & ætas tenera, quæ intellectus usum non habet, cum res objectas avide contuetur,

tur, ſonos haurit, cibum, potum deguſtat, nihilne cogitat? quid ergo *intellectus*, quid *cogitationis* voce comprehendit? ſenſus, inquit, quatenus afficitur modo quopiam, repræſentationes recipit; at facultas repræſentationes ex ſemet producendi, id eſt, ſpontaneitas cognitionis, intellectus eſt: facultas cogitandi de objecto intuitionis ſenſuum, intellectus eſt: generatim facultas regularum, intellectus eſt: ratio vero, facultas principiorum: lato ſignificatu intellectus refertur ad notiones, judicia, concluſiones. *) Dein *cogitare*, quid eſt Kantio? Idem, quod judicare, **) quid *judicare* autem? nihil aliud, quam datas cognitiones redigere ad objectivam unitatem apperceptionis; neque enim ſatis facit recepta vulgo definitio, qua judicium eſſe dicitur perceptio ejus rationis vel relationis, quam binæ ideæ inter ſe habent. Si intellectus, inquit loco alio, generatim in facultate regularum ſita eſt, vis judicandi poni debet in facultate quidpiam datæ regulæ ſubjiciendi, aut diſcernendi, utrum caſu datæ legis quidpiam comprehendatur, an ſecus. ***)

*) Critik. S. 75. Wollen wir die Receptivität unſeres Gemüthes Vorſtellungen zu empfangen, ſo fern es auf irgend eine Weiſe afficirt wird, Sinnlichkeit nennen; ſo iſt entgegen das Vermögen Vorſtellungen ſelbſt hervor zu bringen, oder die Spontaneität des Erkenntniſses, der Verſtand: das Vermögen, den Gegenſtand ſinnlicher Anſchauung zu denken, iſt der Verſtand. Seite 171. Der Verſtand überhaupt iſt das Vermögen der Regeln. S. 169. Begriffe, Urtheile, Schlüſſe begreift man unter der weitläufigen Benennung des Verſtandes.

**) Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik. S. 88. Die Sache der Sinnen ist anzuschauen; die des Verstandes, zu denken. Denken aber ist die Vorstellungen in einem Bewusstsein vereinigen. — Die Vereinigung der Vorstellung in einem Bewustsein ist das Urtheil; also ist denchen so viel, als urtheilen.

***) Critik S. 140. 141. Ich habe mich niemals durch die Erklärung, welche die Logiker von einem Urtheile überhaupt geben, befriedigen können. Es ist, wie sie sagen, die Vorstellung eines Verhältnisses zwischen zwei Begriffen. — Ich finde, dass ein Urtheil nichts anders sei, als die Art gegebene Erkenntnisse zur objectiven Einheit der Apperception zu bringen. — S. 171. Urtheilskraft ist das Vermögen, unter Regeln zu subsumiren, d. i. zu unterscheiden, ob etwas unter einer gegebenen Regel (casus datæ legis) stehe, oder nicht.

§. 36. Congessi hasce vocum definitiones, ut ipsa mens Kantii queat perspici. Id, quod sensus intuetur, intellectu cogitari, judicarique dicitur, dum quis de re sensibus objecta apud se quodammodo ita dicit: *hoc, quod video, est lapis, lignum: quod audio, vox est humana &c.* Prædicata istiusmodi judiciorum seu termini communes a Kantio vocantur *regulæ:* & quia communes & abstractæ notiones ab intellectu efformantur, is dicitur facultas regularum, atque ex se ipso producere repræsentationes: quod ad hasce regulas seu terminos communes refertur, censetur *subsumi* vel *subjici* datæ regulæ, aut termino latius patenti. Non conquerar hoc loco de inutili novatione vocum, & inconstantia loquendi, qua res eadem aliter atque aliter definitur; quod ipsum in disciplinarum institutione vitio vertitur, & in Zenone a veteribus Philosophis, ipsoque Cicerone reprehensum fuit.

Illud

Illud ſtatuo, peccare Kantium in explicanda cogitationis, judiciique vi & natura, & certiſſimæ experientiæ adverſari, quando cogitationem omnem in judicando ſitam ait. Ac primo quid intereſt inter hæc duo: percipere relationem idearum inter ſe, ſeu earum convenientiam, quæ eſt unitatis ratio quædam: & eas redigere ad objectivam unitatem apperceptionis? utroque modo binæ ideæ propoſitæ ſunt, factaque comparatione earum inter ſe ratio & convenientia, ſeu unitas aut diſtinctio animadvertitur. Cur ergo prius illud improbat, & poſterius, quod in idem recidit, quaſi acutius aliis videret, ipſe aſſumit? At mihi quidem utraque judicii explicandi ratio nimis anguſta videtur, atque ad ea tantum judiciorum genera adſtricta, quæ ſtatus definitivi, ut Rhetores loquuntur, propria ſunt. Alia ſunt judicia ſtatus conjecturalis, cum quid eſſe, fieri nunc, fuiſſe, aut futurum judicamus; cujusmodi ſunt: *ningit*, *pluit: ferrum calet. Extitit philoſophus quidam*, *Plato nomine.* Dein alia itidem, quæ ad ſtatum qualitatis referuntur, cum quidqiam non unum eſſe cum altero, ſed cum hoc eſſe connexum perſpicimus. Nec etiam omne judicium in ſubſumtione kantiana ſitum eſt. Sunt enim judicia ſingularia; ſunt, quæ convertibilia nuncupatur, in quibus æque patet ſubjecti, & prædicati idea: *hic*, *qui adproperat*, *Cajus eſt: figura tribus lineis comprehenſa triangulum eſt.* Accedit, quod illa ſubſumtio, quæ ab aliis reductio ad ſpecies vel genera vocatur, judicio mediato fiat e. g. *Quod ſenſibus objectum eſt*, *has*, *& has notas continet: quod autem has & has notas continet*, *hoc nomine appellatur*, vel *ad hanc ſpeciem*, *aut illud genus pertinet*: *ergo id*, *quod ſenſibus objectum eſt*, *hoc nomine appellatur*, *vel*

ad hanc speciem, aut ad illud genus pertinet. Nec refert, quod citra istiusmodi velut ambages res sensibus propositas cognoscamus. Istuc enim fit tum ob ideas & voces frequenti usu jam associatas, tum quod multo celeriores sint operationes mentis, progressionesque ab una cognitione ad aliam, quam ut secernere easdem inter se possimus (fatente ipso Kantio *) perinde uti successionem sonorum sæpissime haud distinguamus, sed una advenire opinemur.

*) Critik S. 359. Weil wir des Schliefsens beständig bedürfen, und es dadurch endlich ganz gewohnt werden, so bemercken wir zuletz diesen Unterschied nicht mehr, und halten oft, wie bei dem sogenannten Betruge der Sinne, etwas für unmittelbar wahrgenommen, was wir doch nur geschlossen haben.

§. 37. Si, ut ostensum est, in regulas artis peccat Kantius anguste nimis, & imperfecte definiendo judicium, in quo altera mentis operatio sita est; gravius etiam errat, & manifestæ experientiæ adversatur, quando cogitationem in judicando reponit. Sensibus, inquit, objecta dantur: intellectu vero cogitantur, id est, regulæ aut conceptui cuipiam ab ipso intellectu efformato subjiciuntur. Sine sensu objecta non darentur, absque intellectu non cogitarentur; cogitatio, quæ intuitum non comprehendit, vacua est; intuitus sine conceptu cæcus est. Unde æque necessarium est, conceptibus intuitum objecti adjungere, quam intuitum conceptui subjicere. *) Quæsivi supra jam, utrum infans, & ætas tenera, quæ intelligendi usum necdum nacta est, maximam tamen aviditatem arripiendi ideas exerit, eoque convertere oculos solet, unde lux affulget, & sonis streperis distinetur, nihil-

hilne cogitet? quid homo mutus ſurdusque intuendo res ante ſe poſitas, hominumque actiones, expers cogitationis eſt, etſi regulis ſeu terminis communibus easdem ſubjicere non didicerit? quoties in contemplatione rei novæ, inexſpectatæ, incognitæ, remotæ defixi ſumus, cogitantes certe quidem, nihil autem judicantes? Eſt hoc ſolius divinæ & perſpicaciſſimæ mentis proprium, ut uno ac ſimpliciſſimo actu intueatur omnia & dijudicet, & intuendo ac judicando velut exhauriat. Humanæ autem cognitionis initium, ac fundamentum eſt *ſimplex rerum apprehenſio*, qua nihil de iis affirmatur, nihil negatur. Sed cogitatio vacua eſt, cui intuitus objecti non adjungitur, & intuitus, qui conceptui non ſubjicitur, cœcus eſt. Ita quidem Kantius; qui, ni fallor, pugnantia loquitur. Cœcus intuitus, quid eſt, niſi intuitus ſine intuitu: perinde uti auditus ſurdus, non eſt, niſi auditus ſine auditu? Siquis ſubſtantiam, ſi vires, ſi radices quadratas, cubicas, alia innumerabilia nominat, eritne cogitatio vacua, id eſt expers cogitationis, & vox inanis perinde uti famoſum το βλιτυρι, φωνη μονον, ου᾽δεν σημαινουσα, quemadmodum Clemens Alexandrinus inquit in fragmentis, quæ liber octavus Stromatum inſcribuntur. Si iſtiusmodi notiones metaphyſicæ v. g. ſubſtantia, vis, cauſa &c. quas cogitandi formas appellat Kantius, vacuæ ſunt ſignificationis, vel cogitationis expertes, quomodo eædem rebus objectis, quas intuemur, attribui, id eſt, tanquam prædicata propoſitionis de ſubjecto quopiam enuntiari poſſunt? profecto enuntiationem prædicati de ſubjecto comparatio eorundem præcedere debet, quæ ſine cogitatione utrique reſpondente nulla eſt; neque enim hoc, quod video, tango, aut quocunque ſenſu perci-

percipio, cum τῳ βλιτυρι comparare possum. Sed piget, in re tam manifesta tempus terere. Si Kantius non novare omnia & rejicere totum id voluisset, quod a viris acutissimi ingenii de disciplina rationali animadversum adhuc, traditumque est, discrimen facere inter ideas intuitivas, & symbolicas didicisset; & si his posterioribus nullus sensuum aut imaginationis intuitus proxime respondet, non propterea tanquam cogitationis prorsus expertes & vacuas declarasset.

*) Critik S. 75. Ohne Sinnlichkeit würde uns kein Gegenstand gegeben, und ohne Verstand keiner gedacht werden. Gedanken ohne Inhalt sind leer. Anschauungen ohne Begriffe sind blind. Daher ist es eben so nothewndig, seine Begriffe sinnlich zu machen (d. i. ihnen den Gegenstand in der Anschauung beizufügen) als seine Anschauungen sich verständlich zu machen (d. i. sie unter Begriffe zu bringen.)

CAPUT IV.

FORMÆ KANTIANÆ

§. 38. Adnotavi de facultate cognoscendi generatim nonnulla contra doctrinas Kantii. Quis enim vel in hoc genere omnia disquirat, atque ad examen revocet, tanto novandi omnia atque emendandi, nescio, an depravandi atque ad præconceptas opiniones accommodandi studio, operisque ipsius gravi mole, & tractationis anfractibus odiosis? Quæ speciatim *sensuum* propria, quæ dein *intellectus*, ac demum *rationis* censet Kantius, ea *Æsthetices*, *Analytices*, & *Dialectices* distinctis nominibus, & tractatibus inscribit. Prima ergo se offert kantiana Æsthetica. Quæ ex impressione remur

rum extrinſecus facta in mente oritur mutatio ſeu imago, latiſſime ab eo *Repræſentatio* nuncupatur: ac ſi conjuncta ſit cum conſcienta ſeu animadverſione, *perceptio*: relata ad mentem, quæ afficitur extrinſecus, ſtatusque modificationem ſubit, *ſenſatio*. Intuitus objecti ex ſenſatione proveniens, *empiricus* vocatur: objectum indeterminatum empirici intuitus, *Phænomenon*. At enim intuitus objectum ſuum reſpiciens proxime, repræſentatio eſt *ſingularis*, habeturque ab ipſo Kantio, *) quomodo ergo objectum ejusdem appellari poteſt *indeterminatum*? Cum res ſingularis omni ex parte ſit determinata. Sed hoc etiam ad præconceptam opinionem refert, qua totum id, quod ſenſus exhibent, non ad rem ipſam in ſe, ſed quatenus nobis repræſentatur, & apparet, referendum putat, uti cum dicimus, inflexionem remi, qui aquis ex parte immerſus eſt, non in ipſo remo, ſed in repræſentatione eſſe. Sic omnia omnino, quæ ſenſibus noſtris exhibentur, non in re ipſa ineſſe, ſed in repræſentatione vel apparentia contineri docet: atque iſtuc eſt, quod per vocem *Phænomena*, (Erſcheinung) contra uſum receptum denotat. Iis opponit *Noumena*, ſeu res in ſe ipſis, quas penitus indeterminatas, nobisque incognitas eſſe aìt, perinde, ut ſunt incognitæ quantitates x, hoc ſolo diſcrimine, quod hæ ope algebræ ſæpe inveniri a nobis, ac determinari poſſint: ad res autem, quales ſint in ſe ipſis, nullus aciei ſenſuum, vel intelligentiæ noſtræ, rationique aditus pateat.

*) Critik S. 376. Die Gattung iſt Vorſtellung überhaupt (repræſentatio). Unter ihr ſteht die Vorſtellung mit Bewuſstſein (Perceptio). Eine Perception, die ſich lediglich auf das Subject, als die Modification ſeines Zuſtandes bezieht, iſt Empfin-

pfindung. (Senſatio) — — Dieſe iſt entweder Anſchauung, oder Begriff. (intuitus, vel conceptus) Jene beziehet ſich unmittelbar auf den Gegenſtand, und iſt einzeln. Seit. 34. Diejenige Anſchauung, die ſich auf den Gegenſtand durch Empfindung bezieht, heiſst empiriſch. Der unbeſtimmte Gegenſtand einer empiriſchen Anſchauung, heiſst Erſcheinung.

§. 39. His præmiſſis explicationibus vocum, ad formas kantianas veniamus. In phænomenis, inquit, ſeu in empirico intuitu duo inſunt, primo *materia*, ſeu id, quod ſenſationi reſpondet; & ab affectione & mutatione ſenſuum pendet: ſecundo *forma*, per quam varia, quæ in phænomeno, ſeu intuitu inſunt, certa ratione ordinantur. Nam id, per quod ſenſationes certum ordinem, formamque obtinent, non iterum ſenſatio eſſe poteſt. Materia igitur *a poſteriori* datur; forma autem *a priori* in mente præjacere, & præparata eſſe debet, & citra omnem ſenſationem cogitari vel conſiderari poteſt. Repræſentatio, quæ nihil continet ſenſationis proprium, *pura* dicitur: erit igitur pura ſenſuum forma etiam *intuitus purus*, cui *empiricus* opponitur. E. g. in repræſentatione *corporis cujusdam* ſoliditas, ſeu impenetrabilitas, color, durities &c. materia ſunt, propriaque ſenſationis: intellectus adjungit prædicata ſubſtantiæ, virium, diviſibilitatis (tanquam formas cogitandi, Denkformen); at extenſio & figura formæ ſunt ſenſuum, & intuitu puro continentur, qui absque præſenti objecto ſenſuum, & citra omnem ſenſationem in animo præſto eſt. *) Admittit igitur hoc loco Kantius intuitus duplicis generis, empiricos, & puros: illi a ſenſatione pendent: & quatenus afficimur ab objectis: hi non item; alio autem loco ait, omnem

nem plane intuitum esse sensuum proprium, & continere modum, quo ab objectis afficimur. **) De formis kantianis multa deinceps disputanda erunt: adscribam ejus verba, quæ omnem earum vim & naturam exprimunt in eo sitam, ut sensationes ipsæ, seu materia repræsentationum empiricarum certa ratione ordinentur.

*) Seit. 34. und 35. In der Erscheinung nenne ich das, was der Empfindung correspondirt, die Materie derselben; dasjenige aber, welches macht, dafs das Mannigfaltige der Erscheinung in gewissen Verhältnissen geordnet werden kann, nenne ich die Form der Erscheinung. Da das, worinnen sich die Empfindungen allein ordnen, nicht wiederum Empfindung sein kann, so ist uns zwar die Materie aller Erscheinung nur a posteriori gegeben: die Form derselben aber mufs zu ihnen insgesammt im Gemüthe a priori bereit liegen, und dahero abgesondert von aller Empfindung können betrachtet werden. &c.

**) Ebendaselbst: Diese reine Form der Sinnlichkeit wird auch selber reine Anschauung heifsen. S. 75. Unsre Natur bringt es so mit sich, dafs die Anschauung niemals anders als sinnlich sein kann, d. i. nur die Art enthält, wie wir von Gegenständen afficirt werden.

§. 40. Generatim nunc quidem hæ formæ, aut umbræ potius formarum discutiendæ sunt. De singulis dein singillatim agendum loco suo. Formas enim formis accumulat Kantius, aliasque sensui affingit, alias intellectui, rationi itidem alias, cassis vocibus, nudis assertionibus, nullo philosophico argumento, nulla sufficiente ratione, nulla philosophandi observata recta methodo. *Quid sint* hæ formæ, si spectantur in se, ipsæque per se, primo respon-

reſponderi debet: dein *qualem* habeant *originem*, unde naſcantur, qua occaſione, & quam varia & multiplici, cum variæ ſint ipſæ & multiplices, proveniant. Forma, inquit, ſita eſt in ordine, aut ſi mavis, coordinatione ſenſationum a ſenſuum affectione pendentium. Atque id quidem de formis ſenſuum aſſerit. Sunt igitur affectiones ſenſuum ſoliditas, durities, vel mollities, gravitas, color, motus, quies &c. corporum; quis eſt, obſecro, ordo, quæ coordinatio, quæ connexio inter haſce affectiones? extenſio, inquit, & figura. At extenſio & figura quid ordinant in complexa repræſentatione corporis, cum mutata extenſione & figura non mutetur continuo ſoliditas, durities vel mollities, gravitas, color, motus vel quies? Sed hæc quidem ſenſus afficiunt, inquit. At ego extenſionem quoque & figuram afficere ſenſus contendo. Aliter enim & oculos & tactum afficit globulus major, aliter minor: aliter figura ſphærica, aliter angulofa, cuſpidata, plana, curva. Sublatis, inquit, affectionibus iis, quæ ad ſenſus eorumque mutationem pertinent, extenſio & figura poſſunt concipi. Dico, imaginationis vi, aut facta per intellectum abſtractione etiam ſublato corpore concipitur extenſio & figura; quo modo etiam in ipſis tenebris ſolem, lunam, flammam, & colorem, & motum mihi repræſento. Ac neſcio, mirabile an abſurdum dicam, iſtiusmodi formarum repræſentationes a Kantio *intuitus puros* vocari; cum ſæpe nihil ſint, niſi idola phantaſiæ, eaque maxime impura, a vera ratione & natura rerum perquam aliena & abhorrentia. Sed Kantius hæret in eo, quod forma ſenſationes ordinet certa ratione (wodurch das Mannigfaltige der Erſcheinungen in gewiſſen Ver-

Verhältnifsen geordnet wird.) Si igitur flammam ardentis domus intueor, si colorem varium, si figuram mutabilem oculis, calorem tactu, exhalationem naribus percipio; quis est, iterato quæro, inter hasce sensationes ordo; cum attentionem nunc ad hanc, dein ad illam pro arbitrio possim convetere; & cum æque magnitudo atque extensio, & figura flammæ sensum afficiat, ac color, calor, exhalatio? In auro præter generales corporum proprietates sensum afficit præcipuum pondus, mira ductilitas, solubilitas in aqua regia, quis iterum ordo, quæ connexio inter hasce proprietates & sensuum affectiones ab ejusdem auri extensione & figura tanquam formis pendens cogitari aut fingi potest, cum altera ab altera nequaquam pendeat, & singulæ demum simplicissimam ideam sibi habeant respondentem, in qua nec forma nec materia aut quidpiam concretum possit distingui? Si formas hasce profecto inanes & umbratiles imperitis philosophiæ tironibus præcinuisset Kantius, qui nihil ipsi judicare possunt, neque voces ab ideis segregare didicerunt, nihil mirarer; nunc autem quis ferat tanta præfidentia easdem proferentem in lucem publicam, ut hypothesi formalitatum suarum genuini, certique systematis vim attribuat, de quo nihil magnopere addubitandum sit? *)

*) S. 63. Die wichtige Angelegenheit unserer transcendentalen Aesthätik ist, dafs sie nicht blofs als scheinbare Hypothese einige Gunst erwerbe, sondern so gewifs und ungezweifelt sei, als jemals von einer Theorie gefordert werden kann, die zum Organon dienen soll.

§. 41. Origo formarum si exquiritur, *a priori* esse easdem vult Kantius. At quo significatu esse a priori dicit? multiplici enim ratione & prius & posterius denominatur, tempore, natura, ratione; a priori metaphysico, physico, logico. Quid sit, argumentum a priori concludere rationis vi, aut ex ipsa mox perspecta idearum ac terminorum ratione ferre judicium, norunt tirones philosophiæ. At sola repræsentatio, aut simplex apprehensio, vel ut Kantius loquitur, intuitus, quomodo a priori est? Ob eam fortassis causam, quod is a sensibus & experientia nullo prorsus modo proveniat? cur ergo innatas non vocat hasce formas, uti Cartesiani ideas nonnullas, quas derivare a sensibus non norant, innatas nuncuparunt? Sed Kantius, præterquam quod nihil more consueto receptoque soleat exprimere, verebatur fortassis, ne argumenta omnia, eaque sane luculenta & invicta Cartesianis olim opposita, contra formas suas velut arma hostilia concitaret, si innatas diceret. Utcunque sit, concedatur hæc nomenclatio Formarum a priori parenti suo, ut res ipsa manifestius confutetur. Est ea relativa, id est, ad quidpiam aliud refertur, quod illa forma posterius aut est, aut fit, aut cogitari debet. Affirmat igitur Kantius non uno loco, per illas formas possibilem fieri experientiam, ut adeo prior esse, aut ante concipi forma debeat, quam sit, aut concipiatur experientia. Non hæc quæstio jam de nomine est, sed de re, eaque non indigna, quæ discutiatur. Sic igitur differit: puro intuitu extensionis & figuræ, in quo formá repræsentationis sensuum sita est, fit possibilis experientia; quia sine intuitu extensionis & figuræ nihil a sensibus repræsentatur: igitur ea forma a priori est. Respondeo 1. Falsum est,

eſt, nihil a ſenſibus repræſentari ſine intuitu extenſionis & figuræ; perceptio enim odoris, ſaporis, famis, ſitis, aliorum dolorum, quæ ſenſuum propria eſt, qualem extenſionem & figuram exhibet? Reſp. 2. dato, non conceſſo, nihil a ſenſibus repræſentari ſine extenſione & figura; non ſequitur, per intuitum earum poſſibiles fieri experientias, tanquam is intuitus *a priori* eſſet neceſſarius ad quamvis experientiam. Nam id, quod ſenſus afficit, *materia* experientiæ vel cognitionis experimentalis dicitur a Kantio: intuitus vero extenſionis & figuræ appellatur *forma.* Porro conſenſu omnium Metaphyſicorum & inductione generali materia a priori requiritur ad inducendam formam, non forma ad materiam. Prius enim concipi debet materia, quæ mutari, formari, certo modo modificari poſſit, quam forma intelligitur in ea recipi; ſic receptivitas ſeu potentia paſſiva Kantiana ſenſuum prior eſt actuali receptione cujusdam repræſentationis. *) Et quia forma illa Kantiana in ordine, vel coordinatione eorum, quæ ſenſus afficiunt, ſita eſt, ipſo hoc ordine prius eſt id, quod ordinatur, aut certa ratione coordinari poteſt. Si dein id omne, quod cum experientia conjunctum eſt ſemper, *a priori* ad eam requiritur; tunc procul dubio repræſentatio unitatis rei cujusque a priori neceſſaria erit ad experientiam. Nam ut Lockius animadvertit. L. II. c. III. §. 26. *Nullum eſt ſenſationis vel reflexionis objectum, quod non ideam unitatis in ſe contineat.* At Kantius unitatem non ſenſuum, ſed intellectus formam eſſe docet, non ratione quadam ſed arbitratu ſuo, & ex ingenio facta diſtributione formarum. Minime ergo valet argumentum hoc: a priori ad experientiam requiritur id, ſine quo experientia eſſe nul-

la poteſt. Fieri enim poteſt, ut tale quidpiam ſit conjunctum cum experientia, ſive *ſimultaneum*, vel ut ſit ejus, quod ſub experientiam cadit, *connotatum*, quemadmodum Scholaſtici loquuntur, majore profecto acumine, ac Kantius de formis ſuis diſſerit; qui ipſo initio operis de origine humanæ cognitionis agens, fieri, inquit, poteſt, ut quod per experientiam cognoſcimus, compoſitum ſit tum ex eo, quod affectione ſenſuum, ſeu impreſſione extrinſecus facta cognoſcimus, tum ex illo etiam, quod facultas cognoſcendi *occaſione* impreſſionum, quæ in ſenſus fiunt, ex ſe ipſa naturaliter adjungit. **) Sic & Carteſiani ideas innatas, cum menti non obverſarentur perpetuo, *occaſione* aliarum idearum ſuſcitari velut ſopitas affirmarunt. Inanis hæc vox eſt loco iſto, quacum conjungi nulla notio poteſt, niſi quod ideæ quædam nunc adſint, alio tempore non adſint; ſed cur & quomodo adſint, minime explicatur. Cum formæ ſolius extenſionis ac figurarum multiplices ſint, & perquam differentes, etiam occaſio illa Kantiana multiplex eſſe, & generum perquam differentium deberet; quod non explicat Kantius, nec unquam explicare poterit. Sed de formis ſatis dictum eſt generatim: ad ſpecialia progredior.

*) S. 42. Die Receptivität des Subjects, von Gegenſtänden afficirt zu werden, gehet nothwendiger Weiſe vor allen Anſchauungen dieſer Objecte vorher.

**) Critik Seite 1. Es könnte wohl ſein, daſs ſelbſt unſere Erfahrungskenntniſs ein Zuſammengeſetztes aus dem ſei, was wir durch Eindrücke empfangen, und dem, was unſer eigenes Erkenntniſsvermögen (durch ſinnliche Eindrücke bloſs veranlaſst) aus ſich ſelbſt hergiebt.

CA-

Caput V.

Kantiana sensuum externorum forma, intuitus spatii.

§. 42. De formis sensuum in hunc modum differere instituit Kantius. Sensus *externus* res objectas, quibus afficitur, nobis exhibet positas extra nos, easque in *spatio*. Earum figura, magnitudo, relatio mutua in spatio determinata est, aut determinari potest. Sensus *internus* nullam quidem ipsius animæ intuitionem offert; at statum ejusdem sub forma quadam repræsentat, certa nempe *temporis* ratione; id autem tempus intueri extrinsecus non possumus, uti nec spatium intra nos. Illud nunc quæritur, quid *spatium*, quid *tempus* sit; utrumne res, quæ vere existunt, an determinationes, & relationes rerum, quæ tribui hisce possunt, etsi eas non intueamur? an potius pro formis ipsarum intuitionum haberi debent, quæ ita proveniant ex ipsa mente nostra, & facultate intuendi, ut sine hac facultate & absque ejus intuitu rebus ipsis tribui minime possint, nec iis conveniant omnino? His præmissis de *spatio* ita statuit, ut sequitur.

§. 43. *a*) Spatium non est *conceptus empiricus*, qui derivari ab experientia rerum externarum possit. Quæ enim extra nos posita, & alterum extra alterum repræsentantur, eo ipso diversis jam collocata locis exhibentur; quod fieri non potest, nisi præconcepta spatii repræsentatione.

b) Concipi non potest, spatium esse nullum, etsi concipi possit, res esse nullas. Ut igitur re-

præsentari quidpiam possit, quod sensus afficit, prior esse debet repræsentatio spatii.

c) Spatium non est *conceptus discursivus*, seu communis de relationibus rerum inter se, sed intuitus purus; quia unum unicum est spatium, in quo omnes partes insunt; quæ non sunt, nisi variæ ejus determinationes, seu circumscriptiones.

d) Spatium est quantitas seu magnitudo infinita, cujus omnes partes simul sunt. Nullus autem conceptus notas partiales continet infinitas. Spatium igitur non est *conceptus*, qui ad intellectum pertineat sed intuitus a priori. Hinc principia geometriæ e. g. in triangulo quævis bina latera simul sumta, majora sunt uno tertio, non ex conceptibus lineæ vel trianguli, sed ex intuitu a priori derivantur, & apodicticam firmitatem obtinent.

e) Spatium igitur nullam omnino proprietatem rerum, quales sunt in se ipsis, neque eas secundum mutuam quandam inter se relationem representat, id est, spatium non est determinatio rerum neque absoluta, neque relativa, quæ manere posset sublata earum intuitione & subjectiva intuendi conditione; sed est forma sensuum, qui aliter res intueri non possunt, nisi in spatio, sive extra se positas, Propositio hæc: *res omnes in spatio existunt extra se & juxta se positæ*, vera non est, nisi sub hac restrictione: *quatenus eas intuentur sensus nostri.* At si dicam: *res omnes extrinsecus apparent juxta se & extra se positæ*, absolute & generatim vera est. Admittitur ergo *realitas* spatii, quatenus res nobis apparent. At *idealitas* spatii asseritur, quatenus res in se ipsis vi rationis considerantur. *)

*) S. 42. Der Raum ſtellet gar keine Eigenſchaft einiger Dinge in ſich, oder ſie in ihrer Verhältniſs auf einander vor. — Weder abſolute, noch relative Beſtimmungen, — — iſt nichts anders, als pur die Form aller Erſcheinungen äuſserer Sinne, d. i. die ſubjective Bedingung der Sinnlichkeit. — Gehen wir von der ſubjectiven Bedingung ab, unter der wir allein äuſsere Anſchauung bekommen, — — ſo bedeutet die Vorſtellung von Raum gar nichts. — — Der Satz: Alle Dinge ſind neben einander im Raum, gilt unter der Einſchränkung: wenn dieſe Dinge als Gegenſtände unſerer ſinnlichen Anſchauung genommen werden. Füge ich hier die Bedingung zum Begriffe, und ſage: Alle Dinge, als unſere Erſcheinungen ſind neben einander im Raum, ſo gilt dieſe Regel allgemein, und ohne Einſchränkung. Unſere Erörterung lehret demnach die Realität (d. i. die objective Gültigkeit) des Raumes in Anſehung alles deſſen, was äuſserlich als Gegenſtand uns vorkommen kann; aber zugleich die Idealität des Raums in Anſehung der Dinge, wenn ſie durch die Vernunft an ſich ſelbſt erwogen werden.

§. 44. Ordiar reſpondere Kantio ab ultimo Articulo de *apparente realitate*, & *vera idealitate* ſpatii, extenſionis, magnitudinis, ac figuræ, quæ infinitis modis variari poteſt. Sic enim apertior fiet auctoris mens, majoremque vim & perſpicuitatem nanciſcetur confutatio abnormium aſſertionum, quæ omnem prope tollunt ſenſuum veritatem. Et quia Kantius a Philoſophis aliis vulgo diſtingui ait inter id, quod ſenſibus apparet, & id, quod eſt reipſa, exponam primo, quid & quatenus tradant alii de apparentia rerum, quid de veritate. Docent igitur, in uſu ſenſuum, rationem eſſe habendam *organorum* corporis, ſive ipſorum ſenſuum, utrumne ſani & valentes ſint; dein *me-*

dii, five corporis inter fenfus, remque perceptam interjecti: denique *pofitionis* & diftantiæ, quam res fenfibus percepta obtinet. Ex quibus intelligitur, cur affectis morbo icterico objecta corpora appareant flava: cur remus fractus, cur turris angularis, eminus rotunda, & Saturnus, qui lato annulo circumdatur, certis pofitionibus anfulatus confpiciatur. Dein difcrimen a Philofophis fit inter qualitates *formales*, & *objectivas* corporum fenfibilium. Nam id, quod menti obverfatur, cum oculis colorem rubrum aut viridem, auribus fonum gravem, vel acutum, naribus odorem gratum vel moleftum, palato faporem dulcem vel amarum, tactu calorem aut frigus percipimus, id, inquam, quod tum menti obverfatur, haud fane ineft in rebus ipfis, non magis, quam dolor in ferro candente, aut naufea in pharmaco. Nec tamen ob hanc caufam dicendum eft cum Kantio, res ipfas, quales fint in fe, penitus a nobis ignorari, aut effe inftar quantitatis incognitæ x, cujus valor inveniri nequaquam poffit. Si rebus ipfis affectiones illas & perceptiones, quarum confcii nobis in fenfuum ufu fumus, attribuere haud poffumus: at neceffario attribuimus ipfis vires feu potentias, iftiusmodi affectiones & perceptiones excitandi in nobis; atque illis dein refpondentia ipfis perceptionibus nomina imponimus e. g. objecti rubri, viridis, fonori, bene vel male olentis, dulcis, amari, calidi, frigidi. Si in naturæ cognitione non indulgere ingenio & imaginationi, ac confectari umbras velimus Kantiano more, fed naturam ipfam explorare fagaciter, & ad ea, quæ in fenfus incurrunt per fe vel adhibito artificio, adjungamus rationis vim, neceffe eft, ut corporum qualitates triplicis generis effe ftatuamus, atque in his

his ipsis secernamus proprietates corporum *relativas*, ex compositione & contextu elementorum, viriumque, quibus instructa sunt elementa, pendentes, & *absolutas*, quæ ipsis elementis inesse debent, nulla conjunctionis habita ratione. Sunt ergo primo *qualitates primariæ*, quæ eædem manent, nec a perceptione quadam & facultate percipiendi, vel ut Kantius loquitur, a conditione subjectiva pendent; cujusmodi sunt soliditas seu impenetrabilitas, extensio, figura, mobilitas, motus, viresque efficiendi certos motus. Fidenter itaque dicimus, quod non item docet Kantius, tellurem nostram definitæ magnitudinis esse, & figuræ: moveri, viresque exercere in lunam, aliaque corpora planetarii systematis, etsi nemo cogitaret quidquam de tellure, aut persentisceret de qualitatibus illis primariis. Sunt dein qualitates rerum, quas *secundas* nuncupamus, quæ in potentiis sitæ sunt ope primariarum qualitatum varii generis perceptiones in nobis efficiendi, quas supra enumeravi, atque has objectivas corporum qualitates dicimus, ut a formalibus distinguamus, quas in ipsis perceptionibus per illas effectis collocamus. Insunt denique in corporibus qualitates mutandi texturam, statumque aliorum corporum, ut aliter, quam prius, afficiant sensus; uti fit in operationibus chemicis, aut cum calor indurat lutum, liquefacit ceram: cum æstate albescit messis, & in autumno flavescunt arborum folia; atque istiusmodi qualitates mediate ex effectibus, & ex mutato statu sensibili corporum percipimus; idcirco *potentiæ meræ* solent nuncupari.

§. 45. Hæc ſunt recentioris Phyſices placita, nec ea magnopere difficilia captu. At Kantius nullas agnoſcit primarias qualitates, nullam extenſionem corporum, aut particularum materiæ, nullam figuram, molem, nec compoſitionem earum, quæ ſine certo ſitu earundem concipi non poſſet. Totum refert ad ſubjectivas conditiones ſenſuum, & formas ſenſuum appellat, non qualitates & proprietates rerum, de quibus nihil plane a nobis cognoſci poſſe contendit. Hinc vocem hanc; *Phænomenon* (Erſcheinung) ſemper relative ſumit, non qua res aut mutationes rerum exhibentur, quales ſunt in ſe ipſis, etſi nemo eas perciperet ſenſibus; ſed qua repræſentationes noſtræ conſtantes pro omni uſu ſenſuum rerumque poſitione ſecundum generalem experientiam indicantur. Alii, inquit, iridem, quam pluente cælo ſol efficit aliquando, pro mero phænomeno aut apparentia habent: pluvias autem pro re vera, quæ a ſenſibus non pendet. At ſi de re ipſa quæritur, non tantum ipſæ guttæ pluviæ, meræ apparentiæ ſeu phænomena ſunt, verum etiam globoſa earum figura, atque adeo ipſum ſpatium, in quo decidunt, nihil ſunt in ſe ipſis, ſed meræ modificationes, aut originariæ diſpoſitiones intuitionis ſenſuum: res autem ipſa incognita manet. *) At enim iridem non eſſe depictum in cælo diſcolorem arcum, ſed a ſolis radiis pendere, rudiſſimus quisque facile inducet in animum, neque eam denſa noctis caligine requiret unquam; & ſicut ſublata luce nihil eſſe conſpicuum, ſic neque coloratum, haud ægre ſibi perſuadebit. At quod pluviis cadentibus per ſolas ſenſuum modificationes & intuitiones madefiat quis, & terra fæcunditatem acqui-

quirat, & plantæ irrigentur, torrentes increscant; quis sanus, siccus an madidus sit, affirmabit?

*) S. 63. Wir nennen zwar den Regenbogen bei einem Sonnenschein eine blosse Erscheinung: diesen Regen aber die Sache an sich selbst. — — Fragen wir uns aber, ob dieses auch einen Gegenstand an sich selber vorstelle, — — so sind nicht allein diese Tropfen blosse Erscheinungen, sondern selbst ihre runde Gestalt, ja sogar der Raum, in welchem sie fallen, sind nichts an sich selbst, sondern blosse Modificationen oder Grundlagen unserer sinnlichen Anschauung; das transcendentale Object aber (die Sache an sich selbst) bleibt uns unbekannt.

§. 46. At hoc quidem modo tollitur veritas rerum, nec quidquam relinquitur, nisi mera apparentia & universalis illusio non oculorum, sed omnium plane sensuum. Hac præoccupatione utitur Kantius, ac respondet in hanc sententiam. Prædicata *Phænomenorum* rei ipsi tribui possunt relate ad sensus e. g. rosa est odorifera, coloris rubei. At prædicata *apparentiæ* vel *illusionis*, qui rei *tantum* competunt relate ad sensus vel subjectum, quod percipit quidpiam, eidem attribui non possunt. Hinc vere dici nequit: Saturnus ansas habet. Ita suo arbitrio phænomena, & illusionem definit Kantius. *) Nec inter hæc duo quidquam discriminis perspiciet lector, nisi quod alterum ab altero tollitur. *Phænomena rei ipsi attribui possunt relate ad sensus: at meræ apparentiæ attribui rei non possunt, quia eidem tantum conveniunt relate ad sensus vel ad subjectum, quod sentit, aut percipit quidpiam.* Dico: Odor & color ruber attribuitur rosæ in se, intelligendo *qualitatem objectivam,* qua

qua perceptio odoris aut coloris in nobis efficitur: non tribuitur autem rosæ ipsa perceptio odoris vel coloris, seu *qualitas formalis.* Addit Kantius: id, quod in re ipsa nullo penitus modo inest, sed semper in ejusdem relatione ad sensum, & ad subjectum sentiens continetur, ac præterea a repræsentatione rei abesse & seperari neutiquam potest, id (inquit) non *illusio aut mera apparentia*, sed *phænomenon* est. At ego pro certissimo habeo, id non esse *phænomenon* (si recepto significatu vocibus uti, non autem ludere velimus) sed esse illusionem & meram apparentiam, eamque ex doctrina Kantii naturalem, necessariam, perpetuam & immutabilem; qua fit, ut res extra se vere in spatio positas, extensas, certis præditas figuris, & magnitudinum modis affectas esse, judicemus nemine de iis cogitante, aut quoquo sensu de iis quidpiam percipiente: quæ tamen omnia nihil penitus esse extra repræsentationem nostram & sensum, docet Kantius. Equidem scire percuperem, qualem *relationem* inter res ipsas sensum afficientes, & inter ipsum sensum, quem afficiunt, fingat Kantius, si rem ipsam penitus ignotam censet, & spatium, extensionem, magnitudinem, figuram non esse reipsa, & extra subjectum sentiens nullibi esse, affirmat. Id, inquit, quod nullo modo in re est, at semper *in relatione rei ad subjectum* continetur, phænomenon est. Inanes hæ voces *relationum* sunt, quibus nullam ipse ideam vel cogitationem subjecit, nisi literarum & syllabarum, quas in charta exaraturus erat. Similis vanitas vocabulorum est, qua *realitatem objectivam* spatii admittit, quatenus res extra nos in spatio nobis apparent. (§. 42. lit. e.) Totum enim hoc, quod *reale* vocat, penitus ideale est: in sola re-

præ-

præsentatione est: in re ipsa sensibus repræsentata nullo modo est. **)

*) Critik S. 69. Die Prædicate der Erscheinung können dem Objecte selbst beigelegt werden, in Verhältniss auf unseren Sinn, z. B. der Rose die rothe Farbe, oder der Geruch. Aber der Schein kann niemals als Prædicat dem Gegenstande beigelegt werden; eben darum, weil er, was diesem nur in Verhältniss auf die Sinne, oder überhaupt auf das Subject, zukömmt, dem Objecte selbst beileget z. B. die zwei Henkel, die man anfangs dem Saturn beilegte.

**) Critik S. 42. Gehen wir von der subjectiven Bedingung ab, unter welcher wir allein äussere Anschauung bekommen können, so wie wir nämlich von den Gegenständen afficirt werden mögen, so bedeutet die Vorstellung vom Raum gar nichts.

§. 47. Illusionem igitur & deceptionem perpetuam, universalem, necessariam & naturalem humano generi affingit Kantius, quod, cum solis repræsentationibus suis revera destineatur, tamen res ipsas a se tractari, cognoscique putat. *) Quis unquam repræsentationes suas esse extensas instar montis, quis figuratas, planas, curvas, angulares, sphæricas, polyedricas existimavit? Quis longo itinere fatigatus, præcipiti fuga deficiens, dimovendis ponderibus insistens, naves onerarias propellens remis, cum solis repræsentationibus rem sibi esse credidit? Fit necessario naturæ ductu, ut talia ad res, quæ sunt extra nos positæ, non ad eas, quæ in animo sunt, repræsentationes referamus; nec credo, ipsos fidem adhibere verbis suis, qui aliter loquuntur, aliudve persuadere humano generi adlaborant. Plebeja hæc argumenta sunt, inquiet,

quiet, & rudi plebeculæ propria. At dicat, quid emolumenti Kantiana ſapientia ſit allatura adoleſcentibus, qui ſcilicet totum, quod volent, ad inanes repræſentationes referent, nihilo tamen minus ſenſibus & cupiditatibus ſuis indulgebunt; cumque dein mederi conſcientiæ morſibus, acerbisque vulneribus volent, uſuveniet profecto, ut graviſſimas chriſtianæ religionis veritates ad meras repræſentationes & inania phantaſmata rejiciant. Fuere inter veteres Hæreticos, qui Chriſtum in carne apparuiſſe dicerent, vera autem carne, veroque corpore fuiſſe indutum, negarent, ob eam cauſam *Phantaſiaſtæ* nuncupati. Si id ipſum, quod ſenſibus exhibetur, objectum in ſe ſpectatum, ſeu tranſcendentale, ut vocat Kantius, re vera extenſionem nullam habet; quid de Kantio ſenties, niſi eſſe ipſum Phantaſiaſten tranſcendentalem?

*) Critik Seit. 62. Wir glauben, Dinge an ſich zu erkennen, ob wir es gleich überall (in der Sinnenwelt) ſelbſt bis zu der tiefſten Erforſchung ihrer Gegenſtände mit Nichts, als Erſcheinungen zu thun haben.

§. 48. Sed pugnat Kantius ipſe ſecum. Duas tantum ſenſuum formas ſtatuit, ſpatium, ac tempus. Ad ſpatium refert omnem extenſionem, magnitudinem, figuram; quæ nihil ſint extra ſenſuum repræſentationem. Alias ſenſationes ceu coloris, duritiei vel mollitiei, ſoliditatis, ponderis, caloris vel frigoris, mobilitatis ab impreſſione extrinſecus facta ſeu a poſteriore repetit, ex iisque ſenſationibus conceptus empiricos rerum exiſtere affirmat: quid tamen eæ res ſint in ſe ipſis, nullo modo cognitum nobis eſſe: id eſt, objectum tranſcendentale manere

nere ignotum x, cujus valor inveniri haud possit. At enim sensationes illæ colorum, ponderis, soliditatis, mobilitatis, certe diversæ sunt; igitur & impressiones, ex quibus pendent, itidem diversæ; & quoniam eædem sensationes non sunt, nisi passivæ receptiones impressionum, necesse erit, ut diversis receptionibus passivis pariter diversæ respondeant actiones, seu vires actuosæ. Est igitur in rebus, quas sentio, aliquid, quod sensationem coloris, aut frigoris &c. efficiat. Ex istiusmodi affectionibus rerum sensu perceptis efformamus complexas ideas corporum; quomodo igitur manet ignotum x? Sumat quis lapidem in manus; sensu & experientia discit, esse fossile durius, quod non liquatur igne, sed in vitrum aut calcem abit, aut etiam indurescit: quod atteri potest, sed ductile non est; si dein idem hisce omnibus sensu perceptis, & ultro concessis, perpetuo vociferaretur: quid lapis sit in se, plane incognitum est. Similiter de metallis, salibus, corporibus aliis, & de corpore generatim disseri potest. Quis non lymphaticum crederet, talia, quæ sentit, affirmantem, & eodemque tempore suum ignotum x repetentem identidem? Unum addam. Si reliqua omnia, excepto spatio & tempore, sensus nostros afficiunt, & extrinsecus impressionem faciunt in organa sensuum; ceu durities, mollities, ductilitas, fusilitas, calcinatio &c; jure petimus, ut explicet Kantius, quomodo talia sine vera extensione percipi, aut cogitari omnino possint? Et quænam demum concipi possunt organa, nisi ex partibus & apte dispositis inter se, & positis extra se?

§. 49.

§. 49. Hactenus id curavi maxime, ne dubium relinqueretur de mente Kantii, qua ſpatium, extenſionem, magnitudinem, figuras corporum reipſa tollit, ac ſoli repræſentationi, tanquam ſenſuum formas attribuit. Tam enim iſtuc a communi hominum ſanorum judicio abhorret, ut popularem fieri poſſe iſtiusmodi philoſophiam, ipſe neget. At opinione quidem mea ſi comprehendere animo aut verbis explicare non potuit, quid demum ſpatium ſit; aut unde id exiſtat, in quo collocatum adſpectabilem hunc mundum intuemur, ſatius erat, fateri ignorantiam, quam in tantam, ut ita dicam, voraginem abſurdarum opinionum præcipitem ſeſe dare. Sed audienda ſunt argumenta, quibus adductum ſe ad ſenſuum formas a priori inducendas docet. *Spatium*, inquit, *conceptus empiricus non eſt, qui ab experientia externa poſſit abſtrahi.* *) Eccur non? *Reſiſtentiæ* & *ſoliditatis* conceptus certe empiricus eſt, indeque prima corporum repræſentatio accipitur: neque Kantiana forma opus eſt, ut nullam eſſe reſiſtentiam, nullam ſoliditatem, hoc eſt, ut eſſe ſpatium, percipiatur. Sentimus ſane, ſiquid manui, aut pedi reſiſtit: ceſſante ea reſiſtentia, ſpatii inanis conceptus oritur; neque enim aeris, cum haudquaquam nobis reſiſtat, ratio habetur. Dein conceptus motuum certe empiricus eſt; at ei conceptui ita innexa eſt ſpatii repræſentatio, ut tolli non poſſit, niſi una & motus tollatur. Viri quidam acuti, qui primigenias hominum ideas, earumque inde a prima infantia originem perſcrutari conati ſunt, non temere judicarunt, tenues quasdam reſiſtentiæ, & extenſionis & caloris, & motus ideas ex ipſis anguſtiis & motibus materni uteri in animam fœtus tan-

tanquam in tabulam rasam irrepere. Kantius in eo etiam hallucinatur, quod spatii & extensionis formam a priori esse putat. Profecto prior est conceptus realitatum, quam negationis earundum; igitur & prior conceptus resistentiæ atque extensionis, quam negationis earundem, seu spatii.

*) Seit. 38. Der Raum ist kein empirischer Begriff, der von äusseren Erfahrungen abgezogen worden.

§. 50. Debui præmonstrare viam, qua spatii repræsentatio naturali sensuum usu, proindeque ab experientia adveniat hominibus, ne quod scilicet effugium pateret Kantianis formis; quamquam si id satis explicari haud posset, non continuo sequeretur, spatium nihil esse, nisi sensuum formam, eam a priori inesse in sensibus. Sed Kantius contra disserit hisce verbis: ut sensationes referam ad aliud extra me positum, alio scilicet spatii loco positum, quam ipse sim, itemque ut res alias non diversas tantum, sed extra se & juxta se, hoc est, alio atque alio collocatas loco valeam mihi repræsentare, necesse est, ut repræsentatio spatii quodammodo jam præstructa in mente sit.*) Respondeo. 1. Magnopere differunt duo hæc: *hoc*, *illud inest in re repræsentata*, &: *hoc*, *illud inest in repræsentatione seu conceptu formali rei.* Quæ extra se & juxta se aliis collocata locis repræsentantur, ea nec sunt locis indeterminatis posita, nec repræsentantur locis indeterminatis posita; sed alterum comparate ad alterum dextrorsum vel sinistrorsum, sursum vel deorsum, antrorsum vel retrorsum; num igitur hasce etiam relationum repræsentationes in animis infantium inesse dicemus? At nullo id experimen-

mento, nulla probabili ratione affirmari poteſt. Dein aliter ſenſus infantium, aut ſi mavult Kantius, etiam beſtiarum e. g. canis aut felis afficiunt candelæ duæ, tresve, quam candela una; anne etiam numerorum idea in facultate ſentiendi præſtructa dicetur? quis affectiones rerum omnes ſeu abſolutas ſeu relativas, ſi res ipſæ repræſentantur, in ipſa etiam repræſentatione formaliter contineri aſſeret? Reſp. 2. Si cum eo, quod repræſentatur, etiam loci aut ſpatii repræſentatio fit; quid opus eſt, ut loci vel ſpatii repræſentatio jam præſtructa ſit in ſenſibus? cur altera repræſentatio alteram non comitari, cur non cum ea concurrere & tempore eodem advenire poſſit? Si intuear navem ſecundo flumine devectam, & una fluvium intuear; num repræſentatio fluvii jam præſtructa erit in ſenſibus, aut repræſentatio ſcamni, ſi ſedentem in ſcamno Titium conſpiciam?

*) Seit. 38. Damit gewiſſe Empfindungen auf Etwas auſser mich bezogen werden (d. i. auf etwas in einem andern Orte des Raumes, als darinnen ich mich befinde) ingleichem damit ich ſie als auſser, neben einander, mithin nicht bloſs verſchieden, ſondern als in verſchiedenen Orten vorſtellen könne, dazu muſs die Vorſtellung des Raumes ſchon zum Grunde liegen.

§. 51. Alterum Kantii argumentum hoc eſt: concipi nunquam poteſt, ſpatium eſſe nullum; at concipi poteſt, res eſſe nullas, quæ ſpatium impleant: ſpatii igitur repræſentatio a priori eſt, & conditio poſſibilitatis phænomenorum. *) Reſp. Utrumque falſum eſt, & quod ponitur, & quod concluditur ex poſito. Sane ſæpe dicimus, ſpatium nullum eſt in amphitheatro; quia conferta jam multitu-

titudo adest: nullum pro libris spatium, quia plena sunt scrinia. Si igitur spatium, quod dicimus repletum seu plenum, designatur termino communi; cur non etiam vacuum, eidem respondens, & æquale? Siquis inde a prima ætate sic undique coarctatus esset, ut ubivis resistentiam reperiret, nec movere se aut motum persentiscere posset, non magis spatii ideam, quam cæcus de coloribus haberet. Qui autem primo spatii conceptu jam informatus ejus notionem abstraxit ex rebus extensis, utique concipere non poterit, spatium esse nullum, etsi res esse nullas cogitet. Ubi enim nihil resistentiæ concipitur, cogitare tamen debet, possibile esse, ut aliquid resistat h. e. ubi nullum *actu* positum corpus cogitat, tamen *posse* aliquod poni, prioribus experimentis meminit. Porro fieri non potest, ut quod possibile cogitat, id cogitet non possibile; uti fieri non potest, ut sublatis rebus numeratis etiam numerus tollatur. Recte igitur sic definitur in Ontologia seu Philosophia prima: Spatium est relatio vel ordo coexistentium, quatenus coexistunt *actu*, si de spatio reali sermo est, vel *potentia;* quo casu intelligitur spatium abstractum, quod recepto jam nomine *imaginarium* nuncupatur; uti in Arithmetica numerus numerans, & numerus numeratus solet statui. Resp. 2. Nulla est inter hæc connexio: cogitari non potest, spatium esse nullum: ergo spatii repræsentatio a priori est. Præterea plurimis sensationibus e. g. odoris, caloris, nulla plane spatii idea adjuncta est; qua ergo ratione spatium universe pro conditione possibilitatis phænomenorum omnium sumitur?

*) S. 38. Man kann sich niemals eine Vorstellung davon machen, daſs kein Raum sei; ob man sich gleich ganz wohl denken kann, daſs kein Gegenstand darinn angetroffen werde. Er wird also als die Bedingung der Möglichkeit der Erscheinungen, und nicht als eine von ihnen abhängende Bestimmung angesehen, und ist eine Vorstellung a priori, die nothwendiger Weise äuſseren Erscheinungen zum Grunde liegt.

§. 52. Tertii argumenti vis & sententia hæc est. Spatium non est conceptus discursivus, sive ut ajunt, *cummunis*, exhibens relationes seu positiones rerum in genere, sed est intuitus purus; etsi enim nominentur multa spatia, tamen ea nihil sunt, nisi partes unius, ejusdemque unici spatii, non quæ a priori requiruntur ad efficiendum *totum* spatium, sed quæ in uno unico insunt & continentur. Præterea spatium instar quantitatis datæ *infinitæ* repræsentatur. Porro conceptus aliquis (seu notio intellectus propria) applicari is quidem rebus infinitis potest, non tamen continere notas aut repræsentationes partiales infinitas. *) Resp. Spatii ergo repræsentatio non est conceptus vel notio communis, sed singularis, unicum idque infinitum spatium exhibens; id verum esse aio, si spatium sumitur ad designandam notionem *factitiam & complexam omnium possibilium spatiorum*, quæ indefinite cogitari possunt; tum enim in singulis determinatis spatii utique non inest notio complexa *omnium* possibilium spatiorum. At idem falsum omnino est, si spatium adhibetur ad indicandam repræsentationem adventiam & originariam spatii, quam de illo primum acquirimus. Quamprimum enim nullam resistentiam tactu reperimus, aut distantiam corporum etiam visu animadvertimus, animo concipimus spa-
tii

tii ideam, certe non unius & infiniti (quod enim prima pueritia spatium infinitum sibi repræsentet, æque a specie veri abhorret, ac quod notionem habeat calculi differentialis aut integralis) sed spatii finiti ac limitati: vi illius ideæ repræsentatur spatium *ibi* ac tum, quando moventur membra, spatium in cubiculo, spatium in domo, spatium in amphitheatro, in scriniis, in cista, in crumena. Hæc spatii notio sane communis est, sive ut Kantius novissime loquitur, discursiva, quæ nomine *appellativo* ut grammatici loquuntur, non *proprio* exprimitur. Qui primo prospectum obtinent liberum, quaquaversus patentem, cui nihil officiat, quodammodo protendere incipiunt spatii ideam, longaque nec vulgari meditatione opus est, ut imaginaria illa spatii unius, ejusque infiniti idea in animo informetur; ac ne illa quidem aliter concipitur, nisi assumtam quamvis dimensionem iterando, seu ampliando, sicut cogitetur, fieri non posse, ut nihil addatur, vel ut ea dimensio aut quævis alia cogitando iterari non possit. Quæ, obsecro, facultas sentiendi, quis visus, quis auditus, gustus, odoratus, aut tactus repræsentationem spatii *infiniti* poterit efficere, quæ a communi etiam *intelligentia* hominum abest? Spatium, inquit Kantius, non est notio communis; quia sumi potest pro complexione spatiorum, tanquam unicum & infinitum. Sed hoc quidem modo nec *humana natura* erit notio communis; quia sumi potest pro *toto humano genere*, in quo singuli homines non tanquam partes a priori requisitæ totum humanum genus constituant, sed in eo jam insint. Est hoc proprium cujusvis notionis aut termini *communis*, idque a Scholasticis *totum potentiale* dictum est; quia ejus partes, etsi

 unico

unico vocabulo comprehendantur, nunquam possunt omnes existere (quod tamen fit in toto physico ceu corpore, domo, horologio) & quia ultra omnes determinate assignabiles, aliæ atque aliæ cogitari possunt; quæ quidem res incidit in notionem infiniti syncategorematici, de quo multa acute, vereque, atque ad explicandas quasdam notiones accommodate disputare solent Scholastici.

*) Seit. 39. Der Raum ist kein discursiver, oder wie man sagt, allgemeiner Begriff vom Verhältnisse der Dinge überhaupt, sondern eine reine Anschauung. Denn erstlich kann man sich nur einen einzigen Raum vorstellen. — — Die Theile können auch nicht vor dem einigen allbefassenden Raum, gleichsam als dessen Bestandtheile (daraus seine Zusammensetzung möglich sei) vorher gehen, sondern in ihm nur gedacht werden. Er ist wesentlich einig; das Mannigfaltige in ihm, mithin auch der allgemeine Begriff von Räumen überhaupt, beruht lediglich auf Einschränkungen. — Der Raum wird als eine unendliche gegebene Grösse vorgestellt.

§. 53. Sed doctrina Kantii ipsa se evertit perpetuo. Nam *primo.* Loquitur is (neque enim potest aliter) de spatio *objective*, tanquam extra se existente, vocatque unum & infinitum, proindeque etiam immobile: admittit motum rerum in spatio, ejusque conceptum dicit empiricum, a quo repræsentatio spatii dirimi nequaquam potest; ac tum post hæc omnia spatium, ejusque omnes determinationes, dimensiones, magnitudines nihil esse docet, nisi sensuum formas. Quid ergo? hanc formam unam esse dicet & infinitam in omnibus sensibus, & in sensibus omnium animantium? *Secundo.* Ipsum

Ipsum se, uti alia omnia, proindeque & sensus suos, & sensuum modificationes in spatio uno & infinito contineri & inesse ait. Num igitur, si spatium nihil est, nisi sensuum forma, spatium in spatio inesse cogitat, & locum in loco, aut quod æque absurdum est, formam in forma? *Tertio.* Dimensiones ac figuras geometricas spatii unius determinationes appellat: eas autem dimensiones tanquam motu genitas, posse & solere concipi, adeo non ignorat, ut lineam non aliter, nisi fluxu puncti prognatam dicat. At hoc quidem modo spatium & determinatio spatii in spatio immobili movebitur? *Quarto.* Principium illud geometricum: in triangulo bina quævis latera tertio majora sunt, non ex notione lineæ rectæ aut trianguli, sed ex intuitu derivari affirmat. Quod quidem evidentissime falsum est. Intuitus enim, quem sensus aut imaginatio sistit, nequaquam lineam mathematicam, quæ in longum duntaxat protensa, nec lata nec crassa sit, exhibet consensu omnium, sed talis vi intellectus ope abstractionis efformari debet. Ac si tum nunquam adest phantasiæ imago, id indicio est, abstractam intellectus ideam a sensibus ducere primam originem, ipsamque imaginationem subsidio esse operationi intellectus, figendæque attentioni inservire. Quem autem intuitum sensuum aut imaginationis in tota illa demonstrationis serie effinget, qua §. 24. ostendi, conum tertiam esse partem cylindri ejusdem altitudinis ac baseos? Idemque innumeris æquationum, rationumque similium deductionibus, quibus utuntur Mathematici, omnino palam fit, ut adeo demonstratio vere proprieque talis non idolis phantasticis, sed intellectu, quo idearum inter se rationem in ju-

diciis animadvertimus, & ratione, qua judiciorum inter se perſpicimus connexionem, tum inveniri, tum comprehendi debeat. *Quinto*. Quando ſpatium eſſe unum dicit & infinitum, quod nulla notione communi pluribus ſpatiis accommodanda exhibeatur, illud etiam temere, nulloque argumento addit, *) nullam plane notionem, etſi rebus infinitis applicari poſſet, infinitas etiam notas poſſe comprehendere. Quo quidem modo Entis perfectiſſimi & infiniti ideam penitus aufert humanæ menti, ſeſeque ipſum novis laqueis implicat. Nam in progreſſu operis, cum de notionibus, ac repræſentationibus tum ſenſuum, tum intellectus propriis agit, perpetuo *varia*, id eſt, notas plures diverſasque in illis comprehendi docet. At cum eæ nequeant eſſe infinitæ, uti teſtatur hoc loco, quo *extenſionem* notionum, non autem *comprehenſionem* admittit infinitam, neceſſe eſt, ut iis reſolutis demum ad repræſentationes *ſimplices* veniatur, in quibus varietas illa Kantiana locum non habet. Si igitur comprehenſio notionis nunquam eſt infinita, non omni notioni inerunt *varia*; quia ad ſimplices repræſentationes veniri demum neceſſe eſt: ſi ſemper inerunt varia, non tantum idea entis infiniti, ſed omnium plane rerum notiones habebunt comprehenſionem infinitam. Atque utinam ſimplicibus hiſce repræſentationibus, aliarumque complexarum primis velut ſtaminibus inquirendis, explicandisque operam navaſſet Kantius, tum certe inanem verborum ſuorum farraginem deprehendiſſet ipſe locis plurimis, nec plus tenebrarum, quam lucis attuliſſet metaphyſicæ diſciplinæ.

*)

*) Seit. 40. Man muss zwar einen jeden Begriff als eine Vorstellung denken, die in einer unendlichen Menge von verschiedenen möglichen Vorstellungen (als ihr gemeinschaftliches Merkmal) enthalten ist, mithin diese unter sich enthält; aber kein Begriff als ein solcher, kann so gedacht werden, als ob er eine unendliche Menge von Vorstellungen in sich enthielte.

CAPUT VI.

KANTIANA FORMA SENSUS INTERNI, SEU INTUITUS TEMPORIS.

§. 54. Sensus *internus*, inquit Kantius *) quo mens se ipsam vel statum suum internum intuetur, non animam hominis instar objecti exhibet; sed certam formam, qua sola fit, ut statum internum possit intueri, sic ut quidquid ad internas mutationes pertinet, id secundum temporis rationes quasdam repræsentetur. — Tempus nihil est aliud, nisi forma intuitionis status nostri interni — ac determinat rationem repræsentationum in statu nostro interno — *Si non modum illum* spectamus, quo nos ipsos intuemur, eoque intuitu repræsentationes externas complectimur, sed *res ipsas*, quales in se revera sunt, tum dicendum, tempus omnino nihil esse; quia simpliciter aliud non est, nisi subjectiva conditio humani intuitus — & in se, extra hunc intuitum & extra subjectum, quod res alias, a quibus afficitur, intuetur, nihil plane est. Mutatio, quæcunque sit, & motus sine repræsentatione temporis concipi non potest. Quodsi ego ipse me, (aut natura alia) sine illa sensuum conditione, intueri possem, tum eæ rerum determinationes, quæ in-

inſtar mutationis repræſentantur, absque ulla temporis, proindeque etiam absque ulla mutationis repræſentatione cognoſcerentur. **)

*) Crit. 37. Der innere Sinn, vermittelſt deſſen das Gemüth ſich ſelbſt, oder ſeinen innern Zuſtand anſchauet, giebt zwar keine Anſchauung von der Seele ſelbſt, als einem Object; allein es iſt doch eine beſtimmte Form, unter der die Anſchauung unſeres inneren Zuſtandes allein möglich iſt, ſo daſs alles, was zu den inneren Beſtimmungen gehört, in den Verhältniſſen der Zeit vorgeſtellet wird. S. 49. Die Zeit iſt nichts anders, als die Form des innern Sinnes, d. i. des Anſchauens unſerer ſelbſt, und unſers innern Zuſtandes. — — Sie beſtimmt das Verhältniſs der Vorſtellungen in unſerm innern Zuſtande. S. 51. Wenn wir von unſrer Art, uns ſelbſt innerlich anzuſchauen, und vermittelſt dieſer Anſchauung auch alle äuſsere Anſchauungen in der Vorſtellungskraft zu befaſſen, abſtrahiren, und mithin die Gegenſtände nehmen, ſo wie ſie an ſich ſelbſt ſein mögen, ſo iſt die Zeit Nichts.

**) S. 48. Der Begriff der Veränderung, und mit ihm der Begriff der Bewegung (als Veränderung des Orts) iſt nur durch, und in der Zeitvorſtellung möglich. S. 54. Wenn ich ſelbſt, oder ein ander Weſen mich, ohne dieſe Bedingung der Sinnlichkeit, anſchauen könnte, ſo würden eben dieſelben Beſtimmungen, die wir uns izt als Veränderungen vorſtellen, eine Erkenntniſs geben, in welcher die Vorſtellung der Zeit, mithin auch der Veränderung, gar nicht vorkäme.

§. 55. Præmiſi Kantiana verba perquam commendanda lectorum attentioni. Eorum ſimilia aliis locis repetit, aliisque, ut dubium nullum relinquat, quid ſentiat reipſa de tempore, aut potius ſentire ſe

se fingat. Neque enim in animum induco, ut demta repræsentione nostra nullam fieri in rebus humanis mutationem, nullum esse in mundo motum, nihil prius, nihil posterius, nihil præteritum, nihil futurum esse, reipsa opinetur: sed omnia hæc in repræsentatione sensuum inesse: extra repræsentationem sensuum nihil penitus esse. Qui extremum Scepticismum, qui Idealismum, atque adeo Egoismum verbis professi sunt (neque enim potuisse animo profiteri, arbitror) inficiari mutationem statuum internorum, successionem repræsentationem, voluptatis, doloris, affectuum, proindeque veritatem seu realitatem temporis cum iisdem mutationibus & successionibus intime cohærentem, ausi non sunt. Successionis ideam omnes sensus ingerunt, & si his omnibus abrogatur fides, sensui intimo abrogari non potest, dum quis sana mente sit. Porro hæc successionis idea continet ordinem prioris, & posterioris ab assumta quadam idea, aut animadversa mutatione tanquam termino. Nec difficile est, dum ratio illucescit, ordinem non interruptum concipere: ac demum ordo successivorum non interruptus id est, quod *tempus* dicimus, idque actuale vel possibile, quod imaginarium vocant, uti actualis rerum successio, vel possibilis mente concipitur. Quis enim cum res mundanas ex nihilo conditas cogitat, non prius Conditorem extitisse, resque ipsas etiam prius, sive ante actualem rerum fluxum potuisse condi, intelligit; qua quidem in re animo concipienda nihil plane difficultatis inest.

§. 56. Duo mihi sunt ante animadvertenda, quam paradoxi Kantiani argumenta proferam. *Sensum internum* pro forma intuitionis habere tempus, docet.

docet. Ambigua vox eſt *interni ſenſus*; alii enim ſenſum internum appellant animadverſionem, atque attentionem ad ea, quæ ſenſu externo percipiuntur, ut eorum mens conſcia ſibi ſit: *intimo* vero exprimunt reflexionem animi vel attentionem ad ea, quæ intra nos ipſos contingunt: alii ſenſu interno perſpicuitatem propoſitæ veritatis, quæ lucet ipſa per ſe, atque ex ſola idearum comparatione elucet, denotant; ſed hoc quidem intellectus, non alicujus ſenſus proprium eſt. Kantius ſenſum internum nuncupat, quo mens ſe ipſam, vel ſtatum ſuum internum intuetur, adeoque eo ſignificatu eum videtur accipere, quo alii reflexionem ſumunt. At ſiquis ſtatum ſuum internum, attentione ab his, quæ extrinſecus ſunt, ad ipſam mentem revocata ſeu reflexa intuetur; quæ repræſentatio temporis huic intuitioni adjuncta eſſe poteſt, niſi forte præſentis? dein plane pugnantia profert, dum ita ait: ſenſu interno *animus ipſe ſe intuetur*, & ſtatum ſuum internum; &: tempus ipſum non pro objecto mihi habendum eſt, ſed pro *modo repræſentandi me ipſum, tanquam objectum*: dein vero: ſenſu interno mens ſe ipſa intuetur: ſed is ſenſus non exhibet *intuitionem animæ tanquam objecti.* *) Mens mea, quæ ipſa ſe intuetur: ego, qui ipſe me intus intueor tanquam objectum intuitionis; quid eſt, niſi anima mea, quæ ipſa ſe intuetur?

*) S. 37. Vermittelſt des innern Sinnes ſchaut das Gemüth ſich ſelbſt, oder ſeinen innern Zuſtand an. — S. 54. Die Zeit iſt wirklich nicht als Object, ſondern als die Vorſtellungsart meiner ſelbſt als Objectt anzuſehen. — S. 37. Der innere Sinn giebt keine Anſchauung von der Seele ſelbſt, als Object.

§. 57.

§. 57. Nunc igitur audiatur Kantius, eodem prope modo de tempore differens, ac de spatio fuerat profatus. *Primo.* Conceptus temporis empiricus non est, seu ab experientia quadam deductus; neque enim animadverti potest, quædam simul esse, aut alterum post alterum consequi, nisi repræsentatio temporis in animo præstructa jam sit. *) Resp. Ut *simul* habeantur perceptiones diversæ, vel ut una perceptio post alteram habeatur, opus est prævia notione temporis; id nego omnino; secus in infantibus & bestiis inesset conceptus temporis; quod Kantius asserere poterit, ac debebit; sed probare non poterit: ut autem ipsarum perceptionum ordo, seu coexistentia aut successio animadvertatur, aut affirmetur, opus esse prævia notione temporis, id vero concedo. Putidæ hæ sunt verborum argutiæ, queis confunditur *simultas aut successio perceptionum cum perceptione seu animadversione simultatis aut successionis earundem.* Fit sæpenumero, ut simul adveniant per sensus perceptiones plures, aut altera post alteram, quin ordo coexistentiæ earundem aut successionis, signate, ut ajunt, animadvertatur; neque enim cum re percepta omnes rei relationes necessario percipiuntur; sed paulatim ex his, quæ simul sunt, & quæ consequuntur sese, ordo earundem, & rudis conceptus temporis abstrahitur, qui dein accedente vocabulorum usu ad exprimendum aliarum perceptionum ordinem, rationemque temporis indicandam adhibetur. Similiter fit, ut candelæ duæ, tres, quinque obversentur sensibus teneræ ætatis, quin de earum numero cogitet ullo modo; at si notionem numerorum repetita unitate paulatim informavit animo, tunc non modo candelas plures, sed numerum

merum ipsum animadvertit. Quam facili, atque adeo necessaria experientiæ via, temporis notio subeat animum, satis expositum est, ut in re perspicua, §. 55.

*) S. 46. Die Zeit ist kein empirischer Begriff, der irgend von seiner Erfahrung abgezogen worden. Denn das Zugleichsein, oder Aufeinanderfolgen würde selbst nicht in die Wahrnehmung kommen, wenn die Vorstellung der Zeit nicht a priori zum Grunde läge.

§. 58. *Secundo.* Temporis repræsentatio *necessaria* est; in eaque omnes intuitiones fundantur: ex phænomenis tempus tolli non potest: etsi phænomena possint tolli. Nec temporis repræsentatio discursiva est, sive communis notio, sed pura forma intuitionis sensuum: diversa tempora non sunt, nisi partes unius, ejusdemque temporis — — infinitudo temporis aliud non denotat, nisi quod determinata temporis magnitudo aliter possibilis non sit, nisi per limites temporis unius, cujus repræsentatio in animo a priori præstructa est. Unde necesse est, ut prima & originaria temporis repræsentatio tanquam illimitata nobis data sit. *)

*) S. 46. 47. Die Zeit ist eine nothwendige Vorstellung, die allen Anschauungen zum Grunde liegt. Man kann in Ansehung der Erscheinungen überhaupt die Zeit selbsten nicht aufheben, ob man zwar wohl die Erscheinungen aus der Zeit wegnehmen kann. — — Die Zeit ist kein discursiver, oder wie man ihn nennt, allgemeiner Begriff, sondern eine reine Form der sinnlichen Anschauung. Verschiedene Zeiten sind nur Theile eben derselben Zeit. — — Die Unendlichkeit der Zeiten bedeutet nichts weiter, als daſs alle bestimmte Gröſse der Zeit nur durch Einschränkung

kung

kung einer einzigen zum Grunde liegenden Zeit möglich sei. Daher muss die ursprüngliche Vorstellung der Zeit, als uneingeschränkt gegeben sein.

§. 59. Congessi captiones Kantianas de tempore, ut intelligeretur, earum similes præcessisse de spatio, & hasce similiter esse expediendas. Temporis repræsentatio dicitur *necessaria*; quia sublato etiam rerum fluxu possibilitas ejusdem tolli non potest; cum possibilitates rerum omnium certo veroque sensu necessariæ, æternæ & immutabiles dicantur a Metaphysicis. Non est autem ita necessaria temporis repræsentatio, quemadmodum vult Kantius, ut ea perceptionibus sensus externi vel interni semper adhæreat, vel in comprehensione earum perceptionum aut notionum insit. Quoties enim non advertentibus nobis tempus elabitur? Enimvero siquis uni rei animo & contemplatione affixus ad alias dispares repræsentationes, quæ ob sensuum affectiones & naturalem quandam mutabilitatem identidem per mentem transeunt, non attendit, ei magna temporis pars minime advertenti effluit, videnturque horæ multo, ac alias, breviores. Sed Kantius veritatem hypotheseos & formarum suarum sibi & aliis persuasurus, intuitionibus sensuum & conceptibus plurimis spatii aut temporis appendiculas affingit, quarum nemo alius, Kantiana hypothesi non imbutus, conscius sibi est, etsi intuitiones easdem & conceptus eosdem sæpissime volverit animo. Huc igitur referenda est animadversio Lockii L. II. C. XI. §. 13. qua sæpe contingere ait, ut homines ideas, quas falso inter se connexuerunt, ex errore pro veritatibus assumant. *Hinc fit, ut, qui prorsus sanæ mentis, & in aliis rebus sagacissimus est, in*

in una tamen re particulari haud minus insanire possit, quam quivis eorum, qui in mente captorum custodia (anglice Bridewell) *coercentur; si vel per impressionem aliquam vehementem, & repentinam, aut nimiam phantasiæ attentionem, & assiduitatem circa genus unicum cogitationum, ideæ non cohærentes firme adeo coagmentatæ fuerint. ut maneant unitæ.* Temporis notio communis non est, docente Kantio. Atqui communiter omnes tempus diurnum nominamus, nocturnum, menstruum, annuum; diciturque vere; *omnia tempus habent* (suum nempe proprium & definitum) & *suis spatiis* transeunt universa sub cælo: tempus nascendi & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est. —— Tempus flendi & tempus ridendi, — tempus acquirendi & tempus perdendi, — tempus tacendi & tempus loquendi, — tempus belli & tempus pacis. Quid ergo? præceptore Kantio posthac nominabimus formas diurnas & formas nocturnas, formas matutinas & formas vespertinas, formas vernas & formas æstivas, formas autumnales & formas hiemales & nescio quas infinitas formas, nulloque limite circumscriptas; ac repræsentationem ejusmodi formæ infinitæ dicemus in rudissimo quovis homine inesse, cum prima & originaria sit, ipsi sensui interno semper & necessario adhærens? Miror quidem, numerorum repræsentationem, affectionesque eorum non æque ad formas sensuum referri a Kantio, ac spatium & tempus; profecto sophismata omnia perinde in numeros quadrant, ac in spatium & tempus.

§. 60.

§. 60. *Tertio.* (argumentatur Kantius) In Theologia naturali, cum Deum ſemet ipſum intueri (non ſenſu, ſed intellectu) dicimus, nullam ſpatii & temporis formam in ea intuitione ineſſe, caute monemus. At ſi ſpatium & tempus formæ rerum eſſe ponantur, quales ſunt in ſe ipſis, ac tales quidem formæ, quæ non tollantur ſublatis rebus ipſis, quæque conditiones ſint exiſtentiæ rerum omnium generatim; deberent eadem divinæ quoque exiſtentiæ & intuitioni inhærere. *) Ex qua ipſa ratione Kantium ſic exiſtimare ſupra memoravi, nullam temporis, ac mutationis repræſentationem inhæſuram in cognitione noſtri ipſorum, ac determinationum noſtrarum, ſi absque ſenſuum conditione, ſolo intellectu ipſi nos, aut natura alia poſſemus intueri. Utrum autem ſolius hominis, an aliarum etiam naturarum, quæ finitæ ſunt, proprium ſit, intueri omnia ſub forma temporis & ſpatii, non decidit abſolute; Enti autem primo, entiumque omnium cauſæ intuitionem penitus intellectualem competere, minime dubitat. **)

*) S. 71. In der natürlichen Theologie, da man ſich einen Gegenſtand denkt, der nicht allein für uns gar kein Gegenſtand der Anſchauung, ſondern der ihm ſelbſt durchaus kein Gegenſtand der ſinnlichen Anſchauung ſein kann, iſt man ſorgfältig darauf bedacht, von aller ſeiner Anſchauung — die Bedingungen der Zeit, und des Raums weg zu ſchaffen. Aber mit welchem Rechte kann man dieſes thun, wenn man beide vorher zu Formen der Dinge an ſich ſelbſt gemacht hat, und zwar ſolchen, die als Bedingungen der exiſtenz der Dinge a priori, übrig bleiben, wenn man gleich die Dinge ſelbſt aufgehoben hätte: denn als Bedingungen alles Daſeins überhaupt, muſsten ſie es auch von dem Daſein Gottes ſein.

**) Sieh oben Note 2. §. 53. Seite 73. Es ist nicht nöthig, dass wir die Anschauungsart in Raum und Zeit auf die Sinnlichkeit des Menschen einschränken; es mag sein, dass alles endliche denkende Wesen hierinn mit dem Menschen nothwendig überein kommen müsse; wiewohl wir dieses nicht entscheiden können, — — Intellectuelle Anschauung scheint dem Urwesen allein zuzukommen.

§. 61. Sicut Kantius longa commentatione hypotheseos suæ, & repetita vehementique imaginatione, repræsentationibus sensuum omnium adglutinavit formas spatii ac temporis; sic idem affingit nobis omnibus. Quid autem cogit nos relationes & ordinem rerum una coexistentium, aut serie non interrupta sibi succedentium nuncupare formas rerum sensibus subjectarum, ac formas tales, quæ sublatis rebus non sola possibilitate, sed re maneant, quæque sint conditio existentiæ rerum omnium generatim? Miror, quod non etiam numeros pro formis sensuum habeat, aut formis rerum, quæ maneant ipsis sublatis, & re infinitæ sint, & conditio existentiæ rerum omnium generatim sint. Si talia de creatis rebus non asserimus; quis de Ente æterno, quod vi naturæ suæ nec principium nec finem, nec mutationem aut vicissitudinem habet, in animum inducet? *Nullius egens illa, & æterna, & omnia, quæ sunt, complexa natura, neque in loco est, neque in tempore; sed ante hæc, & super hæc, inexplicabili quadam ratione, ipsa in se, sola fide conspicitur, neque seculis circumscripta, neque temporibus decurrens: sed in se ipsa consistens, & in se ipsa fundata & stabilita, neque cum præterito, neque cum futuro consideratur,* uti inquit Gregorius Nyssenus L. 1. adv. Eunom. Om-

Omnem temporis ac loci affectionem & circumſcriptionem ab immenſa illa, atque æterna mente abeſſe, ratione duce agnovere Philoſophi Platonici & Phythagoræi. Unde Tertullianus L. 1. contra Marcionem c. 3. ait : „Quantum humana conditio de „Deo definire poteſt, id definio, quod *& omnium gentium conſcientia agnoſcit*, Deum ſummum „eſſe magnum in æternitate conſtitutum — — „ſine initio, ſine fine &c. " & Boethius L. V, Conſ. proſ. 6. veriſſime ait : *Deum æternum eſſe, cunctorum ratione degentium commune judicium eſt.* Hanc æternitatem abſolute & in ſe ſpectatam, eſſe fixam, non ſucceſſivam, & unum & præſens *nunc ſtans* certum eſt : ac facile intelligitur, nullam in Deo *ſucceſſionem phyſicam* habere locum, quæ nempe in ſucceſſione diverſorum ſtatuum rei durantis ſita eſt. Talem ſucceſſionem phyſicam, & mutationem quis ſanus intellectus non attribuit neceſſario rebus creatis omnibus, quæ cum non eſſent aliquando, eſſe cæperunt ; aut quæ major mutatio poteſt cogitari, quam tranſitus a non eſſe ad eſſe ? Manifeſto igitur falſa, omnisque rationis, argumentique expers eſt aſſertio kantiana, intellectum divinum hominis ſtatum, remve ullam creatam ſine temporis mutationisque repræſentatione intueri ? Quid enim denotat illud Sapientiæ effatum : *Dominus poſſedit me — — antequam quidquam faceret a principio — antequam terra fieret — nondum erant abyſſi — ante colles.* — Prov. VIII. 22. ſeq. quid niſi ſucceſſionem mutationemque ſignificant verba illa Pſalmi 101. 26. *Opera manum tuarum ſunt cæli : ipſi peribunt : tu autem permanes : & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent : & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur : tu autem idem ipſe es, & anni*

ni tui non deficient. Certe non aliud his verbis proloquutus est Deus, ac cognovit reipsa, & intuitus est.

§. 62. Demum necessitatem formarum a priori Kantius derivat ex judiciis syntheticis, iisque apodicticis, quorum proin veritas sola niti experientia non potest. Propositio, inquit hæc: *diversa tempora non possunt una & simul esse*, ex nulla generali notione derivari potest; nam synthetica est, & ex solis notionibus deduci nequit; proindeque in intuitu & repræsentatione temporis proxime continetur. *) Respondeo: Kantius, etsi negarit supra, notionem temporis esse *communem*, tamen oblitus sui asserti, ipsoque usu & veritatis vi permotus, plurali numero temporum diversorum, qui notionum communium proprius est, utitur. Dein ostendit ipse usum positivum principii contradictionis pro judiciis *analyticis* eum esse, ut siquid in ipsa rei objectæ notione insit, atque inesse cogitetur, tum ejus oppositum de re illa recte negetur, id vero, quod inest, necessario affirmetur. **) Cum igitur docente ipso Kantio in conceptu temporis insit successio & fluxus perpetuus, rectissime negabitnr, diversa tempora non sibi succedere, nec fluere perpetuo, sed una & simul esse. Hoc igitur judicium non syntheticum est, sed analyticum. Similiter de kantianis judiciis apodicticis ex principio ab ipsomet proposito disserendum est.

*) Seite 47. Auf diese Nothwendigkeit a priori gründet sich auch die Möglichkeit apodictischer Grundsätze von den Verhältnissen der Zeit. — — Der Satz, dass verschiedene Zeiten nicht zugleich sein können, würde sich aus einem allgemeinen Begriff nicht herleiten lassen. Er ist synthetisch, und

und kann aus Begriffen allein nicht entspringen. Er ist also in der Anschauung und Vorstellung der Zeit unmittelbar enthalten.

**) Seite 190. Wenn das Urtheil analytisch ist, muss dessen Wahrheit nach dem Satze des Widerspruchs hinreichend können erkannt werden. Denn von dem, was in der Erkenntniss des Objects schon als Begriff liegt, und gedacht wird, wird das Widerspiel jederzeit richtig verneinet, der Begriff selber aber nothwendig von ihm bejahet werden müssen; darum weil das Gegentheil desselben dem Objecte widersprechen würde.

Caput VII.

Idealismus transcendentalis.

§. 63. Accurate imprimis, fideliterque proferenda est doctrina Kantii de *veritate*, aut quemadmodum appellat, *idealitate* eorum, quæ in sensus incurrunt. Ait igitur *primo*. Intuitus noster quicunque, non est, nisi repræsentatio phænomeni, sive ejus, quod sensibus apparet, aut objecti indeterminati. Res, quas intuemur, id revera non sunt, quod intuitio exhibet, neque earum relationes in se tales, quales repræsentantur. Tolle sensus nostros, eorumque subjectivas affectiones; ac una sustulisti omnes rerum qualitates, omnesque earum relationes quoad tempus ac spatium, imo sustulisti tempus ipsum ac spatium: omnia hæc, quatenus repræsentantur, non in se ipsis, sed in nobis tantum existunt: quales sint res in se ipsis, sejuncta receptivitate sensuum, penitus ignotum manet. *) *Secundo*. Tempus objectivam veritatem seu realitatem habet relate ad phænomena, sive ad repræsentationes sensuum nostrorum: at reale non est,

ſi hæc ſenſuum repræſentatio tollitur. **) Viri perſpicaces ſic contra hæc una voce argumentati ſunt: ſunt revera mutationes rerum (quod vel ipſa repræſentationum variatio ac ſucceſſio in nobis indicat, etſi nullæ extra nos ſint res ipſæ, quæ repræſentantur) cumque mutationes, ſucceſſionesque fieri non poſſint, niſi in tempore; ſequitur, ut tempus quoddam verum ac reale debeat admitti. At expedita reſponſio eſt (inquit Kantius). Sine dubio eſt quidpiam reipſa id, quod tempus dicimus, nempe actualis forma noſtrarum intuitionum, habetque adeo ſubjectivam realitatem relate ad ſenſum internum; id eſt, habeo re vera repræſentationem temporis, mearumque determinationum in tempore. Tempus ergo non inſtar objecti, ſed tanquam modus, quo ipſum me tanquam objectum repræſento, ſpectari debet. Si ipſum me, aut ſi me natura alia absque illa ſenſuum conditione intueri poſſemus, tum eæ determinationes ſtatus mei, quæ inſtar mutationis repræſentantur, absque ulla temporis, mutationisque repræſentatione cognoſcerentur. ***) Id, quod ſenſationes tanquam cauſa earundem efficit, ac ſenſibile ſeu obnoxium ſenſibus non eſt, nullo penitus modo cognoſcitur a nobis. Deberet enim illud absque ſpatii & temporis conditione repræſentari; quo quidem modo repræſentari a nobis res nulla poteſt. Nihil prohibet, quo minus cauſa mere intelligibilis phænomenorum *objectum tranſcendentale* nuncupetur, ut nempe ſit quidpiam, quod receptioni vel impreſſioni in ſenſus factæ reſpondeat.

*) Seite 59. Wir haben alſo ſagen wollen, daſs alle unſere Anſchauung nichts als die Vorſtellung von Erſcheinung ſei: daſs die Dinge, die wir anſchauen,

schauen, nicht das an sich selbst sind, wofür wir sie anschauen, noch ihre Verhältnisse so an sich selbst beschaffen sind, als sie uns erscheinen, und dass, wenn wir unser Subject, oder auch nur die subjective Beschaffenheit der Sinne überhaupt aufheben, alle die Beschaffenheit, alle die Verhältnisse der Objecte in Raum und Zeit, ja Raum und Zeit selbst verschwinden würden, und als Erscheinungen nicht an sich selbst, sondern nur in uns existiren können. Was es für eine Bewandniss mit den Gegenständen an sich und abgesondert von aller dieser Receptivität unserer Sinnlichkeit haben möge, bleibt uns gänzlich unbekannt. Seite 34. Der unbestimmte Gegenstand einer empirischen Anschauung heisst Erscheinung (Phænomenon).

**) Seite 51. Die Zeit ist nur von objectiver Gültigkeit in Ansehung der Erscheinungen; weil dieses schon Dinge sind, die wir als Gegenstände unserer Sinne annehmen; aber sie ist nicht mehr objectiv, wenn man von der Sinnlichkeit unserer Anschauung, mithin derjenigen Vorstellungsart, welche uns eigenthumlich ist, abstrahirt, und von Dingen überhaupt redet.

***) Seite 54. Ich habe von einsehenden Männern einen Einwurf einstimmig vernommen, der also lautet: Veränderungen sind wirklich (dieses beweiset der Wechsel unsrer eignen Vorstellungen, wenn man gleich alle äussere Erscheinungen, sammt deren Veränderungen läugnen wollte.) Nun sind Veränderungen nur in der Zeit möglich; folglich ist die Zeit etwas wirkliches. Die Beantwortung hat keine Schwierigkeit. Ich gebe das ganze Argument zu. Die Zeit ist allerdings etwas wirkliches, nämlich die wirkliche Form innerer Anschauung. Sie hat also subjective Realität in Ansehung der inneren Erfahrung, d. i. ich habe wirklich die Vorstellung von der Zeit, und meinen Bestimmungen in ihr. Sie ist also wirklich nicht als Object, sondern als die

Vorstellungsart meiner selbst als Objects anzusehen. Wenn aber ich selbst, oder ein ander Wesen mich, ohne diese Bedingung der Sinnlichkeit anschauen könnte; so würden eben dieselben Bestimmungen, die wir uns izt als Veränderungen vorstellen, eine Erkenntniss geben, in welcher die Vorstellung der Zeit, mithin auch der Veränderung gar nicht vorkäme.

****) Seite 522. Die nichtsinnliche Ursache dieser Vorstellungen ist uns gänzlich unbekannt, und diese können wir daher nicht als Object anschauen. Denn dergleichen Gegenstand würde weder im Raume, noch der Zeit (als blossen Bedingungen der sinnlichen Vorstellung) vorgestellt werden müssen, ohne welche Bedingungen wir uns gar keine Anschauung denken können. Indessen können wir die bloss intelligible Ursache der Erscheinungen überhaupt das transcendentale Object nennen, bloss damit wir etwas haben, was der Sinnlichkeit als einer Receptivität correspondirt.

§. 64. Hæc kantiani idealismi præcipua themata sunt; de ipso idealismo, quem profitetur, quid definite scripserit, post dicam, quam ad ista respondero. Res, inquit, rerumque affectiones, qualitates, & relationes non sunt tales, quales intuemur. Sol apparet lucidus, terra opaca, ignis calidus, aqua humida, absynthium amarum, laser, fœtens, æs sonans, cymbalum tinniens; sed omnia hæc non sunt, qualia repræsentantur: hæc in nobis existunt: non ipsa in re. At est tamen in ipsa re, quod sensationes nostras efficit, propter quas iisdem tribuuntur qualitates & affectiones, quas sensibiles dicimus. Est, inquit Kantius, sed ignotum penitus, & indeterminatum. At sensationes, quas res eadem efficit in nobis, nec ignotæ sunt, nec indeterminatæ, sed notæ penitus, & determinatæ,

tæ, & inter se differentes, & numero plures, variæque; ac singulis hisce sensationibus respondent singulæ, & determinatæ, & inter se differentes, ac numero plures variæque rei ipsius affectiones, aut proprietates, qualitates, vires seu causæ harum sensationum, ex quibus easdem noscimus, ac determinamus; nequit enim esse effectus sine causa, nec causa alia esse potest, quam proportionata, seu respondens effectui. Quomodo igitur objecta, seu res ipsæ sensibiles dici possunt penitus incognitæ, & indeterminatæ? Tota fallacia kantiana, nisi egomet vehementer fallar, in eo sita est, quod affectiones & qualitates rerum diversas, specie differentes, ac determinatas redigat sub unum genus late patens, & commune omnibus, quale est, *esse sensibile*; rejectisque earum differentiis hoc solum cogitet, in quo omnes pariter conveniunt; quod cujusmodi sit, vi genericæ repræsentationis cognitum non est, neque determinatum; atque hinc de omnibus & singulis perpetuò repetit illud: *est objectum transcendentale, seu incognitum & indeterminatum x.* Quando dein addit: causa earum sensationum, quatenus non sensibilis est, sed intelligibilis, nullo penitus modo a nobis cognoscitur; aliam opinor, fallaciam ipse in se, certe in alios intendit. Quomodo enim spiritus separati, intellectu quidem, nullis autem sensibus præditi cognoscant, percipiantve ea, quæ a nobis visu, auditu, gustu, odoratu, tactuve percipiuntur, utique explicare haud possumus; sed ob id haud sequitur, res ipsas sensibiles, eas non esse, quæ sensus afficiant modis multis variisque pro organorum varietate, ipsarumque natura & affectione multiplici; nec sequitur profecto, res sensibiles a natura quapiam spirituali, corporis

organici, proindeque & ſenſuum experte absque extenſione, figura, magnitudine, ſine mutatione, motu, ſtatuum ſucceſſione repræſentari aut cognoſci poſſe aut debere; ſunt enim iſtiusmodi affectiones corporum veræ, & reales, nec a ſenſibus pendent; quemadmodum de qualitatibus objectivis, abſolutis & primariis §. 44. expoſui.

§. 65. Tempus in ſe, ac revera nullum eſt, & nihil eſt, inquit Kantius: realitatem *objectivam* non habet, ſed *ſubjectivam*, nempe in repræſentatione. At hoc quidem modo quævis inſomnia, ac illuſiones imaginationis habebunt veritatem ac realitatem. Non illud hic quæritur, utrum cogitationum, affectionum internarum, ſtatuumque animi mutatio & ſucceſſio repræſentetur nobis, ſed utrum detur re vera, nemine de illa mutatione, & ſucceſſione reflexe cogitante? ac quis neget, in conficienda Critica kantiana revera tempore priorem fuiſſe commentationem, quam ſcriptionem, hanc tempore priorem, quam impreſſionem factam typis, ejusdemque editionem priorem unam præ altera, quæ ſecunda inſcribitur? quis in homine veram neget ſucceſſionem conceptus, nativitatis, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, ætatis juvenilis, virilis, ſenectutis? in ſerendis, progerminandis, maturandis, colligendis conſumendisque frugibus? ac quid eſt demum in hoc orbe, quod vere mutabile non eſt, ſubjectumque tempori? Soli quidem Metaphyſices diſciplinæ bellum ſe indicere profitebatur Kantius; at ſublata veritate & realitate objectiva temporis, mutationis, ſucceſſionis, itemque ſpatii, quæ cogitari poteſt hiſtoria, quæ chronologia, quæ genealogia, quæ geographia? quæ locum habent divinæ pro-

prophetiæ, & futurorum eventuum prædictiones? Negat Kantius, tempus instar *objecti* considerari; at quodnam objectum aliud, nisi tempus ipsum habet chronographia, distributioque temporum in certas epochas, indeque deductas æras & periodos; cujusmodi est Juliana periodus, quæ initia rerum, temporisque realis antegreditur? Equidem nulla conjectura assequi valeo, quid animo volverit Kantius, cum realitatem objectivam temporis & spatii tollere cogitaret, aut quorsum evadere conatus sit, utrumne ad Pantheismum quendam, aut Spinozismum? cum præsertim nec de anima nostra tanquam perdurabili & constante subjecto internarum mutationum certos nos esse sinat, atque adeo substantiam universe phænomenon appellet.

§. 66. Idealismi *transcendentalis*, aut *formalis*, quem Kantius profitetur, hæc summa est: Existunt revera corpora extra mentem, quæ eadem repræsentat; sed quidquid repræsentat sensus externus, vel internus, hoc est, omnia objecta experientiæ, nihil sunt, nisi phænomena, aut meræ repræsentationes, sic ut de iis, quæ sensu extero repræsentantur tanquam extensa, aut sensu interno tanquam succedentia quadam mutationum serie, dici tuto non possit, quod existant: verbo: existunt res aliæ, sed non tales, quales repræsentantur. *) Idealismus (proprie talis, ut vulgo sumitur, seu *materialis*) in eo situs est, extra naturam cogitantem nullas esse res alias, eaque, quæ percipere sensibus opinamur, nihil esse, nisi repræsentationes naturæ cogitantis, quibus nullum extrinsecus objectum respondeat. At ego, inquit Kantius, esse res alias extra nos, aio, quæ sensibus objiciantur, etsi qua-

quales sint in se ipsis, minime cognoscamus: sola novimus phænomena, sive repræsentationes, quas efficiunt in nobis afficiendo sensus nostros. Fateor ergo, esse extra nos corpora, quæ non in se ipsis, qualia sint, sed ex solis repræsentationibus atque impressionibus, in sensus factis novimus, ac ex iis *corpora* nuncupamus; quæ vox repræsentationem rei incognitæ, sed revera existentis denotat? quo jure doctrina hæc Idealismus dici potest, cui penitus opposita est? **) Porro docet: Transcendentalis Idealismus non obest, quo minus objecta sensuum externorum, qualia in spatio intuemur, itemque mutationes in animo, quales sensus internus exhibet, reipsa sint. Cum enim spatium forma sit intuitus externi: talis autem intuitus aut repræsentatio empirica sine objectis esse non possit, necesse est, ut res in spatio extensas reipsa existere sumamus; idemque de tempore sentiendum est. Spatium vero ipsum ac tempus, cumque his phænomena omnia non sunt res in se ipsis, sed meræ repræsentationes, quæ extra mentem esse non possunt: imo ipsa intuitio mentis nostræ, quæ fit sensu interno, tanquam objecti conscientiæ intimæ, quod successione statuum internorum in tempore determinatur, non est id, quod exprimitur per voces *Ego ipse*, uti in se reipsa existit, neque *subjectum transcendentale* est, sed est *phænomenon* tantum, quod sensui interno de re nobis incognita proponitur. Atque hoc ipsum, quod intus nobis proponitur, sumi non potest tanquam res in se existens. Pendet enim a tempore, per quod res nulla in se existens determinatur. ***)

*) Critik Seite 518. Wir haben bewiesen, dass alles, was im Raum oder der Zeit angeschaut wird, mithin alle Gegenstände einer uns möglichen Erfahrung, nichts als Erscheinungen, d. i. blosse Vorstellungen sind, die so, wie sie vorgestellt werden, als ausgedehnte Wesen, oder Reihen von Veränderungen, ausser unseren Gedanken keine an sich gegründete Existenz haben. Diesen Lehrbegriff nenne ich den transcendentalen Idealism. Ich habe ihn auch sonst bisweilen den formalen Idealism genannt, um ihn von dem materialen d. i. dem gemeinen, der die Existenz ausserer Dinge selbst bezweifelt, oder läugnet, zu unterscheiden.

**) Prolegomena Seite 62. Der Idealismus bestehet in der Behauptung, dass es keine andere, als denkende Wesen gebe, die übrigen Dinge, die wir in der Anschauung wahrzunehmen glauben, wären nur Vorstellungen in den denkenden Wesen, denen in der That kein ausserhalb diesen befindlicher Gegenstand correspondirte. Ich dagegen sage: Es sind uns Dinge, als ausser uns befindliche Gegenstände unserer Sinnen gegeben; allein von dem, was sie an sich selbst sein mögen, wissen wir Nichts, sondern kennen nur ihre Erscheinungen, d. i. die Vorstellungen, die sie in uns wirken, indem sie unsere Sinne afficiren. Demnach gestehe ich allerdings, dass es ausser uns Körper gebe, d. i. Dinge, die, obzwar nach dem, was sie an sich selbst sein mögen, uns gänzlich unbekannt, wir durch die Vorstellungen kennen, welche ihr Einfluss auf unsere Sinnlichkeit uns verschaft, und denen wir die Benennung eines Körpers geben, welches Wort also bloss die Erscheinung eines uns unbekannten, aber nichts desto weniger wirklichen Gegenstandes bedeutet. Kann man dieses wohl Idealismus nennen? Es ist ja gerade das Gegentheil davon.

***) Critik Seite 520. Unser transcendentale Idealismus erlaubt es, dass die Gegenstände äusserer Anschauung,

ſchauung, eben ſo, wie ſie im Raume angeſchaut werden, auch wirklich ſein, und in der Zeit alle Veränderungen, ſo wie ſie der innere Sinn vorſtellt. Denn da der Raum ſchon eine Form derjenigen Anſchauung iſt, die wir die äuſsere nennen, und ohne Gegenſtände in demſelben es gar keine empiriſche Vorſtellung geben würde: ſo können, und müſſen wir darinn ausgedehnte Weſen als wirklich annehmen, und ſo iſt es auch mit der Zeit. Jener Raum ſelber aber ſamt dieſer Zeit, und zugleich mit beiden alle Erſcheinungen ſind doch an ſich ſelbſt keine Dinge, ſondern nichts, als Vorſtellungen, und können gar nicht auſser unſerem Gemüth exiſtiren; und ſelbſt iſt die innere und ſinnliche Anſchauung unſeres Gemüths (als Gegenſtands des Bewuſstſeins) deſſen Beſtimmung durch die Succeſſion verſchiedener Zuſtände in der Zeit vorgeſtellt wird, auch nicht das eigentliche Selbſt, ſo wie es an ſich exiſtirt, oder das tranſcendentale Subject, ſondern nur eine Erſcheinung, die der Sinnlichkeit dieſes uns unbekannten Weſens gegeben worden. Das Daſein dieſer innern Erſcheinung, als eines ſo an ſich exiſtirenden Dinges, kann nicht eingeräumt werden; weil ihre Bedingung die Zeit iſt, welche keine Beſtimmung irgends eines Dinges an ſich ſelbſt ſein kann.

§. 67. Affirmat igitut Kantius, eſſe corpora in mundo extra mentem, quæ ſibi eadem repræſentat; at talia non ſunt, qualia repræſentantur. Quid ergo? Sol repræſentatur ut diſſitus longo ſpatio, lucidus atque adeo ſplendens, calefaciens, exſiccans, alia indurans, alia ſolvens; ſed talis reipſa non eſt. Qualis ergo? non diſſitus, non lucidus, non ſplendens, non calefaciens, non exſiccans, nec indurans, nec ſolvens? At ſic quivis negaverit, eſſe reipſa ſolem in ſyſtemate noſtro planeta-

netario. Qualis, inquam, eſt, ſi talis non, qualis perpetuo omnibus repræſentatur? Eſt alius, ait Kantius, vel aliud quidſiam, ac repræſentatur, ſed id quale ſit, & quid ſit omnino, penitus ignotum eſt. Quo argumento id docet? quia, inquit, eſſe omnino quidpiam debet, quod repræſentationibus noſtris & impreſſionibus in ſenſus factis reſpondeat. At dico, ſi id, quod ſolem dicimus, revera a nobis diſſitum non eſt longo ſpatio, ſi lucidum non eſt, non calefaciens, non exſiccans, nec indurans nec ſolvens; tum vero nego ac pernego, quod ignotum illud objectum tranſcendentale repræſentationibus noſtris, & impreſſionibus in ſenſus factis reſpondeat ullo pacto. Igitur nihil affert Kantius, quo doceat, eſſe reipſa aliquid extra mentem; nec meliorem cauſam habet, ac Idealiſtæ. Hi enim certe quidem de mente ſua, tanquam ſubſtantia, quæ conſtans ſit, & perduret, certos eſſe ſe profitentur. At Kantius animum quoque ſuum pro phænomeno habet; id quod cuipiam Philoſophorum in mentem adhuc veniſſe non comperi, etſi teſte Cicerone nulla ſit tam abſurda opinio, quam non Philoſophorum aliquis defenderit. Nullumne igitur ſubjectum conſtans, ac perdurans, quod tot mutationes & recipit, & vi actuoſa ipſum efficit, cognoſcimus, quando reflexo mentis intuitu ipſi de nobis cogitamus? quid ergo denotamus, quando dicimus: *ille ego, qui quondam &c.* nonne de ſua quisque mente, tanquam ſubjecto perdurante, quod etiam tum cum, maxime variantur interni ſtatus, idem ipſum manet, & cogitat & loquitur? Nonne de ſe ipſo cogitabat & loquebatur Antiochus ille ſceleſtus, dicens *in corde ſuo: in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ, in*

qua

qua nunc sum, qui jucundus eram, & dilectus in potestate mea? Nunc vero reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. — I. Mach. VI. 11. Anne quisquam, qui talia intime sentit, & patitur, & recordando, considerandoque agit, seipsum phænomenis, & meris modificationibus annumerare potest? Sed quid cum istiusmodi homine disputes, qui dubitet, idemne sit, an alius, vel aliud quidpiam, quod nunc affirmet ea, quæ ante negarat, aut tueatur, quæ scripserat, ediderat que? Nec vero res ista extra omnem controversiam posita, argumentis vel commentatione eget; sed illud potius expendendum judico, qui fieri possit, ut homines contra ipsum intimum sensum, mentemque suam talia proloqui, & publice contendere non vereantur? A veritate nempe aversi obscurissimis verbis & hypothesibus rem implicant, iisque animo diu agitatis, ac sermone repetitis tenebras, erroresque sibi & aliis offundunt; quod a Kantio factum & hoc loco, & aliis plurimis. Mens, inquit, sensu *interno se intuetur tanquam objectum conscientiæ intimæ, quod successione statuum internorum in tempore determinatur;* indeque infert, quod mens non se intueatur, qualis est in se; *quia nulla res per tempus determinatur.* Quid, obsecro, est hoc, mens successione statuum *in tempore* determinatur? nisi mens conscia sibi est diversorum statuum quoad varias repræsentationes, affectus &c. ex qua ipsa statuum successione ideam temporis realis sibi efformare potest? ipsa autem successio prærequirit, seu præsupponit utique mentem eandem tanquam subjectum permanens, quod aliter atque aliter afficitur, modificatur, determinatur quoad statum internum, non autem quoad existentiam, quasi ipsa successio statuum

men-

mentem ad existendum determinaret, aut ejus essentiam tanquam pars constitueret. Quid ergo ex his sequitur, nisi oppositum ejus, quod docet Kantius; nempe mentem reflexo intuitu sese tanquam subjectum constans & perdurabile cognoscere; cum status internus repræsentationum & affectuum minime constans & perdurabilis sit? Quod addit, rem nullam, qualis est in se, per tempus determinari, respondeo, etiam vulgo dicitur: *nihil fit a tempore*, nec ipsa quidem repræsentatio, *sed omnia fiunt in tempore.* At quid ex hoc efficiet Kantius, nisi ut inanibus obscurisque verbis & sibi illudat & aliis, imperitis nempe lectoribus, qui quæ non intelligunt ullo pacto, tanquam singularis sapientiæ placita demirari solent. Novum igitur hoc Idealismi genus est, quod a Philosophis transcendentalibus *transcendentale* nuncupatur, quod ipsam humanam mentem inter phænomena, merasque repræsentationes rejicit. Ajunt illi quidem, esse aliquid extra se, dum cogitant, quod vel corpora vel mentem vocant; sed quale sit, minime cognosci posse contendunt, ut nempe libertatem retineant, id tale censendi, quale ipsi volunt, etsi fortassis cum Spinoza non aliud vellent censere, nisi modificationes substantiæ unius & universalis, quam divinam appellavit Spinoza.

§. 68. Habeat hoc proprium inventum Kantius, ut ipse mentem suam in phænomenis inconstantibus & variabilibus numeret; at quod de phænomenis sensus externi differit, id cum Berckelejo prope commune habet, nisi quod hic incognitum illud x, seu objectum transcendentale plane abjecerit, Kantius illud retinere se profiteatur, sed

nullò argumento confirmet. Quod Kantius *phænomenon* vocat, Berckelejus *perceptibilitatem* nuncupavit, ſic ut materiam ipſam, aut ſubſtantiam vel ſuſtentaculum ſenſibilium qualitatum, tanquam incognitum quidpiam, cui nulla repræſentatio reſponderet, penitus rejecerit. Si ergo veritatem ſenſuum defenſurus dicam: ipſe dolor aut voluptas, quam res externæ efficiunt in nobis, eas eſſe revera, palam facit; admove manum candenti ferro: carnem ungulis lacera: hauri abſynthium: laſer naribus obtrude: ac fateberis, eſſe revera quidpiam, quod iſtas perceptiones efficiat; reſpondet Kantius: hæc non ſunt niſi phænomena & repræſentationes: res ipſa, qualis eſt in ſe, cognita non eſt; at Berckelejus dicet: ſunt id, quod percipio, quodque in me eſt, non extra me; totum in perceptibilitate ſitum eſt. Si urgeam: neceſſe eſt, ut extra me ſit, quod organa afficiat, & perceptionem gratam vel moleſtam creet; aliud eſt, intueri ſolem; aliud ſola imaginatione eum ſibi repræſentare: aliter afficior ſitiens, ſi potum hauriam, quam ſi haurire me cogitem. Noctu non cerno colorem; ex roſà depicta odorem non percipio. Alia eſt repræſentatio verborum & conceptuum, cum ea mente volvo, ſic ut dimittere illa penitus ex animo, & cogitationem convertere ad res alias poſſim; at cum ea exaro & depingo in charta, tunc legi & intelligi poſſunt ab aliis, me nihil amplius cogitante, aut etiam invito. Res eadem pluribus ſenſibus attentari & explorari poteſt; ſi viſui non credam, admovebo manum; ac figura diverſa & viſum & tactum aliter atque aliter afficient. Ad hæc quidem horumque ſimilia regeret Kantius: nihil eſſe omnia, niſi phænomena, & repræſentationes alias

atque alias; rem ipsam in se esse incognitum x. At Berckelejus dicet: sunt res illæ; sed earum tota essentia in perceptibilitate sita est, alia est lex imaginum internarum, alia externarum. Si plures sensus rei explorandæ adhibeam; quid sequitur, *nisi perceptio*? Subjectum illud qualitatum non percipio, & ignotum est, & nullam habet ideam, quæ illi respondeat. Multa alia in hanc sententiam proferri possent; at hæc quidem sufficere arbitror, ut mens & doctrina Berckeleji ac Kantii perspiciatur.

§. 69. Utrisque nunc respondendum est. Putat Kantius, detractis omnibus qualitatibus, quæ in sensus & sub experientiam cadunt, conceptum substantiæ manere, eumque hoc ipso non ab experientia, sed a priori, seu ex natura intellectus provenire docet. *) At Berckelejus contendit, substantiam illam, quæ nullo sensu possit percipi, nihil esse penitus, & substentaculum seu substratum sensibilium qualitatum non esse, nisi terminum inanem, cui nulla notio respondeat, nisi materialis, ipsius nempe vocis. Error in eo est *primo*, quod qualitates sensibiles omnes auferri posse putent, quin necessario alia pariter sensibilis qualitas succedere debeat. *Secundo* voces, quæ formas abstractas concretorum exprimunt, quales sunt rotunditas, magnitudo, durities, mobilitas, albedo, & universe determinabilitas, eam opinionem facile ingerunt, quasi talia sine subjecto, cui inhærent, quodque rotundum, magnum, durum, mobile album aut quoquo modo determinatum est, reipsa queant existere aut mente comprehendi vel sensu percipi. Ex qua verborum consuetudine & ab-

ſtrahendi ratione jam olim apud Philoſophos ſuperiorum temporum innumeræ entitates, entitatulæ, qualitates, modi ſuperadditi velut ex equo trojano proſilierunt. Pone nunc figulum, qui lutum vel argillam mollem tractat, aut piſtorem, qui farinam ſubigit, depſitque; ac quære, quæ aut ubi ſubſtantia ſit, in qua tractanda atque elaboranda verſatur; non magnitudo & extenſio maſſæ, non figura, non color, non tenacitas partium, non calor aut frigus, quod ſentit, non aliud quidpiam, quod in ſenſus incurrit, ſubſtantia eſt opinante Berckelejo & Kantio. Quæ eſt ergo ſubſtantia aut ubi eſt? Kantius dicet, eſſe incognitum x; Berckelejus eſſe nihil, & inane vocabulum; atqui illud ipſum, quod ſenſus afficit, quod varias figuras admittit, quod tangitur, palpatur, præ manibus & oculis eſt, illud ipſum eſt ſubſtantia maſſæ ſeu maſſa ipſa. Dices: ſubſtantia manet, figura, magnitudo, ipſe etiam color variabilis eſt. Reſpondeo: manet ſubſtantia, ſed non ſine alia figura, non ſine alia magnitudine, non ſine alio colore. Iſtæ ſunt qualitates, inquies, quæ in ſenſus incurrunt: ſunt phænomena, ait Kantiuus; ſunt perceptibilitas, ingerit Berckelejus: at ſubſtantia in ſenſus non incurrit. Reſp. Non formæ abſtractæ in ſenſus incurrunt, ſed ſubſtantia habens certam formam, aut certas qualitates; ſubſtantia in ſubſtantia in ſenſus non incurrit, ſi fingitur talis, qualis nec eſt, nec eſſe poteſt, expers omnis qualitatis, omnis formæ, omnis determinationis. Quid ſubſtantiam quæris, quam ipſam in manibus, & præ oculis habes, quam tangis, quam formas quam perficis? Qualitates, quas ſenſibus percipis, non abſtractæ ab re ipſa ſunt, nec ipſæ ſeparatim

ratim afficiunt sensus, sed res iis qualitatibus affecta sensus percellit, & vires exerit, & mutationes subit; non est extensio sine substantia extensa, nempe composita ex partibus, non figura sine figurato, non durities sine re dura, non viscositas massæ sine *ipsa* massa; agere, pati, resistere motui, esse impenetrabile &c. non accidentium & qualitatum, sed materiæ & substantiæ materialis propria sunt. Idemque multo magis de ipsa humana mente relate ad ea, quæ in se intime sentit, dicendum est; recipere impressiones factas in organa, itemque ad sensuum ideas iisdem respondentes attendere, eas intueri, intuitum continuare, abrumpere, avertere & similes tum passiones tum actiones, non ad phænomena sensus interni, uti a Kantio appellantur, sed ad ipsam mentem, ejusque substantiam pertinent.

*) Critik Seite 6. Wenn ihr von eurem empirischen Begriffe eines jeden körperlichen oder nicht körperlichen Objects alle Eigenschaften weg lasset, die euch die Erfahrung lehrt; so könnt ihr ihm doch nicht diejenige nehmen, dadurch ihr es als Substanz anhängend denkt. — Ihr müsst also überführt durch die Nothwendigkeit, womit sich dieser Begriff euch aufdringt, gestehen, dass er in eurem Erkenntnissvermögen a priori seinen Sitz habe.

Caput VIII.

ANALYTICA KANTII, EAMQUE PRAECEDENS SYNTHESIS REPRAESENTATIONUM.

§. 70. In tradenda critica rationis puræ tria se expositurum de cognitione humana, & cognoscendi facultate promisit Kantius, quemadmodum

principio harum disquiſitionum indicavi; primo quidem undenam objecta ſua obtineret quævis facultas, circa quæ cognoſcendo verſaretur: dein quibus legibus regeretur in functionibus ſuis: ac demum quousque vi ſua pertingeret, ne ſcilicet ultra progredi auderet, quam ferret ipſa naturæ vis, & cognitiones ſibi arrogaret, quas re vera haberet nullas. In his exponendis illud maxime habebat propoſitum, ut ſibi, aliisque perſuaderet, tota vi & facultate rationis theoreticæ nihil vere cognoſci ab hominibus poſſe, quod ſenſus humanos, atque experientiam excederet, nihilque adeo de humana mente, ejus ſubſtantia, & ſimplici, ſpirituali ac immortali natura, nihil de exiſtentia conditoris rerum, ac gubernatoris Dei, nihil de infinitis ejus perfectionibus, nihil de hominis ſtatu, qui hanc vitam conſequeretur, ſpeculando perſpici, & dijudicari in alterutram partem, ſintne re ipſa, an non ſint, poſſe, etſi non diffiteatur, iſtiusmodi dogmata ſummi momenti eſſe. Et quoniam iſtiusmodi veritates non ſenſu aut imaginatione, ſed intelligentiæ, & rationis vi exquirendæ ſunt, idcirco vim quidem & facultatem intelligendi in ſua, quam hoc nomine inſcribit, Analytica perquirit, atque ad examen revocat; in Dialectica dein rationis humanæ vim & facultatem ipſa ratione conatur evertere, atque ad incitas redigere.

§. 71. De intellectu igitur inveſtigat Kantius in Analytica ſua primo notiones ejusdem proprias, quæ nullo ſenſu, nullo ullius experientiæ adminiculo, ſed omnes plane, quæcunque cadere poſſint in intelligentiam, a priori proficiſci debeant: ad ſola tamen ſenſuum atque experientiæ objecta applicari

cari possint; secus penitus inanes sint, meraque illusio phantasiæ, aut ipsius intelligentiæ. *) Atque id ipsum legibus iis, quas intelligendi facultati ex præconcepta hypothesi præscribit, maxime evincere adlaborat, quemadmodum post exponam, quam de notionibus intellectus tractavero.

*) Critik Seite 89. Diese Analytik ist die Zergliederung unseres gesammten Erkenntnisses a priori in die Elemente der reinen Verstandeserkenntniss. Es kömmt hiebei auf folgende Stücke an. 1. Dass die Begriffe reine, und nicht empirische Begriffe sein. 2. Dass sie nicht zur Anschauung, und zur Sinnlichkeit, sondern zum Denken, und zum Verstande gehören. 3. Dass sie Elementarbegriffe sein, und von abgeleiteten, oder daraus zusammengesezten wohl unterschieden werden. 4. Dass ihre Tafel vollständig sei, und sie das ganze Feld des reinen Verstandes gänzlich ausfüllen. — — Seite 195. So rein diese Begriffe auch von allem Empirischen sind, und so gewiss es auch ist, dass sie völlig a priori im Gemüthe vorgestellt werden; so würden sie doch ohne objective Gültigkeit und ohne Sinn und Bedeutung sein, wenn ihr nothwendiger Gebrauch an den Gegenständen der Erfahrung nicht gezeigt würde. — Ohne das sind die Begriffe leer, und man hat dadurch zwar gedacht, in der That aber durch dieses Denken nichts erkannt, sondern bloss mit Vorstellungen gespielt.

§. 72. Synthesis repræsentationum docente Kantio prior est analysi earundem, neque enim resolvi potest, quod ante conjunctum non fuit. At pari ratione dicam, componi non posse plura in unum, quæ prius soluta inter se & disjuncta non fuerunt, præsertim cum ad conjungendas repræsentationes singularem intellectus operationem, quam

 syn-

synthesin vocat, requirat Kantius; quam quidem rem multis verbis implicat, obscuratque; cum perspicua sit per se, neque ullam difficultatem habeat. Præcipua ejus doctrinæ capita sunt hæc. *Primo.* Sensus varia repræsentat in uno, sed in spatio & tempore omnia. Ea varia dein vi spontanea intellectus recipiuntur, disquiruntur, & cunjunguntur, ut inde cognitio existat ex synthesi videlicet, seu ordinatione variorum & conjunctione. Synthesis generatim sola vi imaginandi fit, cæco quodam, sed necessario tamen modo; nulla enim cognitio absque ea synthesi nobis obtingit; etsi ejusdem raro conscii nobis simus. At pura synthesis, ex qua cognitio existit, propria est intellectus, principio quodam unitatis a priori nititur, uti fit, quando plures unitates junguntur in decades. *) *Secundo.* Hæc synthesis non datur per objecta, neque per sensus, sed fit per intellectum; quia conjuncta concipere non possumus, nisi idem antea conjunxerit. Analysis, qua est synthesi contraria, hanc præcessisse indicat. **) *Tertio.* In hac conjunctione præter notionem variorum & notionem synthesis inest notio unitatis; atque ad hæc omnia per actum spontaneum intellectus accedit apperceptio, sive conscientia expressa his verbis: *ego cogito*; quæ repræsentationem variorum & synthesin semper comitatur; quia mea est repræsentatio, meaque synthesis; sive quia ad me unum spectant hac omnia; unde appellatur *apperceptio pura*, vel *originaria* aut unitas *transcendentalis*, sive *a priori* proveniens. ***)

*) Seite 129. Das Mannigfaltige der Vorstellungen kann in einer Anschauung gegeben werden. — Allein die Verbindung (conjunctio) eines Mannigfal-

nigfaltigen überhaupt kann niemals durch Sinne in uns kommen; — denn sie ist ein Actus der Vorstellungskraft; und da man diese zum Unterschiede der Sinne Verstand nennen muss, so ist alle Verbindung, wir mögen ihrer bewusst sein, oder nicht — — eine Verstandshandlung; die wir mit der Benennung Synthesis belegen. Seite 102. Die Spontaneität unseres Denkens erfordert es, dass das Mannigfaltige zu erst auf gewisse Weise durchgegangen, aufgenommen, und verbunden werde, um daraus eine Erkenntniss zu machen. Diese Handlung nenne ich Synthesis. — Seite 103. Die Synthesis überhaupt ist die blosse Wirkung der Einbildungskraft einer blinden, obgleich unentbehrlichen Funcktion der Seele, ohne die wir überall gar keine Erkenntniss haben würden, der wir uns aber selten nur allein bewusst sind. Seite 104. Die reine Synthesis ist diejenige, welche auf einem Grunde der synthetischen Einheit a priori ruhet: so ist unser Zählen (vornämlich ist es in grösseren Zahlen merklicher) eine Synthesis nach Begriffen; weil sie nach einem gemeinschaftlichen Grunde der Einheit geschieht, z. B. der Decadik.

**) 129. 130. Die Verbindung eines Mannigfaltigen kann niemals durch die Sinne in uns kommen. — Sie wird nicht durch Objecte gegeben, sondern nur vom Subjecte selbst verrichtet; weil sie ein Actus seiner Selbstthätigkeit ist. — Die Auflösung (Analysis) sezt selbe jederzeit voraus. Denn wo der Verstand vorher nichts verbunden hat, da kann er auch nichts auflösen.

***) Seite 130. seq. Der Begriff der Verbindung führt ausser dem Begriffe des Mannigfaltigen und der Synthesis desselben, noch den der Einheit desselben bey sich. — Das *Ich denke*, muss alle unsere Vorstellungen begleiten können. — — Das Mannigfaltige der Anschauung hat eine nothwendige Beziehung auf das: *Ich denke*, in demselben Subject, darinn das Mannigfaltige angetroffen wird.

wird. — Es ist ein Actus der Spontaneität. — Ich nenne es reine Apperception — ursprüngliche apperception, transcendentale Einheit des Selbstbewusstseyn.

§. 73. Debuerat hoc loco Kantius explicare notiones, seu ideas *complexas*, quæ *primo* vel ipsis sensibus citra imaginationis vel intellectus usum sese ingerunt; vel *secundo* imaginandi vi, si acceptæ sensibus jam sint, reproducuntur, aut ex acceptis producuntur vel effinguntur veluti nova compositione; vel *tertio* per intellectum efformantur apta quadam ratione & conjunctione aliarum repræsentationum similium inter se aut dissimilium. Sed Kantius novitate verborum, & longa circuitione, tum etiam hypothesibus falsis admixtis involvit omnia, quæ nunc paucis explicanda sunt. Sensus, inquit, varia repræsentat in uno, sed in spatio & tempore omnia. Resp. Hæc quidem appendicula temporis & spatii repræsentationibus omnibus, omniumque sensuum tanquam perpetua & necessaria falso adnectitur a Kantio. Quando enim odores gratos vel molestos, calorem item aut frigus, quando sonos percipiunt infantes teneri; qualem temporis aut spatii repræsentationem habere possunt? Sed hac de re infra disserere nos coget kantiana hypothesis. In iis, quæ visu aut tactu percipimus, res una pluribus constans notis & ideis partialibus repræsentatur, sed primo quidem ratione confusa, ut altera nota ab altera singilatim non distinguatur. In idea complexa solis, quæ visu accipitur, inest repræsentatio lucis, splendoris, distantiæ, magnitudinis apparentis, figuræ. Si vel cæcus corpus quoddam e. g. globum lapideum contrectat manu, eodem sensu duritiam, figuram, calorem

lorem aut frigus, humiditatem aut ſiccitatem, aſperitatem vel lævitatem, forte etiam pondus ſentit; quin continuo repræſentationem alteram ab altera diſtinguat. Iſtiusmodi ideæ, etſi eodem ſenſu animum ſubeant, tamen reipſa diſtinctæ ſunt, haud ſecus, ac ſi diverſis ſenſibus advenisſent; hinc etiam figuram aut magnitudinem apparentem ſolis citra lucis, ſplendoris aut diſtantiæ repræſentationem, ſi compareant in pictura, agnoſcimus. Hæ quidem complexæ ideæ ſenſibus adſcribendæ ſunt, nec uſum intellectus ceu in ætate tenera vel ipſis beſtiis exigunt; certe canis agnoſcit herum ſuum ex figura, magnitudine, ſono vocis, odore; quæ quidem tempore eodem repræſentantur. Quis ergo finget, ad iſtiusmodi cognitionem requiri, ut intellectus varia illa diſcutiat, conjungat, ordinet? Neque in præſenti ſenſuum uſu imaginatio quidquam operatur conjungendo ſcilicet, quæ conjuncta jam ſenſibus ſe offerunt, atque inſinuant. Cæco id modo fieri, cujus raro conſcii nobis ſumus, affirmat Kantius; quo igitur argumento id fingit?

§. 74. Abſentibus objectis imaginem eorundem æque complexam, ac ſenſibus hauſeramus, imaginatione reproduci poſſe, norunt omnes. Eadem facultate repræſentationes varias conjungi in unam, pariter novimus; idque inſomnia docent, & figmenta poetarum & pictorum apta, & inepta, uti humano capiti cervicem pictor equinam jungere ſi velit, & varias inducere plumas, undique collatis membris, ut turpiter atrum deſinat in piſcem mulier formoſa. Neque totam ſemper imaginem ſenſibus perceptam reproducit imaginatio, ſed interdum notas etiam partiales, quæ in complexa inſunt,

insunt, uti depicta rota stellata, figura conspectæ stellæ, a qua nomen habet, imaginationis vi recurrit; unde similitudine notarum paulatim animadversa in rebus diversis sensu perceptis, accedente vocabulorum usu notiones generales existunt, ceu stellæ, albi, ligni, lapidis &c. Etsi autem ad formandas notiones generales concurrat imaginatio reproducendo notas alio jam tempore & loco perceptas, tamen facultas ipsa notiones generales, id est, abstractas efformandi ad intellectum, partemque superiorem cognoscendi consensu omnium referenda est; quia notiones generales id solum continent, quod sine notis aliis, quas generalis notio excludit, sensu aut imaginatione exhiberi non potest. E.g. Notio generalis trianguli excludit notam laterum æqualium omnium, aut duorum saltem, aut omnium præcise inæqualium; sed ab hac ratione laterum præscindit, uti dicimus; eo ipso, quod generali notione trianguli omnia plane triangula, æquilatera, isoscelia & scalena comprehendantur. At sensus vel imaginatio triangulum exhibere non potest, quod vel æquilaterum non sit, aut isoscelium, aut certe scalenum. Similiter notio animalis, canis &c. uti generalis est, nullo sensu, nulla imaginandi vi exhiberi potest, fatente ipso Kantio. *) Ut proin hoc ipso debeat etiam fateri, intellectum efformando sibi notiones generales ex rebus sensu perceptis ultra sensuum & experientiæ sphæram progredi, neque ob id veritate reali & objectiva destitui. Falso autem hasce notiones generales imaginationi tribuit, cum locis aliis ipsemet syntheses omnes ad intellectum referat, nisi forte repræsentationem materialem vocabuli ac soni imaginationi velit adsignare. **)

*) S. 180. Dem Begriffe von einem Triangel überhaupt würde kein Bild desselben jemals adæquat sein. Denn es würde die Allgemeinheit des Begriffes nicht erreichen, welche macht, dass dieser für alle, recht oder schiefwinklichte etc gilt, sondern immer nur auf einen Theil dieser Sphære eingeschränkt sein. — — Der Begriff vom Hunde bedeutet eine Regel, nach welcher meine Einbildungskraft die Gestalt eines vierfüssigen Thieres allgemein verzeichnen kann, ohne auf irgend eine einzige besondere Gestalt, die mir die Erfahrung darbiethet, oder auch ein jedes mögliches Bild, was ich im Concreto darstellen kann, eingeschränkt zu sein.

**) S. 130. Die Verbindung des Mannigfaltigen — ist ein Actus der Spontaneität der Vorstellungskraft; und da man diese zum Unterschiede der Sinnlichkeit Verstand nennen muss, so ist alle Verbindung, wir mögen ihrer bewusst werden, oder nicht, es mag eine Verbindung des Mannigfaltigen der Anschauung, oder mancherley Begriffe, und an der ersten der sinnlichen oder nicht sinnlichen Anschauung sein, eine Verstandeshandlung, die wir mit der allgemeinen Benennung Synthesis belegen werden.

§. 75. Ex dictis patet, fateri Kantium, nec inficiari omnino posse, intellectum efformando per abstractionem notiones generales ex iis, quæ sensibus percipiuntur, ultra sensus atque experientiam progredi ita, ut abstracta & generalis notio perfecte exhiberi nullo sensuum & experientiæ usu possit: nec tamen hisce notionibus realitatem, & veritatem objectivam abjudicat hoc loco. Quid ergo, cum instar certi dogmatis locis aliis assumat, inanes esse cunctas notiones, & veritatis objectivæ vacuas, nisi sensuum & experientiæ usu repræsentari

ri atque exhiberi possint, quid inquam, excogitavit, ut ex his contradictionum angustiis, quibus premi se sentit, expediat se, atque lectori illudat saltem, si satisfacere non possit? Id nempe agit, ut nescio quae naturae mysteria inesse in hac re doceat, quae comprehendi & explicari a nemine facile poterunt.*) Deinde more suo nova vocabula comminiscitur, ut siquid sensibus repraesentari plene possit, tum eandem *objecti imaginem* vocet, uti cum numerus quinarius punctis quinque . . . . . veluti intuitioni sistitur; aliis vero casibus cum id ob notiones magis complicatas fieri non potest, *objecti schema* duntaxat nobis suppetere doceat; uti cum numerum *mille* animo volvimus, cujus singulas unitates eodem tempore sensibus aut imaginatione distinguere ac comprehendere non possumus ob ipsas nempe angustias humanae mentis. **)

*) S. 180. Dieser Schematismus unseres Verstandes, in Ansehung der Erscheinungen, und ihrer blossen Formen, ist eine verborgene Kunst in den Tiefen der menschlichen Seele, deren wahre Handgriffe wir der Natur schwerlich jemals abrathen, und sie unverdeckt vor Augen legen werden.

**) S. 179. Wenn ich fünf Punkte . . . . . hintereinander setze, ist dieses ein Bild von der Zahl fünf. Dagegen wenn ich eine Zahl überhaupt nur denke, die nun fünf oder hundert sein kann, so ist dieses Denken (Schema) mehr die Vorstellung einer Methode, einem gewissen Begriffe gemäss eine Menge (z. E. Tausend) in einem Bilde vorzustellen als dieses Bild selbst, welches ich im letzteren Falle schwerlich würde übersehen, und mit dem Begriffe vergleichen können.

§. 76.

§. 76. **Ita Kantius res planas & perſpicuas** novitate nominum, & confictis naturæ arcanis (quorum aliis locis maxima multitudo re vera præſto eſt) circumplicat, atque obtegit. Quid *imaginis* & *ſchematis* vocabula huc trahere opus fuit, cum Philoſophi inter ideas *intuitivas* & *ſymbolicas* dudum diſtinxerint, atque illis quidem res ita exhiberi ſenſu, imaginatione aut reflexione dixerint, quales intueri ſolemus: hisce vero ope ſignorum, aut ſymbolorum repræſentari docuerint ea, quæ in ideis continentur reipſa; uti ſi cogito *centum*, *mille* &c. quorum idea non minus fixa, nec minus determinata eſt, quam binarii, aut ternarii notio. In abſtrahendis efformandisque notionibus generalibus nemo Philoſophorum ante Kantium ſingulare quoddam naturæ myſterium deprehendit, eamque rem ipſæ anguſtiæ humanæ mentis neceſſariam reddunt, & rudibus etiam ac parvulis communem in iis certe, quæ præ manibus atque oculis ſæpe habent, quamprimum generales voces arripiunt, uti cum in linteo, muro, creta, lacte eundem percipiant colorem album, ejus notionem abſtractam & communem concipiant animo, quam albi & albedinis nomine dein exprimunt. Maxima pars vocum, ex quibus omnium gentium ſermo conſtat, generalia ſunt nomina; neque id caſu, ſed ratione & neceſſitate fit. Si enim res quævis ſingularis peculiari nomine eſſet ſignanda, in infinitum creſceret multitudo vocum, neque in capaciſſima hominis mente reperiret locum. Nunc vero propria nomina, quæ res ſingulares denotant, admodum pauca formarunt homines, aut certe in uſu habent pro ſermonis ac vitæ communis neceſſitate: res vero plerasqne, quatenus ſimiles

les sunt in quibusdam notis, per generalia vocabula designant; ac siquam rem singularem notare velint generali voci signum demonstrativum, aliumve singularem notam adnectunt, ceu hæc charta, equus Semprorii. Si generales notiones, aliæque per intellectum efformatæ, quas *factitias* nuncupamus, omnem experientiam, sensuumque usum transcendunt, fatente ipso Kantio, non continuo minus veræ, & objective validæ, uti loqui amat, censeri debent, quam aliæ, quibus imago vel intuitio sensuum aut imaginationis plene respondet; desumtæ enim sunt ex rebus, in quibus omnes earum notæ vere erant conjunctæ, aut certe sic efformatæ, ut notarum consensus expers cujusvis contradictionis liquido demonstrari possit. Quapropter omnino falsum, penitusque rejiciendum illud Kantii assertum est (quod ipse pro vero sumit magis, quam confirmat) vacuas esse notiones, & veritatis objectivæ expertes, quibus nullum experientiæ & sensuum objectum respondeat.

§. 77. Ut concludam, quæ de kantiana synthesi adnotanda erant, ea hisce capitibus constringo. 1. Sensus & imaginatio plura in rebus objectis fere repræsentant, sed, nisi intellectus adminiculetur, *confuse*, quin alteram notam ab altera distinguant; ea conjunctio ipsis sensibus se ingerit; quia exhibent aliquid indivisum in se & divisum ab omni alio, hoc est, *unum*. 2. Facultas distinguendi seorsim ea, quæ in re eadem insunt, intellectus propria est, & fit maxime usu vocum, quæ notis singulis seorsim tribuuntur; e. g. hoc, quod perpetuo sensibus obversatur, extensum, divisibile, certa figura & colore præditum, mobile, impenetrabile, grave

grave est id, quod corpus nuncupamus. 3. Facultas item efformandi ex perceptionibus sensus intimi notiones complexas rerum earum, quæ nihil corporeum exhibent, ceu virtutis, scientiæ &c. sine dubio intellectui adscribenda est, etsi ad expoliendas, riteque conformandas notiones completas ac determinatas, quas definitiones vocamus, sæpe multiplici ratiocinatione opus sit. Exemplum elegans istiusmodi complexionis profert Tullius in Topicis c. 6. cum definitionis modum notione *hereditatis* explicat his verbis. „Sic igitur veteres „præcipiunt: cum sumseris ea, quæ sint ei rei, quam „definire velis, cum aliis communia, usque eo per-„sequi, dum proprium efficiatur. Ut hoc, *heredi-„tas est pecunia.* Commune adhuc: multa enim ge-„nera sunt pecuniæ. Adde, quod sequitur: *quæ „morte alicujus ad quempiam pervenit.* Nondum est „definitio; multis enim modis sine hereditate tene-„ri mortuorum pecuniæ possunt. Unum adde ver-„bum, *jure.* Jam a communitate res disjuncta vi-„debitur, ut sit explicata definitio, sic: *Hereditas „est pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam per-„venit jure.* Nondum est satis. Adde: *Nec ea aut „legata testamento, aut possessione retenta.* Confe-„ctum est." Tales quidem complexiones sunt plurium idearum generis diversi. At 4. aliquando intellectus repetendo atque iterando ideam eandem alias efficit complexas; quo modo repetendo ideam unitatis, vel plures ideas generis ejusdem sæpius ponendo numerorum ideas efformat, eodemque modo spatium & tempus ampliando aut replicando mensuram quandam pro libitu assumtam *indefinite* augeri, ac protendi posse intelligimus. 5. Hæc quidem mentis facultas *componendi* ideas extra controversiam

eſt poſita; at non minorem ſolertiam exigit ſtudium inveſtigandi *ſimplices* repræſentationes, ex quibus complexæ coaleſcunt, quæ adeo nihil varium & multiplex continent; neque enim notas infinitas illæ complectuntur repræſentationes, quæ ſyntheſin requirunt, aſſerente id ipſum Kantio *) quocirca ad ſimplices perveniri demum debet, in quibus nulla ſyntheſis ineſt.

*) Seite 40. Kein Begriff als ein ſolcher kann ſo gedacht werden, als ob er eine unendliche Menge von Vorſtellungen in ſich enthielte.

Caput IX.

Categoriae Kantii, seu formae intellectus, aut formae cogitandi.

§. 78. Philoſophi veteres in parte rationali philoſophiæ, quam diſſerendi artem nuncuparunt, cum viderent, multa eſſe, maximeque varia, quæ diſſeri & enuntiari de quopiam, aut quibusdam tanquam de ſubjecta materia poſſent; ea revocare conati ſunt ad certas claſſes, & communes locos, quos appellarunt *Categorias*, ſeu Prædicamenta, eoquod de aliquo, vel aliquibus prædicarentur. Hinc Cicero L. IV. Quæſt. tuſculan. ubi de perturbationibus animi ex Stoicorum doctrina agit, cum *lætitiam* ex opinione recenti boni præſentis: *libidinem* ex opinione venturi boni derivaſſet, dein c. 9. addit: „Diſtinguunt illud etiam, ut ſit libido earum „rerum, quæ dicuntur de quodam aut quibusdam; „quæ κατηγορεματα dialectici appelant: uti habere „divitias, capere honores. Indigentia rerum ipſa„rum eſt, ut honorum, ut pecuniæ.“ Categoriæ igitur ex

ex mente veterum philoſophorum non prædicata generalia rerum quarumvis continebant, ſed ea, quæ de homine quodam aut quibusdam poſſent enuntiari; quod ipſum categoria *ſitus*, ceu ſtare, ſedere; & categoria *habitus* ceu eſſe tunicatum, armatum &c. declarant. Sed deinceps vocabula, quæ illas continebant, latius explicata atque extenſa fuerunt. Numerus earum ab Ariſtotele vel Archita tarentino denarius fuit poſitus, forte quod hic perfectiſſimus numerorum omnium a Pythagoricis cenſeretur. Exprimi is ſolet hoc verſiculo:

1. *Subſtantia* Arbor	2. *Quantitas* ſex
3. *Relatio.* ſervos	4. *Qualitas.* ardore
5. *Actio* refrigerat	6. *Paſſio* uſtos.
7. *Ubi* ruri	8. *Quando.* cras
9. *Situs* ſtabo	10. *Habitus* ſed tunicatus ero.

De hisce categoriis multa ſubtiliter commentati ſunt veteres philoſophi non tam ex inveſtigatione naturæ, & experientiæ ductu, quam enucleando vocabula, & multimodis dividendo; unde ſpecies ampla doctrinæ potius, quam vera rerum cognitio compararetur. Quam ob rem apud recentiores philoſophos, qui naturam & veritatem rerum conſectabantur, categoriæ iſtæ in honore eſſe deſierunt, ut prope earum nomen oblivioni fuerit datum. At Kantius, cum veritates theoreticas de Deo, ejusque perfectionibus, de humana mente, rerumque creatione impugnare, ac, ſi tollere non poſſet, obſcurare modis omnibus &

 addu-

adducere in dubitationem instituisset, ad metaphysicas latebras recurrit, categorias novo plane apparatu, sed dispari consilio atque usu, quam a veteribus factum erat, novas item cogitandi formas, & hypotheses prioritatum excogitavit tanta ingenii sui & doctrinæ præfidentia, ut, quod a nemine philosophorum adhuc tentatum est, totum id exhausisse se jactitaret, quo humanus intellectus omni vi sua pertingere vere possit. Interest maxime, consilium Kantii habere præ oculis, quo id unice spectabat, ut ostenderet, nullam homini suppetere cognitionem, quæ quidem vera sit & objectivam realitatem habeat, nisi de rebus, quæ sensibus subjacent, iisque, non quales sint in se, sed quales apparerent, sive in repræsentationibus nostris existerent. Ob hunc finem notiones confingit ab intellectu ex semet ipso productas, quas negat veras esse seu objectivas, si ad res sensibiles non applicentur, ut proin omne id, quod de Deo, & perfectionibus infinitis, de substantia humanæ mentis ejusque natura simplici & immortali, de mundi creatione ac de futuro hominis statu ex metaphysicis notionibus, ac principiis vi ipsa naturali rationis differitur, veritate reali penitus careat.

§. 79. Categorias igitur Kantius non decem aristotelico more, sed duodecim ponit, in quatuor classes dispertitas secundum quadruplicem judiciorum formam, scilicet quantitatem, qualitatem, relationem, modalitatem; ut in singulis classibus categoriæ tres consistant, & quæ in binis prioribus classibus sint, *mathematicæ* vocentur, quæ in posterioribus binis, *dynamicæ*. Hanc nomenclationem, ipsamque partitionis rationem tum excutiam, cum

tum categorias ipſas, earumque vim, & naturam, atque originem examinavero. Hæc ergo earum eſt tabula

1. *Categoriæ quantitatis.*	2. *Categoriæ qualitatis.*
Unitas	Realitas
Multitudo	Negatio
Totalitas	Limitatio.

3. *Categoriæ relationis.*	4. *Categoriæ modalitatis.*
Subſtantia & Accidens	Poſſibilitas — Impoſſibilitas
Cauſalitas & Dependentia ſeu Cauſa & Effectus	Exiſtentia — Non exiſtentia
Communio, ſeu actio mutua inter id quod agit, & id, quod patitur.	Neceſſitas — Contingentia. *)

*) Critik Seite 106. Tafel der Categorien. 1. *Der Quantität* Einheit, Vielheit, Allheit. 2. *Der Qualität* Realität, Negation, Limitation. 3. *Der Relation* Inhärenz und Subſiſtenz, der Cauſalität und Dependenz (Urſache und Wirkung) der Gemeinſchaft, Wechſelwirkung zwiſchen dem Handelnden, und Leidenden). 4. *Der Modalität* Möglichkeit — Unmöglichkeit. Daſein — Nichtdaſein. Nothwendigkeit — Zufälligksit.

§. 80. De hisce categoriis hæ sunt positiones Kantii. *Primo.* Categoriæ sunt formæ puræ intellectus, ob quas solas nominatur intellectus purus. *) *Secundo.* Sunt veræ notiones originariæ, quæ non derivantur ex notionibus aliis, sed ex quibus aliæ derivantur; quæ quidem sic derivatæ nuncupari possunt *Prædicabilia*, ut distinguantur ab ipsis prædicamentis seu categoriis. **) *Tertio.* Eædem penitus independentes sunt ab experientia, in qua frustra origo illarum quæritur: utiliter tamen occasio, qua provenire solent, investigatur. ***) *Quarto.* Etsi hæ formæ cogitandi ab experientia non deducantur, tamen deprehenduntur in eadem, & per eam illustrantur, atque ad experientiam solam applicari possunt; quia sine intuitu sensuum eæ formæ inanes sunt, expertes veritatis realis, merusque lusus phantasiæ aut intellectus. ****) *Quinto.* Ad cognitionem objecti duo requiruntur, nempe notio seu categoria, cujus ope de illo cogitamus, & intuitus sensuum, quo objectum datur; si enim notioni nullus intuitus responderet, ea non esset, nisi cogitatio quoad formam, sed absque omni objecto, neque res ulla vi illius notionis cognosci posset. Categoriæ ergo aliam utilitatem non habent, nisi ut possibiles sint cognitiones empiricæ; atque in his ipsis cognitionibus sita est *experientia.* *****)

*) Seite 106. Dieses ist das Verzeichniss aller ursprünglich reinen Begriffe der Synthesis, die der Verstand a priori in sich enthält; und um deren willen er auch nur ein reiner Verstand ist.

**) Seite 107. Categorien, als die wahren Stammbegriffe, haben ihre eben so reine abgeleitete Begriffe des reinen Verstandes. — Es sei mir erlaubt,

laubt, diese reine, aber abgeleitete Veſtandesbegriffe die Prædicabilien des reinen Verſtandes (im Gegenſatze der Prædicamente) zu nennen.

***) S. 117. Dieſe Begriffe ſind völlig unabhängig von aller Erfahrung. — — Von ihnen eine empiriſche Deduction verſuchen wollen, würde ganz vergebliche Arbeit ſein; weil eben darinn das Unterſcheidende ihrer Natur liegt, daſs ſie ſich auf ihre (der Erfahrung) Gegenſtände beziehen, ohne etwas zu deren Vorſtellung aus der Erfahrung entlehnt zu haben. — Indeſſen kann man von dieſen Begriffen, wie von allem Erkenntniſs, wo nicht das Principium der Möglichkeit, doch die Gelegenheitsurſachen ihrer Erzeugung in der Erfahrung aufſuchen; wo alsdenn die Eindrücke der Sinne den erſten Anlaſs geben, die ganze Erkenntniſskraft in Anſehung ihrer zu eröffnen. — Seite 126. Die Entwiklung der Erfahrung aber, worinn ſie angetroffen werden, iſt nicht ihre Deduction, ſondern Illuſtration.

****) Seite 298. Ohne Gegenſtand der Anſchauung hat ein ſolcher Begriff keinen Sinn, und iſt völlig leer an Inhalt — ohne dieſes haben ſie keine objective Gültigkeit, ſondern ſind ein bloſses Spiel, es ſei der Einbildungskraft, oder des Verſtandes.

*****) Seite 146. Zum Erkenntniſse gehören zwei Stücke, erſtlich der Begriff, dadurch überhaupt ein Gegenſtand gedacht wird (die Categorie und zweitens die Anſchauung, dadurch er gegeben wird; denn könnte einem Begriffe eine correſpondirende Anſchauung gar nicht gegeben werden, ſo wäre er ein Gedanke der Form nach, aber ohne allen Gegenſtand, und durch ihn gar keine Erkenntniſs von irgend einem Dinge möglich. — Die Categorien liefern uns vermittelſt der Anſchauung auch keine Erkenntniſse von Dingen, als nur durch ihre Anwendung auf empiriſche Anſchauung, d. i. ſie dienen nur zur Möglichkeit empiri-

pirischer Erkenntnifs. Diese aber heifst Erfahrung.

§. 81. Omnia hæc kantiana themata de formis intellectualibus plane commentitia sunt, & vacua rationis, & abhorrentia a genuina naturam investigandi methodo, & temere cæcoque consilio accommodata ad flagitiosam hypothesin, qua negat Kantius, veritatem inesse in humanis cognitionibus iis, qua ultra bestiarum cognitiones ad res a sensibus paulum remotas assurgerent. Notiones hasce appellat *formas*: quo quidem modo a nemine philosophorum adhuc nuncupatæ sunt. Novimus formas in terminis concretis ceu doctrinam a docto, quantitatem a quanto; novimus etiam, uti in omni composito, sic in propositionibus, quæ subjecto, prædicato & copula constant, certas variasque formas: novimus formas argumentationum. Cicero formas appellavit, quas alii species subjectas generi vulgo nuncupant. Sunt etiam suæ formæ & modi vel modificationes inhærentes substantiis, qualis est rotunditas in sphæra. Ac si Kantius repræsentationes & affectiones varias mentis, quas intime in nobis persentiscimus, ejusdem formas appellare velit, non magnopere refragabor; sed id de omnibus repræsentationibus pariter asserendum esset, non de solis intellectualibus, quod vult Kantius.

§. 82. Si igitur hæ notiones non ob eam caussam, quod menti inhæreant, formæ dicuntur; quale subjectum aut quam materiam habebunt demum, in quo insint, & cujus formæ sint. Quomodo enim forma concipi potest absque eo, quod formatum, aut certa ratione conformatum dicitur? Quodque peni-

penitus abnorme eſt, *a priori* eſſe, hæ formæ cenſendæ ſunt. At ubique & caſibus omnibus ſubjectum prius eſſe forma ſua intelligitur. Quomodo igtur a priori ſunt kantianæ formæ, forte quod prius adſint in mente hominis, quam earum uſus in humanis cognitionibus ac judiciis fiat? nec id placet Kantio; ſic enim præformatæ eſſent eo prope modo, quo Leibnitius præſtabilitas in animo repræſentationes docuit & ita præſtabilitas, ut eædem manerent, etſi res omnes, quarum imagines ſunt, tollerentur. Ipſa quidem cognoſcendi facultas a priori ad cognitiones quaslibet requiritur manifeſto. Similiter diſpoſitiones quasdam mentis certo modo cogitandi, judicandique a priori in nobis adeſſe, haud ægre intelligimus. At illæ formæ, non ſola facultas eas efformandi quo demum ſignificatu eſſe a priori dicuntur? nihil reſpondere poterit Kantius, niſi eas *non eſſe* acceptas a ſenſibus, *non eſſe* ex repræſentationibus ſenſuum effictas aut elaboratas, *non eſſe*, innatas, quod carteſiani de quibusdam ideis tradiderunt, *non eſſe* præformatas aut præſtabilitas leibnitiano ſenſu: *non eſſe* — — *non eſſe*. — — Sed hæc omnia mere negativa ſunt, nullamque habent veram rationem, easdem a priori conſtituendi.

§. 83. Inanes ſunt hæ formæ, docente Kantio, niſi ad res ſenſuum affigantur; quo quidem, neſcio, quid dici poſſit abſurdius; nam generales fere ſunt illæ notiones, neque quidquam comprehendunt, quod ſolis conveniat rebus ſenſuum; & tamen, ſi ad has ipſas applicantur, ſignificatum habent: ſi ad res alias a ſenſibus remotas, tum ſignificatum penitus amittunt. Dein notio *inanis* quæ

 eſt,

est, nisi repræsentatio, quæ nihil repræsentat? imago, quæ imago non est? Nominamus *terminos inanes*, quibus nulla notio respondet, nisi materialis, nempe ipsius vocabuli, cujusmodi certo certius sunt hæ ipsæ *formæ a priori.* Sed notio inanis quæ est, nisi nulla notio? At has verborum cogitationumque pugnas delabi cogitur kantiana hypothesis, qua hominem, si cognitiones veras sectari velit, solis sensibus contineri jubet, & inanem, ac fallacem penitus cognitionis speciem esse tradit, quam de summo creatore Deo, ejusque admirandis perfectionibus, de humana mente, ac futuro statu comparasse se, aut comparare quidem posse, sibi persuadet. Quam kantiani consilii pravitatem acute notavit Augustus Tittelius in erudita de kantianis formis dissertatione. *)

*) Kantische Denkformen, oder Kategorien von Gottlob August Tittel. Frankfurt am Mayn 1787 Seite 29. Die Kategorien sind nur Formen. — Aber fragen muss ich nun: Was sollen diese Formen doch sein? — — Leere Formen sind es, ohne die Bedingung der Sinnlichkeit genommen; und über die Gränzen möglicher Erfahrung hinausgeführt, ohne Bedeutung, und ohne Sinn. — Nun das verstehe ich denn wohl. — Die reine Verstandsbegriffe, sagt Kant, reichen nicht über das Feld der Sinnlichkeit hinaus. — — Ich verstehe auch schon das grosse Resultat der kantischen Philosophie, wohin diess alles zielt: „Der reine (durch Critik gereinigte) Verstand soll sich darum auch nie an Gott, an Freiheit, und an Unsterblichkeit wagen, um jemals eine Erkenntniss davon zu Stande zu bringen; weil die Gegenstände hierzu in der Erfahrung nicht gegeben werden können.“

§. 48.

§. 84. Categoriæ seu formæ intellectuales Kantii nequaquam per sensus adveniunt, nec ab experientia pendent ullo modo; occasionem tamen præbet experientia, ut eas intellectus ex se producat. Similiter olim differebant cartesiani quidam de innatis ideis suis; quibus responsum est, si eam vim, ac velut proportionem ad ideas innatas habet experientia, ut unam præ alia resuscitare & præsentem possit sistere; cur efficere non possit, ut eædem ex iisdem ideis, quas suppeditat experientia, ab intellectu rationeque efformentur? nam ea, quæ obtenditur, occasio resuscitandi ideas innatas per experientiam dari non potest, si nihil hisce innatis ideis cum ideis experientiæ commune sit; si est autem commune quidpiam, difficile non est ostendere, ex ideis experientiæ, sensusque intimi potissimum, opitulante ratione, conformari eas, quas innatas nuncupabant. Poscit enim recta philosophandi ratio, nequid arbitraria hypothesi, & imaginationis ludibrio, aut vocabulorum inanium, novorumque apparatu confingamus, sed experientiæ ductu, ipsiusque naturæ sedulo exploratæ magisterio de rebus rerumqne veritate differamus. Cartesianæ quidem hypotheses fictionesque ætatem non tulerunt, sed invecta genuina philosophandi methodo veluti umbra, oborta luce, disjectæ sunt. Pro certissima enim lege assumtum est, causas rerum non alias, nec plures statui debere, quam quæ *&* *veræ* sunt, id est, de quarum reali existentia satis constat, & quæ producendis effectibus iis, quos in naturæ contemplatione observamus, pares sint ac *sufficientes*. Porro constat profecto de ideis, quas sensu externo & interno accipimus: constat itidem de facultate humanæ mentis, qua ex iisdem ideis utro-

utroque ſenſu acceptis abſtrahendo, & componendo alias efformamus, quas mortali hoc ſtatu vi naturali in hominibus deprehendimus; nihil ergo ideis innatis Carteſii, nihil ideis præformatis Leibnitii, & nihil penitus formis Kantii a priori eſt opus; ſed exploſis figmentis & hypotheſibus veritas conſectanda eſt.

§. 85. Sed Kantius quidem carteſianum *Occaſionis* vocabulum adhibens ad producendas formas ſenſuum & intellectus non modo nihil affert, quod cum veritate rerum congruat, ſed turpiter ipſe ſibi, doctrinisque ſuis adverſatur, & contradicit. Si enim repræſentationes ſenſuum & intuitus occaſio ſunt, qua poſita illæ formæ ſponte ex natura humanæ mentis prorumpant; neceſſe erit, ut ſenſuum repræſentationes & intuitus, id eſt, experientia *prius* concipi debeant, quam formarum productio; atqui, docente pariter Kantio, formæ illæ a priori neceſſariæ ſunt, & conditio poſſibilitatis, ut experientia quædam concipi & dari omnino poſſit. Experientia ergo poſterior erit formis tanquam conditione poſſibilitatis ejusdem: eodemque tempore experientia prior erit formis tanquam occaſio earumdem: & formæ itidem priores erunt experientia, tanquam conditio poſſibilitatis, ut experientia quædam omnino exiſtat: eædemque formæ erunt poſteriores experientia utpote occaſione, qua poſita formæ demum velut ex nihilo prorumpant. Audiat, obſecro, lector, ipſum loquentem Kantium, & miſerabilem cacoethen philſophiæ tranſcendentalis expendat. *) Sed abſurdiſſima hac verborum doctrinæque pugna non contentus Kantius, cum nunc formas experientia priores, nunc experientiam tanquam

quam occasionem formarum formis priorem statuisset, alio dein loco utrumque tollit, & utrasque, scilicet experientiam & formas, simul concurrere, sibique velut obvias venire docet. **) Nec vero aut hujus dicti, aut eorum, quæ aliis locis de formis suis commentus est, rationes alias, argumentaque protulit, nisi sumendo pro vero id, quod ex præconcepta hypothesi tanquam verum præsumit. Non est hoc, profecto non est hoc philosophari, sed ariolari, & fabulari.

*) Einleitung Seite 1. Es könnte wohl sein, dass selbst unsere Erfahrungserkenntniss ein Zusammengesetztes aus dem sei, was wir durch Eindrücke empfangen, und dem, was unser eigenes Erkenntnissvermögen (durch sinnliche Eindrücke bloss veranlass) aus sich selbst hergiebt. — Seite 48. Man kann von diesen Begriffen die Gelegenheitsursachen ihrer Erzeugung in der Erfahrung auffsuchen; wo alsdenn die Eindrücke der Sinne den ersten Anlass geben, die ganze Erkenntnisskraft in Ansehung ihrer zu eröffnen, und Erfahrung zu Stande zu bringen. Seite 121. Da nur vermittelst der Formen der Sinnlichkeit uns ein Gegenstand erscheinen, d. i. ein Object der empirischen Anschauung sein kann; so sind Raum und Zeit reine Anschauungen, welche die Bedingung der Möglichkeit der Gegenstände als Erscheinungen a priori in sich enthalten. Seite 166. Entweder macht die Erfahrung diese Begriffe (Categorien) oder diese Begriffe machen die Erfahrung möglich. Das erstere findet nicht in Ansehung der Categorien (auch nicht der reinen sinnlichen Anschauung) statt; denn sie sind Bedingungen a priori; mithin unabhänig von der Erfahrung. — Folglich bleibt nur das zweyte übrig, dass die Categorien von Seiten des Verstandes die Gründe der Möglichkeit aller Erfahrung überhaupt enthalten.

**)

**) Seite 124. Es ſind nur zwei Fälle möglich, unter denen ſynthetiſche Vorſtellung, und ihre Gegenſtände zuſammen treffen, ſich auf einander nothwendiger Weiſe beziehen, und gleichſam einander begegnen können. Entweder wenn der Gegenſtand die Vorſtellung, oder dieſe den Gegenſtand allein möglich macht. Iſt das erſtere, ſo iſt dieſe Beziehung nur empiriſch, und die Vorſtellung iſt niemals a priori möglich. Und dieſs iſt der Fall mit Erſcheinungen in Anſehung deſſen, was an ihnen zur Empfindung gehört. Iſt aber das zweite, weil Vorſtellung an ſich ſelbſt (denn von deſſen Cauſalität vermittelſt des Willens iſt hier gar nicht die Rede) ihren Gegenſtand dem Daſein nach nicht hervorbringt, ſo iſt doch die Vorſtellung in Anſehung des Gegenſtandes a priori beſtimmend, wenn durch ſie allein es möglich iſt, etwas als einen Gegenſtand zu erkennen.

§. 86. Quæ loco ultimo adnotavi Kantii verba novam diſquiſitionem poſcunt. Binis, inquit, caſibus fieri poteſt, ut repræſentationes ſyntheticæ, eorumque objecta conſentiant, & quodammodo concurrant. Nam aut experientia efficit repræſentationem, aut repræſentatio facit, ut poſſibilis ſit experientia, quemadmodum Kantius loqui amat. Repræſentatio ſynthetica Kantio eſt judicium, quo ſubjecto tribuitur prædicatum, quod in ipſa ſubjecti notione haud continetur; ac tum in judiciis *empiricis* haud ægre intelligitur, quomodo experientia efficiat repræſentationem ſyntheticam e. g. fornax calet. Succinum attrahit paleas. Non æque perſpicuum videbitur, quomodo repræſentatio experientiam faciat poſſibilem; quia prius eſt experiri poſſe, quam repræſentare; neque res, quas experimur, repræſentationi, ſed repræſentatio rebus reſpondere & conſentire debet. Ipſe adeo Kantius eadem

eadem superiore nota fatetur, repræsentatione non fieri, ut res sint revera seu existant, sed ut eas experiri possimus; quamquam si rerum nomine sola phænomena, uti solet, denotat Kantius, repræsentatio res ipsas (seu objecta sua, uti in somnio) efficit; sed istuc non urgebo nunc quidem. Repræsentatione possibilem fieri experientiam docet Kantius *primo* quia experientia sita est in cognitione emperica: *secundo* quia cognitio emperica requirit duo, ut sit aliquid, quod sensus intueatur: dein ut idem subjiciatur cuidam categoriæ e. g. *corpus est substantia.* Cum igitur sine categoria non habeatur judicium syntheticum, & sine judicio synthetico (definiente Kantio) non habeatur experientia; sequitur, ut per categoriam posibilis fiat experientia. Hæc sine dubio Kantii mens est, & sententia. Non jam dicam, novam esse hanc planeque arbitrariam, receptoque loquendi usui adversam experientiæ notionem, explicationemque. Illud nego, per categoriam sive a priori ponatur, in mente adesse, sive dicatur concurrere cum objecto sensuum, effici judicium syntheticum. Sit exemplum hujusmodi. Sensus æstum maris, seu statum fluxum & refluxum aquarum exhibent, itemque certas positiones solis ac lunæ, quibus idem usuvenit; intellectus kantianus a priori gignit categoriam causalitatis, effectus, communionis, seu mutuæ actionis, existentiæ item simultaneæ. At hisce omnibus positis necdum judicare possum, aut quod positio luminarium sit causa æstus, aut quod una coexistant velut per accidens. Cum enim plures sint kantianæ categoriæ, quæ objectis sensuum attribui possunt, ratio reddenda est, cur una præ altera progignatur, aut quid intellectum determinet.

net, ut aliam præ alia ſubjecto propoſitionis ſyntheticæ attribuat, quod ex ſola origine categoriarum a priori nequaquam pendet, aut intelligi poteſt. Ante annos aliquot opinati ſunt aſtronomi quidam, ſe teleſcopio conſpexiſſe ſatellitem quemdam Veneris. At alii oſtenderunt, id, quod priores conſpexerunt, punctum lucidum, nequaquam ſubſtantiam cujusdam planetæ aut ſatellitis eſſe, ſed accidens & illuſionem opticam. Quærebatur ergo, utrumne puncto illi lucido, quod in aliqua a Venere diſtantia conſpiciebatur categoria ſubſtantiæ, an accidentis eſſet attribuenda; quod quidem ex prioritate kantiana definiri minime potuit.

§. 87. Quo diligentius categorias Kantii, earumque expoſitionem quis ſpectet; eo plura offendit & repugnantia certiſſimis philoſophiæ principiis, & ex arbitraria hypotheſi a Kantio conficta. Judicium ferri, in re ambigua præſertim, non poteſt, niſi prævia fiat comparatio idearum ſubjecti & prædicati. Igitur categoria nequit una *concurrere* cum objecto ſenſuum in repræſentatione aut propoſitione ſynthetica (quemadmodum vult Kantius) ſed repræſentationem aut propoſitionem ſyntheticam *præcedere* debet. Quis enim feret judicium hoc: *corpus eſt ſubſtantia*; niſi præter intuitum corporis notionem ſubſtantiæ ante perſpectam habeat, quam illa duo inter ſe conjugat? nec ſane conjungere poterit, niſi partiales notas, quas nomine ſubſtantiæ comprehendit, in corpore, quod intuetur, ineſſe deprehenderit. Si autem notæ partiales, quas categoriæ ſuo conceptu continent, in objectis ſenſuum revera inſunt, & ineſſe debent; cur ex iisdem objectis abſtrahi, ſive per abſtractionem

nem

nem (quæ certissime competit humanæ cognitioni) efformari eædem categoriæ non possint? ut proinde fictitia prioritate Kantii haudquaquam egeamus ad notionum nostrarum originem explicandam. Quod enim Kantius affirmat, *illustrationem* duntaxat categoriæ esse illam, qua ejusdem notæ in objectis sensuum exhibentur, non vero *deductionem* ejusdem ab objectis sensuum & experientia repetitam; id penitus inane & ridiculum vocabulorum commentum est, indignum philosopho veritatis indagatore. *) Siquis conceptum generalem empiricum e. g. animalis in obviis quibusque animalibus repræsentet; tum vero, docente Kantio, *deductionem conceptus* empiricam facit, neque ulteriori demonstratione pro ejusdem conceptus realitate objectiva afferenda eget, etsi nullum exemplum singulare generalitatem conceptus exæquare possit. (§. 74.) **) At si conceptus, quem categoriæ comprehendunt, in rebus obviis, quas sensu externo vel interno persentiscimus, non exhibeatur, tum non *deductio* empirica, sed *illustratio* conceptus sit, cujus adeo realitas deductione transcendentali indiget. Quis non videt, nugas vocabulorum esse has, non commentationes & rationes metaphysicas?

*) Critik Seite 146. Die Entwicklung der Erfahrung, worinn sie angetroffen werden (die Begriffe, Categorien) ist nicht ihre Deduction, sondern Illustration.

**) Seite 116. Wir bedienen uns einer Menge empirischer Begriffe ohne jemandes Widerrede, und halten uns auch ohne deduction berechtigt, ihnen einen Sinn und eingebildete Bedeutung zuzueignen; weil wir jederzeit die Erfahrung bey der Hand haben, ihre objective Realität zu beweisen. Es giebt indessen auch usurpirte Begriffe,

wie etwa *Glück*, *Schicksal*, die zwar mit fast allgemeiner Nachsicht herumlaufen; aber doch bisweilen durch die Frage: Quid juris? in Anspruch genommen werden; da man alsdenn wegen der Deduction derselben in nicht geringe Verlegenheit geräth; indem man keinen deutlichen Rechtsgrund weder aus der Erfahrung, noch aus der Vernunft anführen kann, dadurch die Befugniss seines Gebrauches deutlich würde.

CAPUT X.

INQUIRITUR ORIGO EARUM NOTIONUM, QUAS PRO CATEGORIIS ASSUMIT KANTIUS.

§. 88. Categorias suas nequaquam ab experientia, usuque sensuum, externi scilicet vel interni provenire docet Kantius, neque compositas & derivatas esse ex aliis categoriis. At ego minime dubito, quin aut ab experientia, usuque sensuum, externi vel interni proveniant, aut compositæ vel derivatæ sint ex aliis categoriis, quæ ab experientia, usuque sensuum, externi scilicet vel interni provenerant. Sic assertioni kantianæ, quæ negativa erat & copulativa, secundum Logicæ regulas disjunctivam, eamque affirmativam oppono. Suscipiam egomet probationis onus, quod rejicere in Kantium jure poteram; eoquod pro experientia, tanquam ordinario repræsentationum fonte, a quo Kantius duas duntaxat sensuum formas, & duodecim categorias subtrahit, stet præsumptio, & derivatio earundem a priori absurdis, & arbitrariis hypothesibus subjaceat.

§. 89. Categoria *unitatis* omnes sensuum repræsentationes comitatur. Conspicimus solem unum:

unum: aliterque oculos afficiunt candelæ plures, quam si una luceat: aliter tactum globuli duo, quam si unus teneatur manu: aliter aures soni duo, quam unus: aliter palatum buccellæ duæ, quam una. Credo & canem sentire, unum, an plures lepores sequatur tempore eodem; certe novit herum unum, eumque sensibus discernit ab hominibus aliis. Animadversio reflexa ad ea, quæ intus in animo nostro contingunt, multo posterior est sensuum externorum usu; at quam primum ea fit, neminem dubitare sinit, unusne, an alius atque alius sit, qui repræsentationum suarum, cogitationum, voluptatis, tædii, doloris conscientiam habet. Ex unitatis repræsentatione sub communi quadam nota etiam atque etiam iterata ac repetita componi notionem *pluralitatis* ac *multitudinis* certissimum est; nec id diffitetur Kantius, etsi appendiculam temporis atque intuitum, qui sensuum proprius est, repræsentationi numerorum assuat amore hypotheseos suæ, qua referre omnia ad objecta & formas sensuum primo proposuit, ut scilicet cognitiones humanas de summo Deo, & immortali mente convelleret. *) Quis enim cum *mille* cogitat, ad eam cogitationem successiva unitatum additione pervenit, aut distinctum intuitum mille unitatum adjungere solet, aut etiam potest? id quod ipse Kantius ob angustias humanæ mentis fieri haud posse vidit. (Conf. notam §. 75. & quæ §. 76. a me fuere animadversa.) Et tamen numerorum diversorum notiones præ aliis maxime distinctæ sunt, uti acute animadvertit Lockius; quia minima etiam variatio, quæ unitas est, unamquamque complexionem ab ea, quæ proxime accedit, tam diversam efficit, quam quæ est remotissima. Duo enim non minus distincta

ſunt ab uno, quam ducenta; & idea duorum æque diſtincta eſt ab idea trium, ac totius terræ moles ab acari magnitudine. Sed uſu vocabulorum opus eſt, per quæ complexiones diverſæ definiantur, & quodammodo contineantur. *Totalitatis* repræſentationem & ex unitate & ex pluralitate coaleſcere, componique itidem agnoſcit Kantius; cur ergo ſingularem locum ea tenet categoria, nec ad derivativas rejicitur? Sed quoniam multitudinis & totalitatis notionem a priori exoriri docet, atque ex natura intellectus effundi; cuperem ſcire, quantam pluralitatem & totalitatem humanus intellectus poſſit, ſoleatve attingere; aut cur tam diverſam in hominibus diverſis? Americani quidam, quibus cum ſermonem ſe habuiſſe narrat Lockius, **) viri alioquin acri ſatis ingenio, haud poterant ad mille pervenire numerando, nec diſtinctam aliquam habebant ejus numeri ideam, etſi viginti unitatum ſummam facile colligere poterant. Unde iidem, cum de numeris paulo majoribus loquerentur, capillos oſtendebant, ad multitudinem exprimendam majorem, quam numerare poſſent. De Toupinambis refert auctor alius, eos nulla habere nomina ad numeros ſignandos, qui ultra quinque eſſent, ac ulteriores omnes numeros exprimere ſuos ipſorum, & aliorum, qui adeſſent, digitos demonſtrando. Hanc populorum ruditatem & linguæ inopiam Kantius apud omnes homines perpetuam eſſe & neceſſariam putat; quaſi ſolo intuitu & ſucceſſiva additione omnes numerorum notiones poſſent comprehendere; id quod manifeſta experientia redarguit.

*) Critik Seite 182. Die Zahl iſt eine Vorſtellung, die die ſucceſſive Addition von Einem zu Einem (gleichartigen) zuſammenbefaſst. Alſo iſt die Zahl

Zahl nichts anders, als die Einheit der Synthesis des Mannigfaltigen einer gleichartigen Anschauung überhaupt, dadurch dass ich die Zeit selbst in Apprehension der Anschauung erzeuge.

**) De Intellectu humano P. II. c. XVI.

§. 90. Dictum est de categoriis primæ classis, quæ erat quantitatis. Sequitur classis altera *qualitatis*, & collocata ibidem *realitas*, *negatio*, *limitatio*; quas nullo sensuum adminiculo, nulla compositione aut derivatione a priori effundi vi spontanea intellectus putat Kantius. At certissimum est, quemvis hominem sanæ mentis sensu intimo nosse, quid sit percipere quidpiam, repræsentare rem præsentem vel absentem ante perceptam, quid sit cogitare, cognoscere; idque vel *directe* positiva perceptione quadam, repræsentatione, cogitatione, aut *indirecte* tollendo eam positivam perceptionem, repræsentionem, cogitationem, & ab ea intuitum mentis quodammodo avertendo. Priori casu id, quod percipitur, repræsentatur, cogitatur, vocatur *realitas*, altero casu *negatio*. Siquis nihil omnino nec directe nec indirecte percipit, sibi repræsentat, cogitat; sine dubio omnino non percepit, non repræsentat, non cogitat. Novit ergo quisque sensu intimo, quid sit *aliquid*, quid sit *nihil*, seu quid *realitas*, quid *negatio* sit. Unde Philosophi ajunt; Nihil est, quod manet, omni notione vel cogitatione sublata, ceu: nihil est in crumena: nemo domi. Simplicissima est notio vel cogitatio hæc: *est realitas, est realitatis negatio*; quia omni differentia rerum omissa vel rejecta id duntaxat continet: esse perceptibile, conceptibile, cognoscibile; quod ipsa perceptio, cogitatio continet. Quare inepte

Kantius his etiam categoriis realitatis, negationis & limitationis repræsentationem *temporis* adglutinat, *) cum ipsum tempus, seu ordo successivorum in serie non interrupta sit realitas quædam, & sub latissimo eo genere contineatur; inepte realitatis notionem latissime patentem ad id tantum restringit, quod sensationi respondet; **) quia ipsa phænomena tum subjective tum objective spectata in numero realitatum sunt. Solæ formæ, kantiano sensu spectatæ, inanes termini sunt, quibus nulla cognoscibilitas respondet. Denique uti realitati inepte tempus, hoc est latissimo generi singularem speciem quandam adjungit tanquam necessario cohærentem, ita ratione nulla a principio contradictionis temporis mentionem devellit. Improbat enim probatissimum dictum, luce meridiana clarius: *Fieri non potest, ut idem eodem tempore sit, & non sit.* ***) Idque in hanc sententiam transformari cupit: *Non competit subjecto prædicatum, quod eidem repugnat.* Atqui vulgo, atque adeo ornate & magna sententiæ vi dicimus: *Cœci vident: Surdi audiunt: Victor succumbere, eloquentissimus obmutescere, pugnacissimus cedere debuit*, intellecta scilicet temporis præteriti notatione. Hinc dialectici terminorum usum *per statum & per ampliationem* distinguunt. Exempla proposita palam faciunt, fieri posse, ut subjecto conveniat prædicatum, quod eidem repugnat; sed non conveniat pro eo tempore, quo repugnat; aut conveniat pro eo tempore, quo non repugnat. Dein vis principii cujusvis in eo est, ut ejus veritas luceat ipsa per se, neque ultra demonstrari debeat. At enuntiati kantiani ratio ulterior exquiri potest, cur scilicet subjecto non conveniat prædicatum illud, quod eidem

repu-

repugnat, ac tum respondere Kantius cogetur; quia fieri non potest, ut idem eodem tempore & sit, & non sit. Satis quidem ex his patet, categorias kantianas hac classe positas nequaquam *a priori* oboriri. Realitatis notio ipsi facultati percipiendi & cogitandi, se offert; ejus detractione intelligi *negationem*: *limitationem* vero ex realitate & negatione esse conflatam, deductamque, nisi eandem in mera negatione ulterioris realitatis velis constituere.

*) Seite 182. Realität ist im reinen Verstandesbegriffe das, was einer Empfindung überhaupt correspondirt. Dasjenige also, dessen Begriff an sich selbst ein Seyn (in der Zeit) anzeigt. Negation, dessen Begriff ein Nichtseyn (in der Zeit) vorstellt.

**) Ebendaselbst. Da die Zeit nur die Form der Anschauung, mithin der Gegenstände, als Erscheinungen ist; so ist das, was an diesen der Empfindung entspricht, die transcendentale Materie aller Gegenstände, als Dinge an sich (die Sachheit,) die Realität.

***) Seite 191. Die Formel dieses berühmten, obgleich von allem Inhalt entblösten, und blos formalen Grundsatzes . . heist: Es ist unmöglich, dass etwas zugleich sey, und nicht sey. Ausser dem, dass hier die apodictische Gewissheit (durch das Wort *unmöglich*) überflüssiger Weise angehängt worden, die sich von selbst aus dem Satz muss verstehen lassen. — muss der Satz des Widerspruches, als ein blos logischer Grundsatz, seine Aussprüche gar nicht auf die Zeitverhältnisse einschränken. Es ist daher diese Formel der Absicht desselben ganz zuwider. — — Weswegen ich die obige Formel so verändert habe: *keinem Ding kömmt ein Prädicat zu, welches ihm widerspricht.*

§. 91. In tertia classe reposuit Kantius categorias *substantiæ* & *accidentis*, *causæ* & *effectus*, *communionis* seu actionis & passionis. Hasce notiones negat ab experientia repeti posse, proindeque ab ipso intellectu protrudi docet. De substantia & accidente recolat, quæso, lector ea, quæ supra commentatus sum §. 69. ac quærat ex semet ipse, utrumne serio dubitare possit, esse & mentem & corpus suum substantiam id est, subjectum permanens earum variationum, quas intime experitur, id est, actionum, passionum, statuumque variorum. Hac *enim notione* substantias creatas comprehendimus. Quod mutatur, id statum recipit, quem ante non habuit; variatio & successio statuum sine re perdurabili concipi non potest; nec duratio intelligitur, quin ad aliam saltem possibilem rerum successionem & fluxum referatur. Fieri potest, ut accidentia & qualitates ac status variabiles perdurent aliquanto tempore; sola ergo duratio substantiæ notionem non efficit: at quod agit, quod mutatur, quod patitur, variosque status subit, certe in accidentium numero non est. Ubi actio, proindeque facultas agendi ac vis præsto est; ibi substantia est, ac veluti sedes eorum, quæ in sensus incurrunt. Recte id quidem dicitur, inquit Kantius *) at quærit, quo jure ab actione ad durationem ejus, quod agit, ducatur conclusio; cum duratio proprius & necessarius substantiæ (qua phænomeni) character sit? Respondeo, quod ita agit, ac patitur, ut agendo patiendoque mutetur, & varium statum subeat, id omnino durare debet; neque enim variatio statuum sine successione ac fluxu temporis, neque istuc sine duratione potest intelligi. Dein non istuc nunc quæro, utrum sceptica violentia dubitandi de re qua-

qualibet, eo pervenire quis possit, ut de duratione ejusdem mentis suæ & corporis sui serio ambigat aliquando: sed utrum sensus externus internusque notionem ipsam substantiæ non ingerant, & veluti obtrudant etiam sceptice dubitandi? ut proin fictitia illa prioritas ejus notionis penitus explodi debeat. De origine enim notionum earum, quas a priori procreari vult Kantius, præsens disputatio instituta est. Sed prætermitti sine animadversione non debet sententia Kantii, qua verbis paulo ante commemoratis, locisque aliis substantiam *phænomenon* nuncupat; & tamen ipso mox principio critices suæ substantiæ conceptum manere docet, etsi totum id detrahatur, quod sensus & experientia exhibent. **) Si sublatis notis omnibus, quæ in sensus cadunt, substantia tamen manet reliqua; quomodo substantia in numero phænomenorum est?

*) Critik Seite 250. Wo Handlung, mithin Thätigkeit und Kraft ist, da ist auch Substanz; und in dieser allein muss der Sitz jener fruchtbaren Quelle der Erscheinungen gesuchet werden. Das ist ganz gut gesagt, aber — wie will man aus der Handlung so gleich auf die Beharrlichkeit des Handelnden schliessen; welches doch ein so wesentliches und eigenthumliches Kennzeichen der Substanz (Phænomenon) ist?

**) Einleitung Seite 6. Wenn ihr von eurem empirischen Begriffe eines jeden körperlichen Objects alle Eigenschaften weglasset, die euch die Erfahrung lehrt; so könnt ihr ihm doch nicht diejenige nehmen, dadurch ihr es als Substanz, oder einer Substanz anhängend denkt.

§. 92. Notionem causæ ipso mox principio operis sui protulit Kantius, eamque iterum iterumque resumit, quasi ea invictum prioritatum argumentum

continineret; unde primo etiam capite §. 11. & 12. Kantio super ea re respondere coactus fui; quæ si recolat Lector, vix ultra quidquam pro origine hujus notionis perspicienda desiderabit. Kantius in analytica causam appellat speciem quandam synthesis, per quam posito A aliud quidpiam diversum B necessario & secundum quandam regulam ponitur. Addit: phænomena id tantum docent, aliud *post aliud* sequi secundum certam regulam: sed non docent, aliud *ex alio* sequi necessario: synthesi enim causæ adhæret velut *dignitas*, quæ empirice nequit exprimi, & qua fit, ut effectus non tantum adjungatur *ad causam*, sed *per causam* etiam ponatur, atque *ex causa* sequatur. *) Adplicet hæc Lector ad exemplum motus loco indicato a me propositum; ac cito intelliget, hanc dignitatem, quæ novo vocabulo causis effectricibus tribuitur, prælucente experientia haud ægre a quovis posse intelligi. Regulas illas, secundum quas aliud post aliud sequi animadvertimus, ab experientia innotescere fatetur Kantius. Vellem autem, ut explicasset, quid *regulæ* nomine denotet eo loco. Si ordinem, seriemque eventuum designat: is ordo sensus non afficit, & sine comparatione eorum, quæ notione ordinis comprehenduntur, non intelligitur. Facultas *comparandi* repræsentationes inter se, aut potius res ipsas repræsentatas, & ex ea comparatione *animadvertendi* earum inter se relationem secundum *prius & posterius* situ, successione, ratione, dependentia, aut secundum *identitatem*, *diversitatem*, *oppositionem*, *similitudinem*, *æqualitatem* &c., ea propria est intellectus, & facultatis superioris cognoscendi. Ac si dein eam animadversam relationem vocibus exprimimus, habentur ideæ & termini *relativi*,

lativi, quorum origo repetenda eſt ex ſenſu intimo, ſive ex animadverſione eorum, quæ intus in animo & actibus internis vi naturali cognoſcendi deprehenduntur. Error maximus Kantii in eo eſt, quod animadverſionem (die Wahrnehmung) reſtringat ſeu coarctet ad ea tantum, quæ organa ſenſuum externorum afficiunt. Atqui animadvertimus etiam ea, quæ intus in animo & actibus internis contingunt. Si autem repræſentationes & cognitiones eorum omnium, quæ organa ſenſuum non afficiunt, a *priori* repetendas cenſet Kantius, non jam duodecim tantum formas intellectus, ſed innumerabiles plane, & in his ideas omnes relativas debebit admittere. Quodſi autem *regulæ* nomine deſignet Kantius leges ſtabiles naturæ, ſecundum quas fit communicatio motus in impulſu corporum, in lapſu eorum libero aut per plana, in ſtatica ſolidorum & in omni mechanica terreſtri ac cæleſti; illæ leges utique per experientiam colliguntur, ſed fere mediate tantum ac craſſiore quodam modo; multis enim & ſubtilibus calculis ac demonſtrationibus opus eſt, ut eædem leges experientiæ ductu, ac rationis adminiculo adcurate definiantur; quod probe norunt, qui phyſicæ neutoniana methodo expoſitæ diligentem navarunt operam.

*) **Critik Seite 122 ſeq. Der Begriff der Urſache bedeutet eine beſondere Art der Syntheſis, da auf etwas A was ganz verſchiedenes B nach einer Regel geſetzt wird. — Dächte man, die Erfahrung böthe unabläſsig Beyſpiele einer ſolchen Regelmäſsigkeit der Erſcheinungen dar, die genugſam Anlaſs geben, den Begriff der Urſache davon abzuſondern, und dadurch zugleich die objective Gültigkeit eines ſolchen Begriffes zu bewähren, ſo merkt man nicht, daſs auf dieſe Weiſe**

der

der Begriff der Ursache gar nicht entspringen kann, sondern dass er entweder völlig a priori im Verstande müsse gegründet seyn, oder als ein blosses Hirngespinst gänzlich aufgegeben werden müsse. Denn dieser Begriff erfordert durchaus dass etwas A von der Art sey, dass ein anderes B daraus nothwendig, und nach einer schlechthin allgemeinen Regel folge. Erscheinungen geben zwar wohl Fälle an die Hand, aus denen eine Regel möglich ist, nach der etwas gewöhnlicher Weise geschieht, aber niemals dass der Erfolg nothwendig sey: daher der Synthesis der Ursache und Wirkung auch eine Dignität anhängt, die man gar nicht empirisch ausdrucken kann, nämlich dass die Wirkung nicht bloss zu der Ursache hinzu komme, sondern durch dieselbe gesetzt sey, und aus ihr erfolge.

§. 93. Sed quidquid demum sit id, quod vocabulo *regulæ* denotat Kantius; mittamus istuc; cumque non explicet, adhibeamus tritum illud: si *non vis intelligi, debes negligi.* Illud potius perquiramus, quæ sit illa *dignitas* causæ adhærens, quæ empirice non possit exprimi, quæque efficiat, ut B sequatur *ex A* posito, non tantum *post A*: quæ dein in causis insit necessitas, eaque universalis; ut conceptus causæ aut *a priori* proveniat, aut plane inanis sit. Ipso quidem principio introductionis in hunc modum differit Kantius. Siquis fundamenta domus subruat, a priori nosse debet, domum collapsuram, nec ut eventum, seu experientiam expectet, opus habet; corpora enim gravia esse, ac deorsum labi sublato fulcro, ab experientia didicit. At quod a priori cognosci a se dicitur, id ab omni experientia plane independens esse intelligi debet. *) Hoc igitur sensu notio *causæ a priori* est, ut ab experientia nequaquam pendeat,

deat, habeatque *dignitatem*, quæ *empirice* non possit exprimi. Equidem puto somniare Kantium. Nunquid enim experientia docet, quæ & qualis sit illa vis, quam exerit corpus in motu constitutum, & incurrens in corpus meum, vel corpus aliud quiescens, tardiusve motum? nunquid experientia, inquam, perinde id docet, ac gravia decidere, si nihil obstet? Unde novimus vim elasticam aeris, furorem fluctuum maris torrentiumve, impetum ferociamque explosi nitri, pulverisque pyrii? Adhæret aqua corporibus prope omnibus, eaque penetrat, aut ab iis potius attrahitur: ignis corpora pleraque invadit, penitus dissolvit, in cineres, vitrum, aut calcem redigit: corpora animalium scindi, perfodi, distrahi in partes, corrumpi, penitusque dissolvi possunt vi actuosa corporum aut corpusculorum alienorum, quæque sunt infinita alia generis istius, quæ omnia ab sola experientia docemur non minus, quam pressiones, casusque corporum gravium. Quis in rebus physicis tam plumbeus est, ut non ex pluviis madefactum se dicat, sed post lapsas pluvias, non ob vim pulveris pyrii, globorumque excussorum prostratas phalanges dicat, sed post pulverem accensum: non ob admotas faces, aut illapsum fulmen horrea conflagrasse putet; sed post eum eventum: non ob vim aquarum irrumpentium, sed post eum aggeres fuisse perruptos: non ob amputatum caput, sed post illud sanguinem animamque profluxisse, & corpus concidisse exanime? Quis tam hebeti ingenio est, ut ignorare se dicat, nec empirice posse exprimere, quæ sit dignitas illa & potestas, quam fustis in caput impactus, aut gladius in viscera immissus exerit? Sed, inquit, Kantius, ista non tantum evenire novimus,

vimus, sed evenire necessario, & universe. Respondeo: nisi Kantius hoc ipsum, quod necessario & universe eveniant, ab experientia comprobet, innixaque experientiæ ratione, id negabo ac pernegabo. Quæ est illa necessitas? certe non ea, quæ in demonstrationibus mathematicis inest, & principio contradictionis nititur.* Physicam appellamus necessitatem causarum effectorumque naturalium, quæ virtuti sublimiori ac divinæ obesse non potest, locumque præbet veris miraculis. Miror vehementer, Kantium de necessitate effectuum naturalium inquirere; cum locis aliis ipsas hominum liberas actiones (qua parte ad phænomena refert) necessitati & causalitati naturali subjiciat. Nec vero opus est, notionem necessitatis causarum, effectorumque naturalium longe repetere. Cum enim quisque homo, qui sana mente est, norit, quas actiones in potestate habeat, quas non habeat, cum id intime sentiat, seseque cognitione & electione pollere noscat; cito intelliget, nihil tale in rebus cogitationis expertibus inesse. Sane contrariorum eadem ratio, cognitioque. Unde apposite differit Lockius: pila, qua in sphæristerio luditur, sive per reticuli ictum moveatur, sive quiescat, agens esse liberum, a nemine creditur. Si rationem perquiramus, ideo nimirum est, quod non putemus, pilam istam lusoriam cogitare, & consequenter haud velle aliquid, nec motum quieti anteferre, aut vice versa. **)

*) Einleitung Seite 2. Man sagt von Jemand, der das Fundament seines Hauses untergrub: er konnte es a priori wissen, dass es einfallen würde, d.i. er durfte nicht auf die Erfahrung, dass es wirklich einfiel, warten. Allein gänzlich a priori konnte

ri konnte er diefs auch nicht wiffen. Denn dafs die Körper fchwer find, und daher, wenn ihnen die Stütze entzogen wird, fallen, mufste ihm doch zuvor durch Erfahrung bekannt feyn. Wir werden alfo im Verfolg unter Erkenntnifse a priori nicht folche verftehen, die von diefer, oder jener, fondern die fchlechterdings von aller Erfahrung unabhängig ftatt finden.

**) De Intellectu hum. L. II. C. XXI. §. 9.

§. 94. Expofitis jam categoriis fubftantiæ & caufæ, fupereft in claffe tertia notio *communionis*, quemadmodum vocat Kantius, feu mutuæ actionis inter id, quod agit, atque id, quod refiftit ac patitur. Hujus etiam notionis originem a priori repetit Kantius folo arbitrio fuo, nulloque argumento verifimili, cum omnis actio aut motu contineatur, aut actibus internis intellectus ac voluntatis, quorum repræfentationes fenfu externo atque interno accipimus. Ac fenfum quidem receptivitatem paffivam nuncupant Kantiani; fatis ergo ex confcientia intima noffe debent, quid fit impreffionem in organa recipere, pati moleftiam, dolorem. Facultas attendendi, cogitationesque fuas rejectis aliis figendi in re propofita, pariter fenfu intimo nobis innotefcit. Quid fit, intendere vires corporis, duros labores exantlare, pati refiftentiam, norunt rudiffimi foffores, fabri, rufticani homines; ut fupervacaneum fit, pluribus verbis id explanare. Sed Kantius id maxime negat: in his notionibus ineffe neceffitatem, easque effe univerfales, proindeque deduci ab experientia non poffe, quæ comparativam duntaxat univerfalitatem ex imperfecta inductione ortam continet. *) Diftinguere debebat inter operationes mentis, quarum aliæ in fola repræfentatione,

aut

aut ſimplici apprehenſione ſitæ ſunt, quin aliquid de re objecta affirmetur aut negetur; ac tales ſunt repræſentationes parvulorum, qui intellectus & rationis uſum nondum nacti ſunt: aliæ mentis operationes in judiciis conſiſtunt mediatis vel immediatis; ac de his maxime quæri ſolet, unde aut quomodo univerſalia fiant, & neceſſitatem obtineant. Repræſentatio rei ſingularis ſenſibus propoſitæ univerſalis eſſe non poteſt nec debet, neque neceſſaria, niſi hoc ſenſu, quod neceſſario repræſentet id, quod repræſentat; quod enim eſt, illud eſt. Notiones communes ſeu abſtractæ, eo ipſo quod communes ſunt, etiam *univerſales* debent cenſeri, ac teſte ipſo Kantio *applicari* poſſunt ad res infinitas, etſi notas infinitas non poſſint comprehendere. **) Atque ex principio contradictionis repræſentatio corporis, ſeu ſubſtantiæ impenetrabilis, mobilis, gravis, diviſibilis *neceſſario* hæc erit repræſentatio, non alia. Si de *neceſſitate* judiciorum ac propoſitionum, earumque *univerſalitate* quæritur, ea ex convenientia ſubjecti & prædicati repetenda eſt, utrum nempe ſola experientia & inductione intelligatur, prædicatum ſubjecto convenire, an per notionem ſubjecti ipſum prædicatum quodammodo determinetur ceu, *compoſitum interire poteſt, quin abeat in nihilum:* contra *ſimplex interire non poteſt, quin annihiletur.* Iſtiusmodi judiciorum luculentiſſima exempla præbet geometria, ac contendo contra Kantium tanquam certiſſimum, atque evidentiſſimum, ex ipſa notione duarum linearum rectarum intelligi, non poſſe ab iis oriri figuram, ſeu ſpatium quaquaverſus clauſum. ***) Quomodo poſt hæc omnia concludet Kantius, categorias a priori naſci; quia alias univerſales ac neceſſariæ non forent?

*)

*) Seite 128. Die empirische Ableitung der Begriffe läſst sich mit der Wirklichkeit der wiſſenſchaftlichen Erkenntniſse a priori, die wir wirklich haben, nämlich der reinen Mathematik und allgemeinen Naturwiſſenſchaft nicht vereinigen, und wird alſo durch das Factum widerlegt. S. 124. Die ſtrenge Allgemeinheit der Regel iſt auch gar keine Eigenſchaft empiriſcher Regeln, die durch Induction keine andere, als comparative Allgemeinheit, d. i. ausgebreitetere Brauchbarkeit bekommen können.

**) Seite 40. Man muſs einen jeden Begriff als eine Vorſtellung denken, die in einer unendlichen Menge von verſchiedenen möglichen Vorſtellungen (als ihr gemeinſchaftliches Merkmal) enthalten iſt, mithin dieſe unter ſich enthält.

***) Seite 268. In dem Begriffe einer Figur, die in zwei geraden Linien eingeſchloſſen iſt, iſt kein Widerſpruch. Denn die Begriffe von zwei geraden Linien, und deren Zuſammenſtoſſung enthalten keine Verneinung einer Figur.

§. 95. De categoriis *poſſibilitatis*. & *impoſſibilitatis*, *exiſtentiæ* & *non-exiſtentiæ*, *neceſſitatis* & *contingentiæ*, quarum notiones a priori repetit Kantius, non uno loco ſibimet contradicit. Ac primo reprehendit veteres Methaphyſicos, qui cum ſumma rerum genera, quorum notiones appellant tranſcendentales, explicare aggrediuntur, principio quidvis aut *poſſibile* eſſe, aut *impoſſibile*, ſolent ſtatuere. Diviſio, inquit, notionis notionem aliam ſuperiorem poſcit, quæ dividi poſſit. Atque hæc ſuperior notio eſt *objectum*, de quo nondum definitur, ſitne aliquid vel nihil ſit; unde objectum aut poſſibile eſt, aut impoſſibile. Crederes, hanc kantianam diviſionem ita completam eſſe, ut quodvis

objectum in classe & numero possibilium, aut in classe & numero impossibilium esse debeat. At mox subdit: Noumena (quæ nullo sensu, sed intellectu solo intelliguntur, non esse in numero possibilium, nec tamen pro impossibilibus continuo habenda esse; cum sint *ens rationis*. *) Dein forma intuitionis (spatium ac tempus) objectum non sunt, sed formalis conditio objecti qua phænomeni. **) Atqui de genere summo disputat Kantius, quo omnia comprehendantur, quæ esse aut cogitari possunt, unde & formæ illæ contineri eodem deberent; nisi ipse Kantius partus hosce suos enecasset, exterminassetque ex omni numero possibilium. Accedit, quod loco alio spatium ac tempus non formas esse tantum, sed etiam objecta disciplinarum mathematicarum constituerit. ***) Denique categorias duodecim notiones primigenias esse, quæ nequaquam ex aliis deriventur, principio docuit; hoc dein loco distinctas ponit categorias *possibilis*, non *possibilis* seu *impossibilis*, *existentis*, *non existentis*, ac *necessarii*, & *non necessarii* seu *contingentis*, ac in secunda jam classe aliam statuit categoriam *realitatis*, aliam *negationis*; sed post intervallum longius critices suæ negationum omnium conceptum, notionemque affirmat *derivativam*, ****) qualem esse reipsa præmonui sub finem §. 90.

*) Seite 346. Der höchste Begriff, von dem man eine transcendentalphilosophie anzufangen pflegt, ist gemeiniglich die Eintheilung in das mögliche und unmögliche. Da aber alle Eintheilung einen eingetheilten Begriff voraus setzt, so muss noch ein höherer angegeben werden, und dieser ist der Begriff von einem Gegenstand (problematisch angenommen, und unausgemacht, ob er etwas, oder nichts

nichts ſey.) S. 347. Die Noumena können nicht unter die Möglichkeiten gezählt werden, ob ſie gleich auch darum nicht für unmöglich müſſen ausgegeben werden.

**) Ebendaſelbſt. Die bloſse Form der Anſchauung ohne Suſtanz, iſt an ſich kein Gegenſtand, ſondern die blos formale Bedingung deſſelben (als Erſcheinung)

***) Seite 160. Der Raum als Gegenſtand vorgeſtellt (wie man es wirklich in der Geometrie bedarf) enthält mehr, als bloſse Form der Anſchauung, nemlich Zuſammenfaſſung des Mannigfaltigen, nach der Form der Sinnlichkeit gegebenen, in eine anſchauliche Vorſtellung.

****) Seite 603. Niemand kann ſich eine Verneinung beſtimmt denken, ohne daſs er die entgegengeſetzte Bejahung zum Grunde liegen habe. — — Es ſind alſo alle Begriffe der Negationen abgeleitet.

§. 96. Si categoriæ & notiones, de quibus diſſerimus nunc, repeti ab uſu naturali ſenſuum externorum, ſenſusque intimi omnino poſſint, opus non eſt, originem earundem a priori confingere. Conſtat enim certiſſime, ineſſe in nobis illos ſenſus, neque plures aliæve ſtatuendæ ſunt cauſæ rerum, quam quæ & veræ ſunt, ſeu exiſtunt reipſa, & explicandis effectibus, quos obſervamus, ſufficiunt. Si de poſſibili & impoſſibili in genere phyſico quæritur, quivis ipſo uſu virium animi ſui corporisve experitur, quid agere aut efficere per eas poſſit, aut non poſſit. Si univerſe quæritur, quid viribus naturæ poſſibile aut impoſſibile cenſeri debeat, id certe ex ſola cognitione naturæ ejusque legibus, experientia collectis, & mathematicæ operationi ſubjectis, colligendum eſt. Metaphyſico

significatu possibile & impossibile ex notarum, quæ comparantur inter se, animadversa concordia aut pugna denominatur. Enimvero facultas intuendi notas rerum, earumque repræsentationes, illas itidem comparandi inter se, atque ita convenientiam earundem aut pugnam animadvertendi intellectui natura competit. Animadversam dein concordiam earundem exprimimus nomine possibilitatis metaphysicæ, probe conscii, fieri non posse, ut idem eodem tempore & sit, & non sit. Supra autem monui, gravissime in eo peccare Kantium, quod omnem plane *intuitum*, atque *animadversionem* (Anschauung und Wahrnehmung) solis externis sensibus extrinsecus affectis adscribat. Siquis lineas rectas duas concipit, unaque figuram cogitat seu spatium undique clausum & circumscriptum, manifestissime videt pugnare has ideas inter se, per quas spatium binis rectis undique clausum intelligatur. Si enim uno puncto se se intersecent duæ rectæ, inde a puncto intersectionis utriusque divergunt, & a se se magis magisque recedunt, proindeque concludere spatium nequaquam possunt. Contra siquis concipit unitates quinque & præterea unitates septem, non potest non videre, per easdem una sumtas determinari numerum duodenarium, perinde ac per 1 + 1 determinatur binarius. Judicia intellectus, quæ ex intuitu idearum, earumque animadversa concordia, aut pugna proveniunt, utique a priori sunt, non per experientiam & inductionem collecta, consensu Philosophorum omnium, ipsaque kantiana judicii definitione comprobante; *) sed ob hanc causam non ipsæ etiam notiones seu repræsentationes, circa quas judicia versantur, neque notiones illæ, quæ animadversam

ſam idearum inter ſe vel ad ſe relationem identitatis, & diverſitatis, convenientiæ & repugnantiæ, ſimilitudinis, æqualitatis &c. exprimunt, a priore & absque operatione ſenſus interni proveniunt.

*) Critik Seite 141. Ich finde, daſs ein Urtheil nichts anders ſey, als die Art gegebene Erkenntniſse zur Einheit der Apperception zu bringen. Confer ſuperius dicta §. 35.

§. 97. Quid *Exiſtere*, & *Exiſtentia* ſit, quisque intime ſentit, qui ſui compos eſt. Simpliciſſima ea perceptio eſt, quæ ipſo ſenſu accipi, quæ verbo indicari, ſed non definiri poteſt; quia definitio enumeratione notarum fit, quæ in re definita inſunt. Multo clarius quisque intelligit, ſeu percipit exiſtentiam ſuam, quam ſi dicas: exiſtentia eſt *complementum poſſibilitatis*; nam id ipſum complementum *exiſtere* debebit. Si dicas, exiſtere nihil aliud eſt, quam omnimodis eſſe determinatum: vere id dicis; quia exiſtens ex omni parte eſt determinatum poſitive vel negative; ſed exiſtentia propterea non exprimitur clarius, quam ipſa vox præ ſe fert. Hinc Philoſophi juſte improbant carteſianam illam argumentationem: *cogito, ergo ſum.* Neque enim quisquam, cogitare ſe, affirmaverit, qui non exiſtere ſe, & ſentiat & affirmet. Imo neque ſic concludere ratione poſſumus, niſi jam ante ponatur hoc: *omne, quod cogitat, eſt, vel exiſtit;* indeque aſſumtio fiat: *ſed cogito;* atque ex utroque demum conficiatur: *ergo ſum, vel exiſto.* Sit nunc in arbitrio Kantii, utrumne hoc ipſum: *cogito*, paſſive ſumat pro receptivitate, an active pro ſpontaneitate; neutrum concipiet habere locum, niſi in ſubjecto, quod exiſtit reipſa. Unde

 dia-

dialectici instar regulæ de veritate enuntiationum statuunt in hunc modum: propositio affirmativa in materia contingente, quæ prædicatum continet, quod convenire subjecto non potest, nisi actu existenti, affirmat existentiam subjecti & prædicati. e. g. Philosophus & existit & disputat. Secus enim proposito censebitur *de subjecto non supponente*. Ad talia rudimenta prope puerilia nos deducit critice kantiana, novo scilicet & profundissimo doctrinæ genere excogitata.

§. 98. Ultimum locum in tabula kantiana tenet categoria *necessitatis* & *contingentiæ*; de quibus animadverto. *Primo*. *Necessarium* dicitur, cujus oppositum impossibile: *contingens*, cujus oppositum possibile intelligitur. Igitur hæ notiones non primigeniæ sunt, sed derivatæ tum ex notione oppositorum, quæ inest in realitate & negatione possibilis & impossibilis, quæ itidem loco primo classis quartæ in tabula kantiana jam præcessit. Ex doctrina autem Kantii categoriæ non derivatæ sed primigeniæ esse deberent §. 88. *Secundo*. Necessitas & contingentia, uti possibile & impossibile sensu physico sumitur, aut metaphysico. *Physicam necessitatem* continet judicium illud, quod ab experientia deducit ipse Kantius: subtracto fulcro decidunt corpora gravia. Conf. §. 93. in fin. & §. 96. Homo ponte subito corruente, etsi mallet non cadere, tamen lapsum sistere, non esse in potestate sua sentit. Similiter cum quis convulsivo brachii motu sibimet, aut alteri plagam infligit, a qua nec per volitionem nec per mentis directionem quandam abstinere potest; nemo putat eum hoc casu libere agere: nemo non vicem illius dolet, ut-

utpote *ex necessitate* agentis, inquit Lockius loco supra indicato. *Tertio.* Necessitas *in metaphysico genere* vel immediate & directe elucet ex principio contradictionis, uti A est A; & si est, necessario est id, quod est; vel mediate, si cum notione data quidpiam ita connexum intelligitur, ut hoc sublato ipsa data notio tolleretur; atque hoc modo necesse est, ut in triangulo rectilineo summa omnium angulorum præcise duobus rectis æqualis sit. Confer. §. 21. Hactenus categorias kantianas ita ventilavi, ut nulla plane sit reliqua, quæ aut repeti ab experientia non debeat, aut manifeste factitia ac derivata ex aliis istiusmodi non sit. Putida sane & vanissima est Kantii gloriatio, qua se hasce categorias ex facultate judicandi & judiciorum formis tanquam certissimo fonte, rectaque systematis via adinvenisse putat, contra, ac ab Aristotele fuerat præstitum. *) Cum autem quatuor illas judiciorum formas tanquam pulcherrimum inventum sæpenumero jactitent Kantiani, operæ pretium me facturum arbitror, si easdem singilatim examinavero.

*) Critik Seite 106. Diese Eintheilung ist systematisch aus einem gemeinschaftlichen Princip, nemlich aus dem Vermögen zu urtheilen (welches eben so viel ist, als das Vermögen zu denken) erzeugt, und nicht rhapsodistisch, aus einer auf gut Glück unternommenen Aufsuchung reiner Begriffe entstanden, von deren Vollzähligkeit man niemals gewiss seyn kann, da sie nur durch Induction geschlossen wird; ohne zu gedenken, dass man noch auf die leztere Art niemals einsieht, warum dann gerade diese und nicht andere Begriffe dem reinen Verstande beywohnen. — — Da Aristoteles kein Principium hatte, so raffte er

ſie auf, wie ſie ihm aufſtieſſen, und trieb deren zuerſt zehen auf.

Caput XI.

Evertitur fundamentum tabulae Kantianae, et rejecta quadripartita judiciorum divisione disseritur de investiganda origine idearum.

§. 99. De functionibus intellectus, cum judicando ſe exerit, in hunc modum differit Kantius: *) Si nulla habita ratione materiæ, de qua judicamus, ſola intellectus in cogitando aut judicando (hæc enim non differre inter ſe vult Kantius) *forma* ſpectetur, hæc deprehenditur quadripartita; ſic ut partes ſingulæ tria velut momenta contineant. Ex quibus judiciorum, forma differentium, tabula prodit:

1. *Ex quantitate*	2. *Ex qualitate*
univerſalia,	affirmativa,
particularia,	negativa,
ſingularia.	infinita.
3. *Ex relatione*	4. *Ex modalitate*
categorica,	problematica,
hypothetica,	aſſertoria,
disjunctiva.	apodictica.

His duodecim judiciorum formis reſpondere docet totidem notiones intellectus a priori, ſeu 12 categorias, quas exhibui §. 79.

*)

*) Critik Seite 95. Von der logischen Function des Verstandes in Urtheilen. Wenn wir von allem Inhalte eines Urtheiles überhaupt abstrahiren, und nur auf die blofse Verstandesform darinn Acht geben, so finden wir, dafs die Function des Denkens in demselben unter vier Titel gebracht werden könne, deren jeder drey Momente unter sich enthält.

§. 100. Inprimis non distinguit Kantius, uti oportebat, judicium uti in mente est, & actu interno constat, ab enuntiatione, quæ vocibus exprimit judicium. Uti enim id in mente est, & actu interno constat, nequaquam ex partibus componitur, subjecto nempe, & prædicato inter se copulatis, aut disjunctis, sed continetur totum simplici intuitu, aut animadversione convenientiæ vel repugnantiæ idearum, vel interno simplici assensu aut dissensu mentis. Nam idea subjecti & prædicati, etsi menti obversentur, atque inter se etiam comparentur, nondum efficiunt judicium, nisi sequatur animadversio convenientiæ vel repugnantiæ earundem, aut internus quidam assensus vel dissensus, quem exprimimus per verbum *est*, *non est*. Ad judicium ergo, uti in mente est, quantitas subjecti, relatio, modalitas non pertinent. Errat vehementer Kantius, uti sæpius commemoravi, quando omnem cogitationem, repræsentationem atque etiam comparationem idearum subjecti & prædicati cum ipso judicio confundit. Sane diu multumque cogitamus non raro, dum demum assensus ille internus, aut dissensus sequatur. E. g. Cajus, in quem conjecturæ & indicia patrati homicidii cadunt, *est*, vel *non est* auctor ejusdem. Aestus maris pendet, non pendet ab attractione solis & lunæ. Aliter de Enuntiationibus

nibus, ac propositionibus differendum est. Judicia enim nostra solo verbo *est*, *non est*, aliis significare non possumus, nisi perinde, ut nos, compertum habeant, de quo, & quid enuntietur. Enuntiatio igitur seu propositio constat partibus tribus necessario, nempe *subjecto*, quod quæstioni quodammodo subjicitur, sive id, de quo affirmatur quidquam aut negatur; dein *prædicato*, quod affirmatur de alio vel negatur, 3 *copula*, seu signo, quo convenientia subjecti & prædicati in propositione affirmativa, aut non convenientia eorundem in propositione negativa indicatur.

§. 101. *Forma logica* propositionum a dialecticis in eo sita censetur, ut subjectum prædicatum & copula explicite & distincte exprimantur. Secus propositio nuncupatur *cryptica*, atque ad formam logicam reduci debet. Kantius omnes diversitates propositionum suo arbitrio appellat *formas logicas*. Sed ipsa etiam dividendi ratione in regulas logicas divisionis multipliciter peccat. Ac primo *quantitas* propositionis in subjecto solet spectari, quod est terminus *singularis*, aut *communis*; si communis, propositio erit *universalis*, *particularis*, aut *indefinita*. Divisio igitur kantiana non fit in membra proxima, estque manca, ac membrum propositionis *indefinitæ*, qualis non est infrequens, prætermittit. Dein *qualitas* propositionum inde denominatur, ut subjecto earundem prædicatum attribuatur affirmando, aut ab eo removeatur negando. Inter *est*, & *non est* concipi non potest medium quoddam, aut tertium. Omnis igitur propositio aut affirmativa est aut negativa. Denominationem *infinitantis* non ex qualitate habet, sed ex ter-

termino infinitante, qui non obest, quo minus propositio maneat affirmativa e.g. Omnis stella non scintillans est prope nos, ut inquit Aristoteles; aut negativa fiat per negationem aliam verbo adhærentem e. g. Aliquæ stellæ non fixæ nullum habent satellitem.

§. 102. Divisio propositionum in *categoricas*, *hypotheticas* & *disjunctivas* ineptissime adscribitur *relationi*: quia quævis istiusmodi denominatio ceu categorica &c. se sola intelligitur, neque refertur ad quidquam aliud. Si relatio quædam in propositionibus singulis quæritur, ea unica est illa, qua ad objectum referuntur, cui si conformes sunt, *veræ*; secus *falsæ* nuncupantur. Denominationes propositionum relativæ sunt eæ, quæ necessario poscunt propositiones plures, ut denominatio intelligi queat, ut si appelletur propositio *opposita*, *conversa*, *æquipollens*, *subalterna*. Tum enim circumspici debet, cujus alterius propositio sit opposita, aut subalterna: aut ex qua convertatur: cui æquipolleat. Multo adcuratior, pleniorque veterum Logicorum divisio est, qua ex *forma* propositio aut *simplex* dicitur, aut *composita*: si simplex, vel absoluta & *categorica*, vel *modalis*: si *composita*, aperte vel implicite talis. Si aperte composita, tum non tantum generis duplicis, ut sit *hypothetica* vel *disjunctiva*, sed præterea *copulativa*, *causalis*, ac forte etiam *relativa*, & *discretiva*: si implicite, tectoque modo composita, provenient propositiones *exponibiles* dictæ ceu exceptiva, exclusiva, reduplicativa &c.

§. 103.

§. 103. Membra divisionis ex *modalitate* statuuntur hæc: propositio aut *problematica* est, aut *assertoria*, aut *apodictica*; quibus respondent notiones possibilitatis, existentiæ, necessitatis, istarumque negationes. Si hæc inter se comparentur, nutant ex omni parte, & infirma sunt, conciduntque. Secundum regulas logicas membra divisionis ratione quadam inter se opponi debent; nunc autem ipsa *possibilitas* e. g. rerum aliarum, quæ necdum existunt, & *necessitas* e. g. causæ primæ *asseri*, seu assertorie affirmari, proindeque prima & tertia categoria hujus classis referri ad secundam potest. 2. Proferre quidquam *problematice*, tanquam mere possibile, & *apodictice*, tanquam certum & evidens, sunt affectiones cognitionum, non rerum; atque inter eos gradus tanquam extremos, multi sunt medii gradus probabilitatum. 3. Propositio, quæ existentiam e. g. causæ primæ enuntiat, nequaquam modalis est, sed necessitas potius & contingentia sunt modi existendi. 4. Assertoriæ propositioni non opponitur ea, quæ possibilitatem vel necessitatem exprimit; quia ut dictum est, hæc ipsa possunt & solent asseri & asseverari, sed propositio, quæ *ex mente proferentis* mere narrative & historice enuntiatur, quemadmodum Cydippe ad Acontium scribit apud Ovidium: *non ego juravi; legi jurantia verba.* 5. Si Kantius ad materiam propositionum referat id, quod de possibili, existente, ac necessario scripsit, multo aptior erit divisio veterum dialecticorum: ratione materiæ propositio censetur in materia necessaria, vel contingente, vel impossibili. Accedit, quod ratione materiæ alia sit theoretica propositio, alia practica: alia itidem historica, alia dogmatica, uti alia est quæstio facti, alia juris vel dogmatis. Sed

Sed piget in rebus minutis hærere longius. Apparet, totum hoc, quod de novis categoriis in tabula ſua exhibet Kantius, commentitium eſſe & arbitrarium, nullo rerum, veritatisque fundamento nixum, neque ratione ulla categorias qualitatis ad mathematicas, categorias modalitatis ad dynamicas referri poſſe, quemadmodum indicavi ſſ. 79. Inaniſſimam jactantiam Kantii, qua de inventis, ordinatisque a ſe categoriis mirifice ſe effert, ſibique ipſe placet, pro meritis exploſit Tittelius in opuſculo de formis cogitandi, cujus verba non piget exſcribere. *)

*) Seite 10. Nach Kant ſollen dieſe Kategorien ſo viel urſprünglich eigene, reine, und von aller vorhergegangenen Erfahrung völlig unabhängige Erzeugniſſe des Verſtandes ſeyn; und was noch mehr — ſie ſollen die abſolute Menſur des Verſtandes ausmachen. — — In der That iſt dieſs wohl der allerkühnſte Gedanke, der je eine Menſchenſeele angewandelt hat, nicht nur den wirklichen Vorrath der Verſtandes Erkenntniſſe, ſondern ſelbſt auch das ganze Verſtandesvermögen rund und nett durch ein Duzend Kategorien, d. i. ſo viel oben herein (a priori) dem Gemüthe eingelegte Begriffe völlig zu umſchlieſsen. — Nachdem Herr Kant alles ſo angelegt, und ſo geordnet hatte, beſchaut er ſein Werk nicht anders, als wenn ſeine Tafel unmittelbar von der Natur ſelbſt ſo gezeichnet vor ihm läge, und glaubt Stoff zu ſehr artigen Betrachtungen darin zu finden. Artig dünkt es ihm, daſs die ganze Tafel in vier Abtheilungen zerfällt; artig, daſs jede Abtheilung drey Momente enthält. — — — Spielt die Natur, oder Kant? Alles hienge ja nur davon ab, wie die Begriffe erſt von ihm ſelbſt gelegt, und geordnet wurden. Natürlich muſs wohl immer das ſich wieder finden, was man eingelegt. Wenn ich ein Spiel Karten in vier gleiche Häuflein vertheile, daſs jedes 10 Blätter ent-

enthält, und in 2. dieser Häuflein König und Damen zusammen, in dem einem der übrigen aber nur König, und in dem andern die Damen allein, und eine bestimmte Anzahl der Karten oben, eine bestimmte darunter lege. — — Was ist es Wunder? Ich durfte nur in der Anlage selbst etwas verändern, so war das vermeinte Artige nun weg.

§. 104. Hæc quidem, nisi in rebus minutis exultaret Kantius, tirunculis philosophiæ erant relinquenda, qui famosum asinorum pontem transire debent. Majoris momenti est pervestigatio originis, ex qua ideæ, & cognitiones humanæ proficisci solent. Quod enim Kantius a priori repetit binas formas sensuum, & categorias duodecim, tanquam formas intellectus, id, quam facile atque expeditum est dicere, tam est reipsa nihil omnino dicere, quod experimento quodam, argumentove comprobari, vel etiam cogitatione quadam comprehendi posset. Vox ea est inanis, neque sensum habet, nisi plane negativum, uti exposui §. 82, atque id ipsum animadvertisse puto scriptorem quendam Kantianum, qui ut inanitati ejus vocabuli novo vocabulo succurreret, ortum formarum Kantii nuncupavit *acquisitionem originariam*. Equidem novi, quis sit in Jurisprudentia modus acquirendi *originarius*, quo acquiruntur occupatione *res nullius*; at modum, quo acquiruntur res nullæ, seu quæ non sunt omnino, nullum novi. Si formæ kantianæ neque adventitiæ sunt per sensus, neque ex talibus effictæ, seu factitiæ, neque innatæ, uti cartesiani voluerunt, neque præformatæ, aut præstabilitæ, uti in leibnitiano automate, neque etiam divinitus infusæ, quod omnium minime placebit Kantio, qui nihil certi

de

de Deo ex theoretica ratione ſe habere ait, tum certe nullæ ſunt illæ formæ; quomodo igitur acquiſitione originaria occupari aut comparari poterunt? Verbo: occupatio originaria refertur ad res nullius, non ad res nullas. Si ex ipſa facultate naturali ſentiendi, judicandique, aut cogitandi provenirent formæ illæ kantianæ, certe eædem, ſimilesque forent in omnibus, quos natura facultate ſentiendi, & cogitandi inſtruxit. At quo argumento, aut qua veriſimili ratione efficiet Kantius, a cunctis hominibus ſpatium ac tempus concipi inſtar extenſi unius ſimultanei aut ſucceſſivi, cujus nullæ partes ſint, niſi arbitrio deſignatæ, ejusque interminati & infiniti, immenſi, æterni? Atqui talem eſſe intuitum ſpatii ac temporis docet Kantius. Vocabula quidem ipſa, per quæ exprimuntur categoriæ ſeu cogitandi formæ, nequaquam a priori, & ab ipſa natura intellectus profuſa dicet (cum ea pro varietate linguarum varia ſint) ſed notiones ac definitiones earum formarum. At hæ ipſæ notiones, ac definitiones, quam diverſæ ſunt apud ipſos Philoſophos, qui ſe naturam explicare profitentur? Ut de ſola categoria ſubſtantiæ loquar exempli cauſa, Leibnitius ait: *Subſtantia eſt ens vi agendi præditum:* Wolfius: *eſt ens, quod principium ſuarum mutationum in ſe continet*; Carteſiani: *eſt res, quæ ſolo Dei concurſu eget ad exiſtendum*; Atomiſtæ: *eſt ſubjectum inhæſionis immediatum totius complexus accidentium, mutationum & attributorum tam phyſicorum, quam metaphyſicorum;* alii qui a Peripateticis dicti ſunt recentiores Philoſophi: *eſt ejus, quod eſt aut fit, ſubjectum primum ita exiſtens, ut intrinſecus a nullo pendeat.* Sed quia iſta definitio præjudicare videbatur ſcholæ

pe-

peripateticæ accidentia abſoluta propugnanti, hinc Peripatetici dixere : *ſubſtantia eſt ens, quod non exigit ineſſe alteri tanquam fini cui adæquate a ſe diſtincto.* Hæ ſcilicet notiones omnes a priori & ex natura intellectus proceſſerunt. Sed aliam & ab iis Philoſophis omnibus maximopere differentem naturam intellectus habet Kantius, cui quidem ſubſtantia tanquam *noumenon eſt ignotum x : ſubſtantia* autem *phænomenon eſt ſubſtratum empiricæ determinationis temporis, manens conſtanter, dum alia omnia variantur.* *) Tanta eſt in una categoria definienda inter celeberrimos philoſophos, naturæ ſcilicet exploratores ac interpretes, diſſenſio ac diverſitas notionum ; Kantius tamen ab ipſa natura ejus categoriæ notionem ingeſtam hominibus fingit. Quis igitur non videt, penitus commentitias eſſe haſce prioritates, quæ explodi modis omnibus, & ſiquis verum ſectari velit, inſtar inanium ſomniorum cum indignatione rejici debeant.

*) Crit. S. 183. Das Subſtrat der empiriſchen Zeitbeſtimmung überhaupt, welches alſo bleibt, indem alles andere wechſelt.

§. 105. Si primam idearum notionumque originem deprehendere voluiſſet Kantius, non ex ſua cognitionum ſupellectili, quæ longa cogitandi, ideasque alias abſtrahendi, alias conſociandi conſuetudine collecta eſt, ea de re diſſerere debuiſſet, ſed ad primam hominum ætatem redire cogitando, ejusque ætatis primas repræſentationes rerum, rudesque cogitationes aptis indiciis explorare; quod a Lockio ſolertiſſima parvulorum obſervatione factitatum novimus, a Kantio autem prætermiſſum fuiſſe juſtiſſime reprehendit Tittelius. *) Similis opportunitas

tas exquirendi idearum ortum se offert, cum quis usum sensuum e. g. oculorum, quo ante penitus caruit, artis beneficio repente obtinet. Referam non nulla exempla tum ex Optica Roberti Smith authoris Angli, **) tum ex Lockio, quæ consentanea præsenti disquisitioni & proposito videbantur.

*) Kantische Denkformen, oder Kategorien. S. 94. Nachdem Herr Kant im categorischen Ton die grosse Männer Aristoteles, Hume, Leibniz, und den Tiefdenker Locke auf falschen Wegen angetroffen zu haben versichert, wird er doch die Erinnerung nicht für beleidigend halten: ob nicht er selbst vielmehr einen ganz unrichtigen und verkehrten Weg hierin eingeschlagen habe? In der That scheint diess nun doch die wahre Quelle der kantischen Verirrungen zu seyn, dass Kant die menschlichen Begriffe nicht von ihrem ersten, schwachen und unvollkommenen Ursprung hinauf zu ihrer Ausbildung verfolget; sondern in umgewandter Ordnung, die Resultate eines langwierigen Forschens schon in den Anfang des menschlichen Denkens hinein trägt, und zu Elementen der Erkenntniss macht?

**) Cours complet d' Optique de Robert Smith Liv. I. chap. V. des Idèes qui nous viennent par la vue. Spengler Optik, Catoptrik, und Dioptrik Seite 114. Berthold Hauser T. VII. §. 261.

§. 106. Chesselden vir anglus celeberrimus adolescenti annorum 14 cataractam, quæ visum inde a primo ortu præpedierat, feliciter removit; quo tanquam levato velo, dici non potest, quanta ipsum admiratione, quo stupore gaudioque repleverit admirabilis pulchritudo, miraque varietas mundi adspectabilis, qui ab hominibus ipsa assue-

tudine ac desidia cogitandi neglectui sæpe habetur, nisi de beneficiis creatoris tristibus portentis & calamitatibus commonefiant. Sed adolescentis illius sensus, animumque ita affecerant res conspectæ, ut ne sanitas convelleretur, necesse fuerit pannum tenuiorem bombycinum oculis principio prætendere. Mira autem de rebus primo conspectis ejus fuerunt judicia. Videbantur omnia, quæ incurrerant in oculos, oculis ipsis incumbere, quemadmodum corpora, quæ ante manu contrectarat, pellem, ut inquiebat, contingebant. De distantiis & magnitudine rerum circumpositarum judicare visu non poterat; ac siquid ob oculos positum pollice majus non esset, tamen magnitudine domum, quæ obtegebatur, id æquare, opinabatur; novi, inquiebat, hoc cubiculum non esse, nisi partem domus totius; at si visui habebo fidem, majus id ipsa domo existimare debeo; (simile quidpiam cæco illi Evangelico obtigit : *Video homines, sicut arbores ambulantes.* Marc. VIII. 24.) Neque figuras rerum objectarum, rotundæ, an angulares essent, oculis distinguebat, nisi tactum adhiberet. Si, quæ præsentia erant, suis quæque nominibus notarentur, ipsique distincte indicarentur, ea contemplabatur diligenter; sed paulo post, qualia essent, & quibus nominibus deberent designari, multitudine rerum ac varietate obrutus, non recordabatur. Didicerat ante solo tactu felem discernere a cane; cum dein eadem animalia oculis repræsentarentur, diceretturque ipsi, hanc esse felem, illum canem, non continuo cum diversitate figuræ, visu percepta, etiam diversa nomina ita consociavit, ut suo quodque nomine potuerit notare, nisi ad tactum recurrisset, quod

alii

aliis non advertentibus faciebat. Corpora etiam vicina, trinam nempe dimensionem habentia, pro imaginibus rerum planis habebat, mirabaturque vehementer, si tactu alias partes prominentes, alias dehiscentes sentiret; cum igitur non esse planas imagines comperisset, etiam picturas plana tabula propositas haud esse planas credebat, novaque afficiebatur admiratione, cum tactu planas percepisset, ut interrogaret circumstantes, uter sensus pro deceptore esset habendus, visus, an tactus? Cum in parva icone, quam appensam quis gestabat, imaginem patris depictam intueretur, agnovit similitudinem paterni vultus; sed comprehendere se non posse asseverabat, quomodo figura sat magna tam parvo spatio circumscriberetur. Nativum hypochyma, uti sit fere, non sic eum antea privaverat omni visu, quin plena luce distingueret nigrum ab albo aut rubro; at figuras corporum eo statu distinguere solo visu, nisi tactu uteretur, haudquaquam potuit, cum nempe radii tum quidem non satis colligerentur in focum, quod item contingit, si corpora per vitrum valde crassum aspiciamus. Unde non mirum, quod nec postea figuras distinxerit visu, nisi longiore videndi usu ac veluti disciplina edoctus, quemadmodum ipse affirmabat aliquando: se didicisse nunc demum videre, seu uti oculis sanis. Illud mirabilius, quod colores nigrum, album, rubrum, quos ante prope cæcus internorat, mutato lucis gradu non pro iisdem agnovit, quos ante impresserat imaginationi suæ. Colorem quidem rubrum pulcherrimum existimavit: aliis coloribus eo magis delectabatur, quo lucidiores essent. Cum nigrum primum conspiceret, exterritus est: sed paulatim eidem etiam assuevit,

etſi poſt aliquot menſes, cum forte in hominem nigrum incidiſſet, magnopere exhorruerit ejus conſpectu. Cum in villam deduceretur, ex qua liber proſpectus lateque patens viſui ſubjiciebatur, ingenti gaudio exultabat, eumque eſſe novum videndi modum affirmabat, etſi antea non plus voluptatis percepturum ſe crederet, ſi foras prodiret in patentes campos, quam ſi obambularet in horto; quod commode & citra anxietatem cæcus fecerat, usque adeo, ut nocturno etiam tempore per domum incederet multo liberius, ac ab aliis fieri aſſolet, qui viſu pollent, cunctaque obſtacula explorata habent; eoque commodo vagandi per domum noctu, quin lumine egeret, longiori poſt ſanationem tempore fruebatur. Quæcunque res nova occurrebat, novam ei creabat voluptatem, cui exprimendæ ſe imparem dicebat. Neque vero diſſimulare potuit, quantopere ſoteri ſuo ſe devinctum ſentiret, quem primo quidem tempore intueri nunquam potuit, quin lacrymas profunderet præ gaudio, aliaque ederet amoris, & grati animi indicia, & e contrario vehementer doleret ac quereretur, ſi is condicto tempore præſto non eſſet. Cum poſtea ex altero etiam oculo detraheretur cataracta, principio res objectas prægrandes ſibi apparere teſtatus eſt, non ſic tamen ac cum viſum primo accepiſſet; cumque dein utroque oculo rem eandem intueretur, duplicem cenſebat primo, donec uſu & progreſſu temporis unam eſſe agnoſceret. Similia hujus generis experimenta in aliis compluribus, quibus curationem adhibuit, ſe cepiſſe ac collegiſſe confirmat vir cl. Cheſſelden.

§. 107.

§. 107. Animadvertet prudens lector, talia esse, quæ mox enarravi, ut contra Kantianas hypotheses gravissima argumenta præbeant. Sed antequam disputare aggrediar, addam non nulla ex Lockio, ac in primis problema Molinei, quod is l. 2. c. 9. de Int. hum. ab hoc viro acutissimo sibi propositum fuisse scribit his verbis: *Supponamus virum a nativitate cæcum, jamque ætatis provectioris, edoctum esse per tactum inter cubum & sphæram ejusdem metalli & magnitudinis etiam prope ejusdem distinguere adeo, ut unum & alterum contrectans, quis sit cubus, quæ sphæra, indigitare possit. Supponamus deinceps cubum & sphæram super mensam imposita esse, & cæcum visum recuperare. Quæro jam, utrum oculorum adminiculo, priusquam illa denuo contrectaret, quis sit cubus, quænam sphæra dijudicare possit?* Respondit (Molineus) hujus quæstionis auctor acutissimus: *nequaquam. Etiamsi enim ab experientia didicerit, quomodo globus, quomodo cubus tactum afficiat: nondum tamen eum experientia docuit, id quod tactum ipsius hoc vel illo modo afficit, visum necessario ita afficere; aut angulum prominentem in cubo, & quo manus inæqualiter premebatur, idem oculo compariturum, quod in cubo est.* Responsum Molinei, etsi comprobare videatur Lockius, tamen reipsa sic temperat aut restringit, ut dicat; opinior, cæcum, *primo intuitu* haud *pro certo* dicere posse, uter esset globus, aut cubus, dum illa *solummodo spectaret*, etiamsi per tactus & figurarum indicia posset certissime, & sine ullo errore ea distinguere. Memorabile est illud etiam, neque alienum ab hoc loco, quod Lockius indicati operis L. 3. c. 4. §. 11. refert. Cæcus quidam ingenio

niosus, qui in objectis, quæ *videri* possunt, multum operæ collocavit, atque librorum & amicorum explicatione usus est, ad ea, quorum mentio sæpe incidit, *luminis & colorum* nomina intelligenda; aliquando gloriatus est, se quid sit *coccinum*, jam didicisse. Roganti deinde amico, quid esset? cæcus respondit, simile esse tubæ sonitui.

§. 108. Hæc quidem, si rite expendantur, æque certo dispellent tenebras hypothesium, formarumque kantianarum, ac adolescens cæcus sublata hypochysi usuram lucis accepit. Kantio quidem *cogitare* ac *cognoscere* nihil est aliud, nisi *judicare*. Quis negaverit, adolescentem illum obtento visu cum spectaret res novas innumerabiles, cum miraretur, atque adeo stuperet, vere & cogitasse & cognitionem rerum plurimarum accepisse? quis vero eundem mox judicasse de rebus ipsis affirmaverit? Recipiebat primo impressiones rerum oculis objectarum, easque recipiendo haud dubie patiebatur, sive *passive* se habuit: at receptas tenebat & spectabat omni attentione, & nitebatur conservare intuitum, præsertim cum magnopere eo delectaretur; tum certo non passive sese exerebat facultas sentiendi. At Kantius passivas impressiones, quas *ideas sensuales* vocant, confundit cum vi activa animadvertendi, attendendi & apprehendendi: has vero *apprehensiones simplices* rerum confundit, commiscetque cum *judiciis*, primam scilicet cum secunda mentis operatione, quarum alteram ab altera nemo non Philosophorum adhuc distinxit; denique confundit Kantius *cognitionem* rei, qua eam per notas suas internoscimus & distinguimus ab aliis rebus, cum *agnitione* ejusdem, qua eam ad certas classes

classes generis vel speciei referimus, sive ut Kantius loqui amat, subsumimus, certisque generis aut speciei vocabulis denotamus. Est aliquid, posse res quasque revocare ad species suas vel genera subalterna, præsertim pro usu vitæ communis, mutuæque communicationis. At vocabulis alligata non est cognitio rerum, id est, repræsentatio earundem, distinctioque per certas notas, quibus ab aliis internoscuntur. Si adolescens ille, de quo narravimus, non illico memoria retinuit vocabula, per quæ felis & canis designabantur, ideone cognitionem nullam eorum animalium ex solo visu habebat? multas ea notas exhibebant, per quas alterum ab altero discernere debuit, etsi suo quodque nomine non potuerit insignire; quod sæpe in frequenti civitate degentibus nobis contingit, ut noscamus hominem crebrius nobis occurrentem, & ab innumeris aliis distinguamus, quin nomen illius ac genus habeamus compertum.

§. 109. Dubium non est, quin *spatii* conceptum jam ante formarit adolescens, quam visu potiretur, (§. 49.) libere enim per domum obambulabat; cumque circumposita obstacula non conspiceret, nullo eorum timore retardare gressum cogebatur, quod aliis usuvenit, qui ne incurrant in vicina obstacula, quorum repræsentationem imaginatio resuscitat, protensis manibus timide cauteque in tenebris progrediuntur. Visu quidem distantias rerum, spatiaque vacua aut plena primo discernere non potuit, credebatque, ipsis oculis incumbere, quæ intuebatur, donec adminiculo aliorum sensuum, maximeque tactus, ipsoque usu seu, ut ajunt, judicio experimentali didicerit, quæ & quanta sit

corporum conſpectorum diſtantia. Qua, obſecro, fronte quis finxerit, eum conceptum ſpatii, quem ipſo libero motu primum, deinde etiam viſu nactus eſt, talem fuiſſe, ut ſpatium velut interminatum, atque infinitum, idemque unicum ſibi repræſentaverit? Abſtracta iſtiusmodi ſpatii notio eſt intellectus propria, non ſenſuum, quæ longa meditatione demum comparatur; præſertim cum adoleſcens ille proſpectu camporum longe lateque patentium magnopere afficeretur, eumque novum videndi modum appellaverit; qua perceptione, non dubito, quin repræſentationem ſpatii multo ac antea ampliorem magisque protenſam effecerit. Illud etiam intelligitur nunc manifeſto, ex ſenſibus rectoque eorum uſu pendere, ut cognoſcamus, qualia ſint corpora, quæ intuemur, plana, an ſolida; id eſt, duarum an trium dimenſionum, vicina an contigua, hisce non aliis figuris prædita, ut proinde falſum ſit evidenter, quod Kantius affirmat, repræſentationem ſpatii, extenſionis, figuræ, magnitudinis nequaquam ab experientia & uſu ſenſuum, ſed a priori ex ipſa ſenſuum natura provenire. Cur, obſecro, formæ illæ ſenſuum tam variabiles ſunt? Cur alia eſt forma ſenſuum in iis, qui viſu jam diu gaudent, alia in iis, qui nunc primum eo potiuntur? atque in his ipſis cur tam varia pro crebriore ſenſuum uſu, & experientia adcuratiore? num ſenſuum natura mutatur, ut alias atque alias formas pro temporum varietate progignat?

§. 110. Repræſentationes novæ rerum variarum & admirabilium, quæ obtento viſu veluti facto agmine in mentem adoleſcentis irruebant, extrinſecus advenerunt, productæque ſunt, non ab ipſa

ipſa mente effectæ; neque id negat Kantius, qui repræſentationibus ſenſuum quidpiam reſpondere, quod extra mentem ſit, fatetur. Sed iſtuc, inquit, ſi in ſe conſideretur, non eſt, niſi incognitum x. At multiplices, & maxime differentes, ac variæ ſunt illæ repræſentationes. Igitur incognitum illud x pariter multiplex, maximeque varium, & pro diverſitate perceptionum diverſum eſſe debet. Idem illud x tantopere affecit primo adoleſcentis animum, ut ſtatus integer mentis ſenſuumque prope convelleretur, obtentoque velo impreſſiones novæ fuerint præpediendæ. Kantius tamen res ipſas in ſe non eſſe, niſi incognitum x affirmat, & *cum ſolis phænomenis, ſeu meris repræſentationibus rem eſſe nobis*, contendit. *) Siquis jam adoleſcenti illi ſic eſſet loquutus: nihil eſt totum, id quod conſpicaris, niſi incognitum x: cum ſolis repræſentationibus negotium tibi eſt. Quid quereris de copia lucis, & vi impreſſionum vehementium? quid admiraris varietatem rerum? totum in repræſentationibus ſitum eſt; extra mentem non eſt, niſi unum idemque incognitum x. Ampliſſima illa ſpatia, quæ ſubjiciuntur oculis tuis, in ſenſibus inhærent, ac ſenſuum forma ſunt; extra ſenſus tuos, & extra te nihil ſunt. Ex iſtiusmodi kantiana diſciplina, inquam, ſiquis cum adoleſcente illo confabulatus eſſet, tum, credo, amittendæ ſanitatis ſtatusque integri mentis multo majus periculum ſubiiſſet, ac impreſſiones rerum variarum, eæque ſimul & copioſæ & valide irrumpentes in animum ipſi creaverant. Certe vir prudens verique amans, qui infinitam varietatem repræſentationum, quæ vel per ſenſus tantum mentem ſubeunt, expenderit, animique & voluptates, & moleſtias ab externis re-

bus procreatas senserit, kantiana illa phænomena, merasque repræsentationes cum incognito x non minus cum stomacho rejiciet, ac Dionysius Heracleotes propter oculorum dolorem a Stoicis descivit, qui identidem ingeminabant, dolorem malum non esse, & in tauro Phalaridis beatum fore sapientem. **)

*) Critik Seite 62. Sieht man die empirische Anschauung nicht als blosse Erscheinung an, so dass darinn gar nichts, was irgend eine Sache an sich selbst angienge, anzutreffen ist, so glauben wir alsdenn doch, Dinge an sich zu erkennen, ob wir es gleich überall (in der Sinnenwelt) selbst bis zu der tiefsten Erforschung ihrer Gegenstände mit nichts, als Erscheinungen zu thun haben.

**) Cic. de Finib. Bonor. & Malor. l. V. c. 31.

§. 111. Figuras corporum atque extensionem variam & visu & tactu distinguimus, etsi alia impressio per radios in organum visus, alia per ipsum corpus immediate in manum ejusque fibras, aliave membra nostra fiat. Cæcus ille Molinei sphæram ac cubum solo tactu perinde discernere debebat, ac adolescens Chesseldenii tactu distinguere felem a cane didicerat. Kantius tamen extensionem & figuram corporis non recenset inter affectiones eas, quæ sensu percipiuntur, sed ad formam sensuum refert, quæ manet sublatis affectionibus sensibilibus corporum. *) Si absente quovis corpore mens sibi repræsentare potest figuram quandam vel extensionem, id imaginationi adscribi debet, quæ facit, ut absente corpore lucido vel illuminato varios etiam colores, ante perceptos, mens sibi repræsentet. Adolescens ille felem & canem tactu discer-

discernere didicerat, & diversæ cujusque impressioni in manum factæ diversa etiam, propriaque nomina associavit. Quapropter ambigi non potest, quin hypotheticus cæcus Molinei solo tactu distinguere cubum a sphæra, & sphæram a cubo deberet. Sed quæritur, utrumne visu etiam absque contrectatione possit ea distinguere. Negat Molineus, id fieri posse, & Lockium eatenus assentientem habet, *quod is, qui visum nunc habet, primo ac solo intuitu acquiescit.* Plura non addidit Lockius, sed tamen ipsa restrictione sua locum fecit, rem istam penitius expendendi. Fac enim cæcum illum ultra ea, quæ sensibus perceperat, cogitando progressum sic ratiocinari vi ingenii sui: inter hæc bina corpora alterum quidem, quod sphæram denominare didici, quacunque parte tangatur, & contrectetur, eandem semper impressionem in manu, eandemque repræsentationem in mente mea efficit; alterum vero, quod appello cubum, aliis atque aliis partibus contrectatum, impressiones diversas in manu, ac repræsentationes pariter diversas in animo solet producere (aliter enim tactum afficiunt anguli solidi, aliter latera cubi). Ratio diversitatis harum perceptionum in ipsis corporibus contrectatis inesse debet. Si jam ex hypothesi Molinei corpora illa soli visui subjiciantur, neque manum adhibere liceat, intelliget attentus contemplator, alterius figuram oculis conspectam ex omni parte eandem esse, ut nulla diversitatis perceptionum ratio suppetat, quacunque parte attrectaretur: at in altero aliam in oculis impressionem facient latera, aliam anguli solidi; ut ex hac ipsa superficiei diversitate haud ægre ratio conjiciatur diversarum perceptionum, quæ ex tactu consequi deberent,

berent, si eundem adhibere nunc concederetur; hoc ergo corpus afficiet eo nomine, quod antea tribuerat efficienti dispares perceptiones, hoc est, denominabit cubum; alterum proin sphæram esse affirmabit. Ita quidem ex iis, quæ sensu percepimus, ratiocinando, solerterque cogitando ad ea progredimur, quæ jam solo sensu percipere haud quaquam possumus; nec ob id veritate reali carent cognitiones sic comparatæ; quemadmodum Kantius docet, qui cognitionem humanam a sensibus quidem exoriri vult, sed ultra sensus negat pervenire posse, quasi ratio ipsa, quæ vi naturali progredi angustias assolet, non alia ex causa a Deo concessa fuisset humano generi, nisi ut perpetuis nos erroribus ac illusionibus implicaret.

*) Critik Seite 35. Wenn ich von der Vorstellung eines Körpers das, was der Verstand denkt, als Substanz, Kraft, Theilbarkeit &c. imgleichen was davon zur Empfindung gehört, als Undurchdringlichkeit, Härte, Farbe &c. absondere, so bleibt mir aus dieser empirischen Anschauung noch etwas übrig, nämlich Ausdehnung und Gestalt. Diese gehören zur reinen Anschauung, die a priori, auch ohne wirklichen Gegenstand der Sinne oder Empfindung, als eine blosse Form der Sinnlichkeit im Gemüthe statt findet.

§. 112. Verba Kantii, quæ exscripsi præcedente nota, id palam faciunt, non argumento quodam probabili, sed solo arbitrio & ex præconcepta hypothesi, ipsum alias repræsentationes intellectui adscribere, alias sensui, alias nec intellectui nec sensibus; quas nempe a priori provenire docet. Siquis corpus *divisibile* cogitet, id intellectui esse proprium ait, itemque si *substantiam* esse, *si vi præditum*,

ditum. At si *impenetrabile*, si *durum*, si *coloratum* &c, istud ad sensus refert: demum si *extensum*, si *figuratum* certo modo repræsentet; id neque intellectui, neque sensuum experientiæ, sed naturæ sensuum attribuit; quæ etsi *mera receptivitas*, & *passiva conceptibilitas* sit, tamen omnis extensionis & cujusvis possibilis figuræ repræsentationem ex se ipsa producit. Sed totum hoc temere & fortuito sic distribuitur. Uterque cæcus, & ille Chesseldenii, & hic Molinei solo contactu discernit corpora, nempe canem a fele, sphæram a cubo; atque in his quidem, si ex eadem confecta sint materia, durities & impenetrabilitas par est. Sola ergo discrepantia figuræ indicio esse potest, quis sit cubus; quæ sphæra. Neque verò figura percipi sensu potest, nisi una percipiatur extensio corporis utriusque, durities vero & impenetrabilitas, nisi ex vi quadam adhibita, eademque elisa a corpore duro & impenetrabili, nullo modo comprehenditur. Cur ergo siquis *vim* corporum cogitat, id proprium intellectus esse dicitur: si vero duritiem & impenetrabilitatem, id sensuum esse proprium? cur dein si repræsentatio duri & impenetrabilis refertur ad sensus, repræsentatio extensi & figurati non refertur ad sensus? Quærere lubet ex Kantio, cum uterque cæcus notionem quandam *similitudinis* rerum habuerit; alter enim in parva icone agnovit similitudinem paterni vultus, alter colorem rubrum similem sonitui tubæ pronuntiavit, unde hanc notionem hauserit uterque? Res ipsæ, quæ similes, æquales &c a nobis existimantur, afficere sensum externum possunt: non item ipsa similitudo; sæpe enim intuemur ea, quæ similia aut æqualia reipsa sunt, quin talia esse ani-

animadvertamus. Si notio omnis, cujus objectum sensus externos afficit, a priori provenit, in immensum crescent prioritates kantianæ; si non omnis, ratio reddenda est, cur una dicatur a priori nasci velut sponte sua, altera non item. Kantius non philosophatur, cum de origine notionum agit, sed pro libitu affirmat, negat, sibi etiam non raro adversatur, quemadmodum pluribus jam locis animadverti. Sic extensionis & figuræ repræsentationem non materiam cognitionis esse ait, sed formam; postmodum easdem corporum affectiones instar objecti seu materiæ posse considerari, idque evenire in geometricis disciplinis, docet.

Caput XII.

Kantianum systema principiorum syntheticorum intellectus puri.

§. 113. Secundum categorias quadripartito divisas novam tabulam principiorum construxit Kantius, sic ut cuique illarum classi sua principia respondeant nempe

1. Quantitati *axiomata intuitionum;*	2. Qualitati *anticipatio animadversionum;*
3. Relationi *analogiæ experientiæ;*	4. Modalitati *postulata judiciorum empiricorum.*

Falsitatem horum principiorum ea, quam ex mente Kantii habere deberent, significatione, obtegere is conatus est obscuritate novitateque vocum. Signifi-

nificationem autem hanc attribuit principiis suis, ut *primo* velit esse synthetica ab intellectu puro, id est, a priori profecta, non per *inductionem* collecta; (secus enim nec stricte universalia forent ea judicia, neque necessaria) nec ex notione subjecti deducta & *conclusa vi rationis;* secus analytica deberent censeri, non synthetica. *Secundo* ut ea habenda sint pro regulis cognitionis objectorum veræ, realis, & objective validæ, ut loquitur, quas quidem regulas per ipsam facultatem cognoscendi definiri putat, sic ut ipsæ leges naturæ, altioribus principiis intellectus subjectæ sint; quod mirum videri non debet, siquis in memoriam revocet Idealismum kantianum, quo cognitionem humanam intra phænomena merasque repræsentationes contineri, de rebus vero, quales sint in se ipsis, nihil quidquam attingi a nobis posse affirmat.

§. 14. *Axioma intuitionis. Omnes intuitus sunt quantitates extensivæ.* *) Intuitum autem vocat cognitionem, quæ immediate refertur ad objectum (nempe sensuum, qui soli intuentur) estque proin cognitio singularis objecti sensibilis, quod sensus afficit, **) Kantius axiomati & principio suo addit probationem; quod valde insolens est; nam aliis quidem philosophis & mathematicis axioma censetur propositio esse indemonstrabilis. Sed quidquid sit, probatio kantiana hoc syllogismo continetur: Spatium ac tempus sunt quantitates extensivæ; at omnia phænomena secundum formam suam continent spatium ac tempus: ergo omnes intuitus sunt quantitates extensivæ. ***) Quis tiro logices non perspiciet vitium syllogismi? plures enim quam tres terminos continet. Si ita diceret

Kan-

Kantius: intuitus ſpatii & temporis eſt intuitus quantitatis extenſivæ; iſtuc ei facile daretur: eſſet autem propoſitio analytica, in qua prædicatum ex ipſa notione ſubjecti intelligitur. At Kantius axioma ſuum non de puro intuitu ſpatii ac temporis, ſed de quavis cognitione empirica ſeu de omnibus phænomenis intelligi vult, eſtque hæc ejus mens: omnia phænomena conjuncta ſunt cum intuitu ſpatii ac temporis; hic autem intuitus ſpatii & temporis eſt intuitus quantitatis extenſivæ, ergo omnia phænomena conjuncta ſunt, cum intuitu quantitatis extenſivæ. At Reſpondeo 1. nego veritatem propoſitionis primæ ſeu majoris colligi aliunde poſſe, niſi ex inductione; aut certe petitione principii Kantius ſumet id, quod probare deberet. 2. Nego in omni repræſentatione ſenſuum adjunctum eſſe intuitum ſpatii ac temporis. Tactu quidem & viſu percipere non poſſumus, quod compoſitum, proindeque extenſum non eſt; at quis tum neceſſario ac ſemper etiam de tempore cogitat? Dein aliud profecto eſt, murum extenſum ſibi repræſentare, & aliud, ſibi repræſentare ſpatium, quod murus occupat. Quis infantibus, cum naturali aviditate hauriendi ideas rerum, oculos quaquaverſus conjiciunt, præſertim qua lux affulget, aut ſonus allabitur, repræſentationem ſpatii ac temporis adfinget? ****) Si tactum noſtrum ac viſum non afficiunt, niſi quæ paulo craſſiora, atque extenſa ſunt; quæ extenſionis repræſentatio ineſt in perceptione odoris, ſoni, amari, dulcis, caloris, frigoris? Kantium quidem ex longa aſſuetudine imaginandi cum quavis ſenſatione conſociaſſe ſpatii ac temporis repræſentationem, haud ægre mihi perſuadeo, uti indicavi §. 59.

*)

*) Seite 202. Axiomen der Anſchauung. Das Princip derſelben iſt: Alle Anſchauungen ſind extenſive Gröſsen.

**) Seite 376. Anſchauung bezieht ſich unmittelbar auf den Gegenſtand, und iſt einzeln.

***) Seite 202. Beweis. Alle Erſcheinungen enthalten, der Form nach, eine Anſchauung im Raum und Zeit, welche ihnen insgeſammt a priori zum Grunde liegt. Sie können alſo nicht anders apprehendirt, d. i. ins empiriſche Bewuſstſeyn aufgenommen werden, als durch die Syntheſis des Mannigfaltigen.

****) Auguſt Tittel von kantiſchen Denkformen Seite 94. Darf ich, was in unſerem gebildetern Begriff von Körper liegt, darum auch der erſten unvollkommenen Vorſtellung, welche das Kind von Körpern oder von ſinnlichen Gegenſtänden hat, ſchon als Bedingung voranſtellen? Weil wir nun wiſſen, daſs ein Körper nicht ſeyn könne ohne Raum, darum ſoll das Kind auch ſchon die Vorſtellung vom Raum in ſich gehabt haben, ehe es noch die Vorſtellung, das Anſchauen ſelbſt von ſeiner Puppe, von ſeiner Amme, von ſeinen Geſpielen, von den Kirſchen an dem Baum, von Geräthſchaften des Hauſes hatte? Dieſs wäre doch eine Subreption der erſten Art, ſo etwas in die Seele der Kinder zu legen. Es dachte alle jene Dinge vorerſt nur bloſs nach den daran wahrnehmbaren ſinnlichen Eigenſchaften. Im Raum — oder ohne Raum — war noch gar kein Gedanke für dieſs kleine Weſen. Es wird nicht wiſſen, was man will, wenn man von Simultaneität und Raum mit ihm ſpricht. Viel ſpäter erſt werden dieſe Verhältniſſe der längſt geſchauten Gegenſtände geſondert, abgezogen und bezeichnet.

§. 115. *Anticipatio animadverſionum.* Principium earum eſt hoc: *In omnibus phænomenis*

reale illud, quod est objectum sensationis, intensivam quantitatem, id est, gradum habet. *) Explicanda inprimis est Kantii mens. Phænomena kantiano sensu, seu meræ repræsentationes sensibilium rerum præter formam temporis ac spatii continent *materiam* sensationis e. g. repræsentationem coloris rubri, aut perceptionem caloris, ejusque sensationis animadversionem (Wahrnehmung) sive attentionem quandam mentis ad id, quod sensatio repræsentat, ne scilicet mens, dum organa afficiuntur, rebus aliis affixa, quid in se contingat, quodammodo negligat, nullamque ejus habeat conscientiam. Hanc materiam vocat *reale seu realitatem sensationis*, item *objectum sensationis* non eo sensu, quo alii Philosophi, qui Idealistæ non sunt; sed ex hypothesi idealismi transcendentalis mox addit, non esse illam, nisi *subjectivam* repræsentationem, de qua conscii tantum sumus, sensus certa ratione esse affectos, eique generatim respondere objectum quoddam extra mentem, videlicet ignotum x kantianum. Nempe repræsentationes sensuum relate ad mentem vocat modificationes subjecti: easdem vero, cum reipsa repræsentatio quædam & imago sint, ait habere *objectum*. At enim sic etiam somnia & phantasmata phreneticorum suum objectum habent. Hanc esse Kantii mentem, subjecta ejus verba declarant. **)

*) Seite 207. Anticipationen der Wahrnehmung. Das Princip derselben ist: In allen Erscheinungen hat das Reale, was ein Gegenstand der Empfindung ist, intensive Grösse, d. i. einen Grad.

**) Beweis. Wahrnehmung ist das empirische Bewusstseyn, d. i. ein solches, in welchem zugleich Empfindung ist. Erscheinungen als Gegenstände der

der Wahrnehmungen ſind nicht reine (bloſs formale) Anſchauungen wie Raum und Zeit; (denn die können an ſich gar nicht wahrgenommen werden). Sie enthalten alſo über die Anſchaung noch Materien zu irgend einem Objecte überhaupt (wodurch etwas exiſtirendes im Raume, oder der Zeit vorgeſtellet wird) d. i. das Reale der Empfindung, als bloſs ſubjective Vorſtellung, von der man ſich nur bewuſst werden kann, daſs das Subject afficirt ſey, und die man auf ein Object überhaupt bezieht, an ſich.

§. 116. Expoſita Kantii mente diſpiciendum nunc eſt, anne & qualis intenſiva quantitas in repræſentationibus ſenſuum habeat locum? Tria in iis ſpectari poſſunt: *Primo* motus & mutatio ſeu impreſſio facta in organo materiali ſeu in fibris corporis. Hic motus & numero impreſſionum ſeu vibrationum certo tempore factarum, & vi ac quantitate ſingularum impreſſionum differre poteſt; uti manifeſtum eſt in ſono, in quo differentia ſoni gravis & acuti ex numero & celeritate vibrationum, differentia autem ſoni intenſi & remiſſi ex magnitudine vel amplitudine earundem aptiſſime explicatur. Si Kantius certum motum, qui ex impreſſione corporis ſenſitivi exiſtit, a minimis gradibus per incrementa infinite parva ad eum, quem habet, modum perveniſſe dicat, non repugnabo nunc. Novi enim, Phyſicos quosdam omnem motum, qui in globo quieſcente ab incurrente producitur, ſimiliter explicare. Sed non iſtuc vult Kantius, quemadmodum mox patebit.

§. 117. *Secundo* ſpectatur in repræſentationibus ſenſuum orta ex mutatione organi in anima perceptio ejusdem & animadverſio. At enim hæc

ob ipſam ſenſuum hebetudinem & craſſitiem non oritur, niſi ſatis valida ſit impreſſio in organo facta, ac præterea animadverſio ſeu attentio & intuitus mentis accedat; id quod experientia perpetua teſtatur, & a nemine philoſophorum vocatur in dubium. Si illa impreſſio per anteriora incrementa minima ad eum gradum pervenit, cui demum perceptio & animadverſio in anima reſpondet, hanc animadverſionem Kantius non anticipationem ſeu πρόληψιν, ſed μετάληψιν nuncupare deberet; quia non *ante illum* impreſſionis ſeu motus gradum, ſed *poſt illum* exiſtit. Sed quis unquam fingere auſus eſt, perceptionem quandam mentis & animadverſionem ex aliis minoribus perceptionibus & animadverſionibus coaleſcere, proindeque quantitatem intenſivam habere; quod Kantius fingit. *) Dicimus nos quidem, repræſentationes *claras* & *obſcuras* uti & phantaſmata *vivida* & *languida*; ſed iſtuc ex quantitate impreſſionum in organa factarum, affectione item ipſorum organorum, atque etiam mentis diſpoſitione pendet; nemo autem perceptionem quamcunque ex aliis minoribus tanquam gradibus conſtare, atque ita intenſivam quantitatem habere unquam judicavit; neque enim clara repræſentatio ex pluribus obſcuris, neque phantaſma vividum ex languidis coaleſcit. Inter id, quod in phænomenis reale eſt, (inquit Kantius) inter ſenſationem ſcilicet, ejusque negationem locum habet continua conſequentia mediarum ſenſationum: quæ minus differunt inter ſe, quam ſenſatio quævis data a ſui negatione. **) Quæro utrum etiam inter exiſtentiam datæ rei, ejusque negationem concipi poſſint exiſtentiæ intermediæ, quæ minus differunt inter ſe, quam exiſtentia da-

ta

tæ rei, ejusque negatio; ut proin exiſtentia datæ rei quantitatem intenſivam habeat ex critica Kantii? Haud dubie inter exiſtentiam datæ rei ejusque negationem locum habent res aliæ; ſic inter datam ſenſationem ejusque negationem concipi poſſunt aliæ ſenſationes, ex quibus tamen tanquam gradibus ſenſatio data nequaquam componitur. Sed ut pateat, quantopere a ſolerti animadverſione, cognitioneque naturæ abſit kantiana ratio, rem hanc, quæ paulo remotior eſt a communi obſervatione, excutiam aducratius.

*) Critik Seite 211. Jede Empfindung, ſo klein ſie auch ſeyn mag, hat einen Grad, d. i. eine intenſive Gröſse, die noch immer vermindert werden kann, und zwiſchen Realität und Negation iſt ein continuirlicher Zuſammenhang möglicher Realitäten, und möglicher kleinerer Wahrnehmungen.

**) Seite 210. Zwiſchen Realität in der Erſcheinung und Negation iſt ein continuirlicher Zuſammenhang vieler möglicher Zwiſchenempfindungen, deren Unterſchied von einander immer kleiner iſt, als der Unterſchied zwiſchen der gegebenen, und dem Zero, oder der gänzlichen Negation.

§. 118. Præter organi mutationem motumque in corpore, ejusque mutationis perceptionem atque animadverſionem in mente diſtinguitur *tertio* objectum, quod non tantum extra mentem, ſed etiam extra organum eſt, ceu pannus ruber, quem intuemur, ferrum calidum, aut candens, quo forte adurimur. Atque in hisce objectis ineſſe intenſionis gradus agnoſcunt omnes. Dicimus enim magis minus album, rubrum, calidum &c. Kantius ex hypotheſi idealiſmi tranſcendentalis hæc ob-

jecta, eorumque affectiones, mutationes & quæ nos appellamus phænomena, transfert ad ipsas repræsentationes sensuum, extra quas nihil aliud novimus, nisi ignotum x. Hinc postquam pag. 211. ex qua Kantii verba exscripsi superiore nota prima, dixisset, inter realitatem seu sensationem ejusque negationem intercedere serie continua alias realitates, aliasque animadversiones minores, id exemplo coloris rubri, caloris & gravitatis corporum declarat. *) At omnes necessario naturæ ductu sensationem a rebus, rerumque qualitatibus, quas persentiscimus, omnino distinguere solemus, ob eamque causam providentissimus conditor cum sensationibus plurimis perceptionem voluptatis aut molestiæ ac doloris annexuit, ut, quæ nocitura sunt vitæ nostræ, fugiamus, quæ profutura, amplectamur. Id ipsum cogitur fateri Kantius, dum ait, per sensationem *repræsentari quidquam in spatio ac tempore existens*; de tali autem repræsentatione id tantum nosse nos, *subjectum fuisse affectum* (extrinsecus per factam impressionem,) *eamque referri ad objectum in genere.* **) Nihil ineptius excogitare potuit Kantius pro tuenda hypothesi Idealismi. Sensatio repræsentat quidquam existens in spatio ac tempore, atque ad id ipsum refertur necessario. Quomodo ergo ad *objectum in genere* refertur? quomodo id, quod existens, proindeque uti res certa ac determinata repræsentatur, simul repræsentatur tanquam res in genere, incerta, indeterminata? præsertim cum ipse cognitionem empiricam vocet intuitum, qui immediate ad objectum refertur, & cognitio singularis sit? ***)

*)

*) Seite 211. Zwifchen Realität und Negation ift ein continuirlicher Zufammenhang möglicher Realitäten, und möglicher kleinerer Wahrnehmungen. Jede Farbe, z. B, die rothe, hat einen Grad, der, fo klein er auch feyn mag, niemals der kleinfte, ift; und fo ift es mit der Wärme, dem Moment der Schwere &c. überall bewandt.

**) Verba Kantii adnotavi §. 115.

***) Seite 376. Bezieht fich unmittelbar auf den Gegenftand, und ift einzeln.

§. 119. Illud nunc contendo, quantitatem intenfivam, feu gradus, quos in rebus, earumque qualitatibus folemus concipere, male, & contra apertam veritatem transferri ad fenfationes ac repræfentationes, quafi iftæ ex aliis fenfationibus minoribus coalefcerent; quia mutato gradu objecti (notabiliter pro fenfuum noftrorum craffitie) non eadem fenfatio in nobis oritur, quæ propria eft gradui objecti minori, fed alia difpar, quæ ex repetitione prioris non obtinetur. Sit in objecto e. g. ferro gradus caloris, ex quo exiftit fenfatio caloris non molefta: augeatur gradus caloris, ut manus uratur. Si mens perceptionem priorem non moleftam etiam atque etiam repetat, & cum fimili conjungat, nunquam exiftet fenfatio ea, quam uftionis nomine denotamus. Cæcus ille Cheffeldenii, de quo narravi §. 106, cum etiam maneret oculorum vitium, tamen luce plena rubrum, nigrum, album diftinxit: fublato vitio eosdem colores diftinguere ac defignare non potuit. Siquis ipfum tum monuiffet, ut perceptionem rubri, quam ante habuit, repeteret iterum iterumque, ac fic plures veluti gradus accumularet, tamen non illam

rubri perceptionem, quam ſani oculi ingerebant, ſed priorem ſemper tenuiſſet animo. Si certam magnitudinem extenſivam, aut menſuram ſpatii vel temporis repetam animo, repræſentationem ſpatii majoris, ac temporis longioris inde efficio; aſt idem non contingit in gradibus ſeu quantitate intenſiva; quod dudum animadvertit Lockius, qui, cum lib. 2. c. 17. de Intell. hum. docuiſſet: infiniti ſpatii ac temporis ideam provenire a potentia, quam in nobis obſervamus, ideas noſtras iterum iterumque repetendi, eoque modo ſpatium ac tempus infinite augendi, dein quærit, cur nemo de dulcedine aut albedine infinite cogitet unquam, etiamſi dulcis aut albi ideam perinde ac ulnæ vel diei iterare poſſit? reſpondetque his verbis: „in aliis ideis haud res ita „ſe habet; ampliſſima enim extenſionis aut durationis idea, quam nunc habeo, minimæ cujusdam particulæ additione augeſcit; perfectiſſimæ vero ideæ, „quam habeo, albedinis puriſſimæ, aliam ſi addam „minoris aut æqualis alboris (albioris vero, quam „ideam habeo, addere nequeo) nullum facit incre„mentum, atque ideam meam ne hilum ampliat. — „Si albi ideam ſumas, quam nix heri oculis exhi„buit, & aliam albi ideam ab alia nivis portione, „quam hodie intueris, easque in mente conjungas, „in unum quaſi coaleſcunt, nec albedinis idea om„nino intenditur; & ſi minorem gradum albedinis „majori addamus, tantum abſumus ab augenda, ut „eam contra minuamus.“ Falſum eſt igitur principium anticipationis kantianæ, & a veritate perceptionum mentis noſtræ penitus abhorrens; nec mirum; ſpeculationi enim intentus, & νεωτερισμῷ inhians fictas hypotheſes, quas idola ſpecus nuncuparat Verulamius, ex ingenio ſuo protulit, non natu-

naturam rerum, operationumque mentis lectoribus cognoscendam præbuit.

§. 120. Sunt præterea non pauca, quæ adnotari in hunc locum possunt; ac *primo* repræsentationes ad mentem relatas, *subjecti*, nempe mentis nostræ, *modificationes* appellat Kantius. Quid est autem absurdius, quam modificationem ex aliis modificationibus minoribus dicere conflatam esse? uti si extimam superficiem sphæræ ex aliis minoribus superficiebus sphæricis dicerem compositam. *Secundo*. Cum ea, quæ præter spatii ac temporis formam in sensus incurrunt, eosque afficiunt, a nobis percipi atque animadverti docet, velut interloquendo addit: nam spatium quidem ac tempus, qualia in se sunt, animadverti a nobis haud quaquam possunt. Abstractam utique spatii ac temporis ideam non animadvertimus, uti nec alias abstractas & generales ideas, animadvertimus tamen ea, ex quibus spatii ac temporis ideam vocabulorum ope primo deducimus & generalem efficimus, quemadmodum Cap. V. & VI. exposui. *Tertio*. Quia in omnes repræsentationes sensuum quantitatem exsivam aut intensivam intrudit, inculcatque; hinc perpetuo commemorat *plura* & *varia*, quæ in repræsentationibus insunt, variasque eorum syntheses confingit, neque de *simplicibus* perceptionibus quidquam adfert; quarum expositio pro analysi atque examine idearum summi momenti est, atque ad regulas logicas de recto usu facultatum mentis maxime pertinet. *Quarto*. Illud plane risu videtur dignum, quod Epicurum *Prolepseos* nomine fictitias illas formas spatii ac temporis, quæ a priori proveniant, intellexisse Kantius conjiciat. *) Equidem

dem minime dubito, quin Epicurum rectius intellexerit M. Tullius Cicero, qui & inter Epicureos ejus temporis versatus est, ipsorumque Epicuri sectatorum philosophiam exposuit locis pluribus. Ac L. I. de Natura Deorum c. 17. prolepseos vocem ex mente Epicuri refert ad communem omnium hominum, ac veluti innatum sensum de existentia Dei. Sic enim inquit: *Esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solos, sed etiam indoctos; fateamur, constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotationem Deorum. Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat.* Sed illuc minime probabitur Kantio, qui negat de Deo, quidquam exploratum nos habere ratione theoretica, qua sola, cum de Deo dissereret, usus est Epicurus, utpote quem constat, providentiam Numinis sustulisse, nihilque ex ea deduxisse vi practicæ rationis. Sensum porro communem hominum, ad quem Epicurei provocabant, explodit Kantius, quotiescunque ei commodum pro hypotheseos suæ patrocinio fuerit. Prolepseos voce ab Epicuro in philosophiam introducta, græci deinceps eo vocabulo usi sunt ad designandas notiones specificas rerum; nam speciei notio, quam formam nuncupavit Tullius, ante jam concepta formataque in animo esse debet, quam res quævis singulares ad eam reduci, sive ut Kantius loquitur, subsumi, aut eidem subjici a nobis possint, dicendo e. g. hoc quod video, est arbor: illud est ferrum. In hanc sententiam idem Tullius in Topicis c. 7. ita scribit: *Genus est notio ad plures differentias] pertinens. Forma est notio, cujus diffe-*

differentia ad caput generis & quasi fontem referri potest. Notionem appello, quam græci tum ἐννοιαν *tum* προληψιν *dicunt. Ea est insita, & ante percepta cujusque formæ cognitio, enodationis indigens*, id est, quæ explicari, & illustrari, atque ad applicationem aptari debet. Similia de Prolepsi habet Cicero L. IV. qq. acad. c. 10. Ex quibus vanitas conjecturæ kantianæ manifesto intelligitur.

*) Seite 208. Man kann alle Erkenntniss, wodurch ich dasjenige, was zur empirischen Erkenntniss gehört, a priori erkennen und bestimmen kann, eine anticipation nennen, und ohne Zweifel ist das die Bedeutung, in welcher Epicur seinen Ausdruck προληψις brauchte.

§. 121. Post hæc constituit Kantius principia de analogiis experientiæ. Analogia in mathematicis disciplinis denotat æqualitatem rationum: in philosophicis ex mente Kantii similitudinem relationum e. g. quomodo ea, quæ variantur, sese habeant ad substantiam, quæ perdurat: quomodo effectus ad causam præcedentem: quomodo ea quæ in se agunt mutuo, ad coexistentiam eorundem. Principium Analogiæ primæ continetur hac sententia: *Quantumcunque varientur phænomena, substantia perdurat, ejusque in natura quantitas nec augetur, nec minuitur.* *) Etsi plurali numero substantias non raro appellet Kantius, tamen eas in numero phænomenorum censet, & hoc ipso principio unam unicam ponit, neque inter eas, quas spiritus, & quas materiam nuncupamus, distinguit, sed generatim earum quantum aut quantitatem immutabilem atque adeo æternam esse vult, sic ut nullum earum ortum aut interitum a nobis concipi posse existimet;

iſtimet; quod quidem analogiæ principium haud dubie ingentem cum Spinoziſmo analogiam exprimit. Duo disquiram hoc loco, primo de perduratione ſubſtantiæ quid doceat, dein de conſtanti ejusdem Quanto.

*) Seite 224. Erſte Analogie. Grundſatz der Beharrlichkeit der Subſtanz: Bey allem Wechſel der Erſcheinungen beharret die Subſtanz, und das Quantum derſelben wird in der Natur weder vermehrt, noch vermindert.

§. 122. De perduratione ſubſtantiæ diſſerit in hunc modum: viciſſitudines & variationes eorum, quæ apparent, concipi a nobis & repræſentari non poſſunt ſine aliquo, quod perdurat iis labentibus, ſibique ſuccedentibus, quodque proin viciſſitudinem & variationem non habet. Porro tempus eſt quidem perdurabilis forma interni ſenſus, nec variatur, ſed manet, eſtque id, in quo relationes ac determinationes eorum, quæ ſimul ſunt, aut ſibi ſuccedunt, repræſentantur; ſi enim tempus laberetur, ſibique ſuccederet, aliud excogitandum foret tempus, in quo lapſus hic & ſucceſſio contingeret: eſtque præterea unum tempus, in quo tempora diverſa non ſimul, ſed ſucceſſionis ſerie ponenda ſunt. *) Hoc præſumto ſic proſequitur argumentum: tempus animadverti non poteſt; **) igitur in rebus aliis, quæ animadvertuntur, ineſſe debet veluti ſubſtratum aut ſuſtentaculum perdurans, quo tempus generatim repræſentetur, & ad quod determinationes eorum, quæ ſimul ſunt, aut ſibi ſuccedunt, referri poſſint. ***) Atque hoc ſubſtratum, vel ſuſtentaculum perdurans, eſt ſubſtantia.

*)

*) Seite 224. Beweis. Alle Erſcheinungen ſind in der Zeit, in welcher als Subſtrat (als beharrlicher Form der innern Anſchauung) das Zugleichſeyn ſowohl, als die Folge vorgeſtellt werden kann. Die Zeit bleibt, und wechſelt nicht. Seite 226. Wollte man der Zeit ſelbſt eine Folge nacheinander beylegen; ſo müſste man noch eine andere Zeit denken, in welcher dieſe Folge möglich wäre. Seite 232. Es iſt nur eine Zeit, in welcher alle verſchiedene Zeiten nicht zugleich, ſondern nach einander geſezt werden müſſen.

**) S. 225. Nun kann die Zeit für ſich nicht wahrgenommen werden.

***) Ebend. Folglich muſs in den Gegenſtänden der Wahrnehmung, d. i. in den Erſcheinungen, das Subſtrat anzutreffen ſeyn, welches die Zeit überhaupt vorſtellt, und an dem aller Wechſel oder Zugleichſeyn durch das Verhältniſs der Erſcheinungen zu demſelben in der Apprehenſion wahrgenommen werden kann. Es iſt aber das Subſtrat alles Realen, d. i. zur Exiſtenz der Dinge gehörigen, die Subſtanz, an welcher Alles, was zum Daſeyn gehört, nur als Beſtimmung kann gedacht werden.

§. 123. Hæc deductio principi kantiani plures continet poſitiones, quæ ſingilatim examinandæ ſunt. *Poſitio I. Variatio, viciſſitudo & fluxus rerum concipi non poſſunt, quin una concipiatur aliquid, quod perduret.* Quæro, utrum id, quod perdurat, concipi tanquam perdurans a nobis poſſit, quin una concipiatur aliquid, quod, eo manente, non maneat, ſed labatur, fluat, mutetur? Quid obſtat, quo minus *mutua* relatio ſtatuatur inter hæc duo, durationem ſcilicet & fluxum, ſic, ut neque duratio ſine fluxu, ſaltem poſſibili, rerum, neque

que fluxus sine duratione rei alterius ab humano intellectu possint repræsentari? Disputant Theologi subtiliter de æternitate Dei, cujusmodi ea sit, successiva an fixa? aut quomodo concipi a nobis possit? Equidem non dubito, quin ea *absolute & in se spectata* tanquam fixa censeri debeat, sic, ut omnem cogitationem tum principii & finis, tum etiam mutationis, atque adeo mutabilitatis a conceptu æternitatis Dei animo excludamus; id quod & sacræ literæ, & venerabilium Patrum doctrina, & ipsa ratio nos edocent. At relate *ad nos* eadem æternitas repræsentatur ac refertur ad res alias, quæ initium habent, & successionem ac fluxum, atque etiam mutationem; hinc illæ sunt locutiones: *Regnabit in seculum, & in secula seculorum: ipsi peribunt; tu autem permanes: omnes sicut vestimentum veterascent: tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient.* Nam æternitas Dei, etsi, uti vulgo ex Böetio definitur, sit interminabilis vitæ *tota simul* & perfecta possessio; tamen *sine duratione* repræsentari a nobis & animo comprehendi non potest, nec *duratio sine successione* non *physica* quidem & interna, sed *metaphysica* & externa vel relativa, quæ ad ideam quandam æternitatis divinæ animo informandam assumitur. Non est ergo dictum kantianum (§. 121.) instar principii jactandum; cum non sit, nisi investigatio & explicatio notionis.

§. 124. Positio II. *Tempus non variatur, sed manet, estque unum unicum, in quo diversa tempora non simul, sed successiva serie sunt: est itidem perdurabilis forma sensus interni.* Sed animadverto: 1. Nullo probabilitatis fumo asseri potest, operationi sensus interni, quocunque significatu

catu eum Kantius accipiat, ſemper adjunctam eſſe formam illam ſeu repræſentationem temporis cujusdam, multo etiam minus talem, ut illud cogitetur unum unicum, & manens, & infinite protenſum: longo cogitandi & ſpeculandi labore opus eſt, ut iſtiusmodi repræſentatio animis informetur. Kantium quidem, uti ſupra animadverti, amore hypotheſeos ſuæ tam firmiter conſociaviſſe ideas, ut omnia plane in tempore conſpicari ſe, & cogitare opinetur, haud ſecus ac Malebranchium in ea opinione fuiſſe novimus, ac ſi res cunctas in Deo tanquam ſpeculo cognoſceret, facile mihi perſuadeo. Sed talia omnibus plane hominibus velle attribuere, non jam phantaſiæ morbus, ſed inopia rationis eſt. 2. Mirum eſt plane, quod Kantius novitatis amore omnia commutet. Extenſionem quidem, ceu lineam, ſuperficiem, adhuc omnes pro toto *ſimultaneo* haberunt, at tempus pro *ſucceſſivo*; quia omnes ejus partes fluunt. Kantius invertit, ac de extenſo ait, non poſſe a nobis concipi lineam, niſi eam cogitatione quodammodo ducamus, (utique ſucceſſive) nec circulum, niſi eum deſcribamus: nec ſolidum dimenſionum trium, niſi lineas tres alteram alteri normaliter imponamus. *) Sic ergo extenſum, ſi Kantio credimus, non aliter concipi a nobis poteſt, niſi ex ſucceſſiva conſtructione, & cum fluxu quodam: contra tempus inſtar rei unius, & permanentis nobis exhibet. Quid eſt hoc aliud, niſi ludificare, & inania verba dare viris eruditis? 3. Si repræſentatio temporis forma eſt ſenſus interni, conſequens eſt, ut, quemadmodum repræſentationes omnium ſenſuum variantur, fluunt nec diu perdurant; ſic etiam iſta forma repræſentationum

om-

omnino variari ac fluere debeat, falſoque *perdurabilis* dicatur a Kantio.

*) Critik Seite 154. Wir können uns keine Linie denken, ohne ſie in Gedanken zu ziehen, keinen Cirkel denken, ohne ihn zu beſchreiben. die drey Abmeſſungen des Raums gar nicht vorſtellen, ohne aus demſelben Punkte drey Linien ſenkrecht auf einander zu ſetzen.

§. 125. Poſitio III. *Tempus non poteſt animadverti.* *) Quid eſt, obſecro, *animadvertere*? Anne olfacere tantum, palpare manu, guſtare, contueri oculis & auribus haurire? eane animadvertimus duntaxat, quæ in ſenſus externos agunt? quæ intra nos ipſos contingunt, nulla externa facta impreſſione, non animadvertimus? Enimvero animadvertere dicimur, ſi attendimus ad quidpiam, ejusque conſcii ſumus. Quis autem neget, nos ad ſucceſſionem repræſentationum & cogitationum noſtrarum, perpetuamque viciſſitudinem ſtatuum intellectus & voluntatis poſſe attendere, ejusque ſucceſſionis & viciſſitudinis intime fieri conſcios, & ita conſcios, ut metaphyſice de illa certi ſimus? Animadvertere autem ſucceſſionem & viciſſitudinem, quid eſt, niſi animadvertere tempus rudi quadam & inchoata idea, quæ dein abſtractione, atque operatione intellectus perficitur, atque extenditur, donec ad imaginariam repræſentationem kantiani temporis (tanquam rei unius, in infinitum protenſæ, & permanentis, ſic tamen ut partes fluant, minimeque permaneant) longa meditatione perveniatur? Dein docet ipſe Kantius, formas ſenſuum, ſpatium nempe & tempus etiam inſtar objecti, non ſolius formæ conſiderari poſſe; uti fit reipſa in diſci-

ſciplina geometrica & chronographica. Si autem ſpatium & tempus inſtar objecti ſpectari poſſunt; quomodo animadverti non poſſunt? Quale eſt illud objectum cogitationum noſtrarum, ad quod attendere non poſſumus, & cujus conſcii eſſe non poſſumus?

*) Seite 225. Die Zeit kann für ſich nicht wahrgenommen werden.

§. 126. Poſitio IV. *Quia tempus ipſum animadverti non poteſt, neceſſe eſt, ut iis in rebus, quæ animadverti poſſunt, ſubſtratum perdurabile deprehendatur, ad quod referantur tum ea, quæ variabilia ſunt, ſibique ſuccedunt, tum ea, quæ una exiſtunt.* *) Sic quidem omnes alii philoſophi, qui mentem humanam pro vera, reali ac perdurante ſubſtantia habent, recte diſſerunt: male autem Kantius, qui ſubſtantiam, ipſamque hominis mentem eſſe *phænomenon* dicit. Nam mens noſtra, dum viciſſitudinis repræſentationum ſuarum ſtatuumque internorum ſibi conſcia eſt, ex iſtorum ſucceſſione ſe permanere & durare, & ex ſua duratione repræſentationes illas ſtatusque variari recte concipit. Sunt enim *duratio* & *variatio* ſeu ſucceſſio relationes mutuæ, uti §. 123. expoſui. At Kantius & ſubſtantiam eſſe phænomenon ſeu meram repræſentationem docet, & repræſentationes minime durare, ſed in numero variabilium eſſe fateri cogitur; igitur ſubſtantia phænomenon nequit eſſe ſubſtratum perdurabile ac permanens, ex quo temporis relationes queant intelligi. Dein ſubſtantiam hoc loco ad objecta animadverſionis refert, **) & locis aliis docet: ſublatis omnibus, quæ animadverſioni atque experientiæ ſubjacent, ma-

nere conceptum ſubſtantiæ; qui proin non ab animadverſione & experientia, ſed *a priori* debeat proficiſci. ***) Ita Kantius ipſe ſibi hoc etiam loco adverſatur. Nec illud ſine reprehenſione prætermitti debet, quod *ſubſtantiam* & *ſubſiſtentiam* plane confundat inter ſe; quemadmodum etiam *naturam* & *perſonam* ſolo arbitrio, adpoſite ſcilicet ad præconceptam hypotheſin ſeu falſitatem in critice ſua adhibet; quod quidem & accuratæ notionum explicationi, & recepto uſui ac theologicis etiam rationibus maxime infeſtum eſt. Unde Petavius in Prolegomenis theologicorum dogmatum de philoſophiæ in ſublimioribus diſciplinis uſu diſſerens, c. 5. n. VIII. ita ſcribit: „An vero contra Sabellia-„nos & Arianos & hujusmodi Trinitatis hoſtes ca-„tholica propugnari doctrina potuit ſine limata & „exquiſita quarundam rerum notitia; veluti quid na-„tura ſit, quid hypoſtaſis, perſona, eſſentia, rela-„tio, ac reliqua ſimilia?"

*) Nota §. 122.

**) Ibidem.

***) Einleitung Seite 6. Wenn ihr von eurem empiriſchen Begriffe eines jeden körperlichen, oder nicht körperlichen Objects alle Eigenſchaften weglaſst, die euch die Erfahrung lehrt, ſo könnt ihr ihm doch nicht diejenige nehmen, dadurch ihr es als Subſtanz — — denkt. — Ihr müſst alſo, überführt durch die Nothwendigkeit, womit ſich dieſer Begriff euch aufdringt, geſtehen, daſs er in eurem Vermögen a priori ſeinen Sitz hat.

§. 127. Hactenus de prima parte principii kantiani actum eſt, de duratione nempe ſubſtantiæ. Reſtat pars altera de *quanto* ejusdem ſubſtantiæ,

tiæ, quod in natura rerum nec augeri, nec minui vult Kantius, generatim scilicet de substantia loquens, nullo facto discrimine inter materiam, ac spiritus; & quia idem præter quantum *continuum*, etiam *discretum* agnoscit, quod in numero situm est, sensus illius principii est hic: *Numerus substantiarum in natura rerum nunquam augetur, nec minuitur.* Unde consequens est, hominum animas non tum creari primum, cum in fœtum satis dispositum infunduntur, sed ante jam existere. Id autem nemo catholicorum admittet. Nam ut S. Leo M. docet: *Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere; nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo.* *) Accedit auctoritas concilii Lateranensis V. Sess. VIII. 19. decemb. 1513. qua *anima humana pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata & multiplicanda* dicitur. De gravissimo hoc concilii decreto ejusque vi & auctoritate alius se se offeret disserendi locus. Si de *constante qualitate materiæ* in hoc mundo loqueretur Kantius, facile assentientes haberet omnes philosophos hoc ævo; at quod eidem materiæ & existendi & perdurandi necessitatem internam attribuat, id nemo philosophorum probabit præter Spinozistas, Atheos, Idealistas transcendentales. Audiatur doctrina Kantii.

*) Epist. XV. de die 21. Jul. an. 447. ad Turribium asturicensem Episcopum de Priscillianistarum erroribus. c. 10.

§. 128. Sic ergo inquit: animadversio vel apprehensio variorum, quæ insunt in phænomenis,

nis, non uno puncto, sed sensim & progressu quodam temporis a nobis fit: nec aliter cognoscimus, utrum ea varia, quæ repræsentantur, aut simul existant, aut sibi succedant, nisi quidpiam ponatur, quod perpetuum, id est, quod manens & perdurabile sit, ut proin omnis vicissitudo aut coexistentia nihil sit aliud, quam modi, quibus perdurabile illud existit. *) Resp. Quamdiu ad successionem vel quasi concursum seu coexistentiam rerum attendo, illam sane ad aliquid perdurans & constans refero; sed ob id necesse non est, ut hoc ipsum cogitem durare perpetuo, multoque minus, ut necessitate interna durare cogitem. Siquis cæcus, sublato oculorum vitio, motum diurnum solis primo conspiciat, eumque ad mentis suæ eundem animadvertentis durationem referat, necesse non habet, ut mentem suam omni tempore extitisse, aut necessitate interna perdurare concipiat.

*) Seite 225. Unsere Apprehension des Mannigfaltigen der Erscheinung ist jederzeit successiv, und ist also immer wechselnd. Wir können also dadurch allein niemals bestimmen, ob dieses Mannigfaltige, als Gegenstand der Erscheinung, zugleich sey, oder aufeinander folge, wo an ihr nicht etwas zum Grunde liegt, was jederzeit ist, d. i. etwas Bleibendes und Beharrliches, von welchem aller Wechsel und Zugleichseyn nichts, als so viel Arten (Modi der Zeit) sind, wie das Beharrliche existirt.

§. 129. Porro sic prosequitur: Dictum illud veterum Philosophorum: *ex nihilo nihil fit*, ex principio perdurationis reipsa consequebatur, vel potius ex perpetua existentia ejus, quod tanquam proprium in phænomenis subjectum agnoscimus. Si enim

enim ex ſubſtantia relationes temporum determinantur, neceſſe eſt, ut tempus omne tum quod præteriit, tum quod futurum eſt, per eam determinetur. Nec aliter phænomeno ſubſtantiæ nomen attribuimus, quam quod eam quovis tempore præſumamus exiſtere; ſed hoc ipſum non ſatis exprimit vox *perduratio*, quæ ad futura duntaxat tempora ſignificatu ſuo refertur. Verum utcunque iſtud ſit, neceſſitas interna perdurandi a neceſſitate, qua quidpiam ſemper extitit, ſeparari nequaquam poteſt, ut proin retinere poſſimus effatum illud: *Gigni de nihilo nihil: in nihilum nil poſſe reverti.* *) Adjiciat, obſecro, Lector oculos ad verba Kantii, quæ ſubnexui. Satis quidem eorum vim & ſententiam expreſſiſſe me puto; neque enim magnam curam merebatur inanis & obſcuriſſima vocabulorum complexio, quæ, quot commata habet, tot falſo dicta, & ex falſa hypotheſi afferta, & nullo argumenti colore tincta, & abſurda complectitur. Falſiſſimum in primis eſt, dictum illud: *ex nihilo nihil fit*, ex principio durationis aut conſequi per ſe, aut a veteribus, qui illud uſurpabant, inde petitum, derivatumque fuiſſe; neque enim laborabant veteres in perdurationis, & viciſſitudinis notione enodanda; multo etiam minus αἰςθητα & νοουμενα ſua eo, quo Kantius ſignificatu accipiebant, ut, cum phænomena ſeu αἰςθητα vocitarent, meras denotarent repræſentationes, quibus nihil extra mentem reſponderet in rerum natura, niſi incognitum x, kantianum νοουμενον ſcilicet. Longe ante excogitata Idealiſmi deliria jactabatur a Philoſophis tritum illud: *ex nihilo nihil.* Si ex ſubſtantia perdurante relationes temporum definimus, quid opus eſt, ut ad unam eandemque ſubſtantiam referamus omnes?

Habemus in chronologia epochas varias a celebrioribus eventis aut viris illustribus petitas: nominamus viros variis regionibus æquales temporum: referimus vicissitudines regnorum ad tempora urbium conditarum. Falsum igitur est, per substantiam definiri debere tempus omne & quod præteriit, & quod consecuturum est. Auget absurditatem doctrinæ Kantius, quod substantiam non tantum phænomenon nuncupet, sed perpetuo existentem jubeat concipi, ut phænomenon nuncupari possit. Quis unquam phænomenon perpetuo existens nuncupavit? quæ demum necessaria est connexio inter duo hæc: *res ista natura sua durat perpetuo; ergo perpetuo atque ab æterno jam extitit;* sane immortalem natura sua humanam mentem esse firmissimis argumentis evincimus; nec tamen ob eam causam perpetuo atque ab æterno illam extitisse somniamus. Quid ab omni ratione fingi alienius potest, quam phænomeno internam necessitatem & semper existendi & semper perdurandi affingere?

*) Seite 228. Der Satz: Aus Nichts wird Nichts, war nur ein anderer Folgesatz aus dem Grundsatze der Beharrlichkeit, oder vielmehr des immerwährenden Daseyns des eigentlichen Subjects an den Erscheinungen. Denn wenn dasjenige an der Erscheinung, was man Substanz nennen will, das eigentliche Substratum aller Zeitbestimmung seyn soll, so muss sowohl alles Daseyn in der vergangen, als das der künftigen Zeit, daran einzig, und allein bestimmt werden können. Daher können wir einer Erscheinung nur darum den Namen Substanz geben, weil wir ihr Daseyn voraussetzen; welches durch das Wort Beharrlichkeit nicht einmal wohl ausgedrückt wird, indem dieses mehr auf künftige Zeit geht. Indessen ist die

die innere Nothwendigkeit, zu beharren, doch unzertrennlich mit der Nothwendigkeit, immer gewesen zu seyn, verbunden, und der Ausdruck mag also bleiben: Gigni de nihilo nihil: in nihilum nil posse reverti.

§. 130. Gravissima est res, & momenti summi, quam Kantius velut aliud agens & quasi prætereundo attingit hoc loco, perpetuam statuens existentiam substantiæ, atque adeo necessitatem & existendi, & perpetuo durandi eidem affingens; quæ quidem unius divinitatis propria sunt, quam ipsam & creandi & destruendi quidquam potestate expoliat, sic ut certissima tum naturalis tum revelatæ religionis dogmata hoc modo convellantur. Quam vafre autem & malitiose rem aggreditur! Cum inani ac sophistica verbositate intulisset primo, salvum manere illud veterum dictum: *Gigni de nihilo nihil: in nihilum nil posse reverti*, reprehendere incipit philosophos recentiores, quod alterum ab altero separassent, illudque concederent duntaxat, siquid existeret, id duraturum quidem perpetuo, neque in nihilum unquam abiturum: ex nihilo fieri quidquam, id est, creari a Deo posse, contenderent: totum id ex errore provenire, quo *de rebus ipsis* talia asseri crederent homines, cum de *solis phænomenis* agatur: opinari homines, dictum illud: *de nihilo nihil*, pugnare cum dependentia mundi (etiam quoad substantiam) a causa suprema; supervacuam esse hanc solicitudinem; cum de solis phænomenis sermo sit, qua late scilicet experientia patet, cujus unitas tolleretur omnino, si res novas quoad substantiam in mundo exoriri ponamus. Hoc enim posito tolleretur unitas temporis, quia tolleretur identitas substrati (substantiæ) per

 quod

quod omnes viciſſitudines perpetuam unitatem obtinent: ceterum hæc duratio reipſa non eſt, niſi modus, quo exiſtentiam rerum (per phænomena ſcilicet) nobis repræſentamus. *) Equidem horum omnium explicatum, exitumve non invenio, niſi in tenebricoſa atque impia hypotheſi Spinozæ, qui unicam admiſit mundi ſubſtantiam (quam voce Dei deſignat) infinitis attributis præditam, in quibus ſunt cogitatio & extenſio infinita: res autem finitas oriri ac conſiſtere docuit in modificatione neceſſaria eorum attributorum, ceu animas in modificatione infinita extenſionis. Suſpicor, Kantium ignoto ſuo ſeu occultato x deſignare hanc ſubſtantiam, phænomenis vero ſuis modificationes illas Spinoziſticas.

*) Seite 229. Die zwey Sätze (gigni de nihilo nihil &c.) wurden von den Alten unzertrennt verknüpft, die man aus Miſsverſtand itzt bisweilen trennt; weil man ſich vorſtellt, daſs ſie Dinge an ſich ſelbſt angehen, und der erſtere der Abhängigkeit der Welt von einer oberſten Urſache (auch ſogar ihrer Subſtanz nach) entgegen ſeyn durfte; welche Beſorgniſs unnöthig iſt; indem hier nur von Erſcheinungen im Felde der Erfahrung die Rede iſt, deren Einheit niemals möglich ſeyn würde, wenn wir neue Dinge der Subſtanz nach würden entſtehen laſſen. Denn alsdenn fiele dasjenige weg, welches die Einheit der Zeit allein vorſtellen kann, nämlich die Identität des Subſtratum, als woran aller Wechſel durchgängige Einheit hat. Dieſe Beharrlichkeit iſt indeſs doch weiter nichts, als die Art, uns das Daſeyn der Dinge (in der Erſcheinung) vorzuſtellen.

§. 131. Supervacuam ſolicitudinem hominum eruditorum vocat Kantius, ſi vereantur detrahere

re

re de Divinitate perfectionem creationis rerum veræ propriæque, & sufficientissimam atque ultimam omnium, quæ extra Deum sunt, rationem: nec audeant materiam facere æternam, & necessario existentem. Supervacua scilicet solicitudo est, si curant, ne aperte impii sint. At, inquit, de solis phænomenis agitur, non ipsis de rebus sermo est; respondeo: phænomenis ac repræsentationibus quidpiam re ipsa respondere, quod extra repræsentationes sit (etsi quale id sit, ignoremus) docet Kantius, ut de Idealismo se purget; si ergo in phænomenis inesse vult substantiam unicam, eamque æternam & existentem necessario; hoc idem profecto, ne in Idealismum recidat, illi incognito x, quod phænomenis respondet, attribuere cogetur. Si autem totum id, quod de una, atque æterna & necessaria substantia tradit, in repræsentationibus & conceptibus hærere vult, habeat sibi Kantius phænomena sua & mera somnia, plena falsitatis & impietatis. At enim, si novæ ponantur oriri substantiæ, tollitur unitas experientiæ, inquit Kantius. Respondeo: tollitur unitas illa, quam hypothesis kantiana confinxit: non tollitur autem ea unitas, quæ veritati rerum consentanea est, uti si sensim & per intervalla ad inchoatam ædificationem adjungantur alii atque alii lapides, donec ad fastigium perveniatur ab opifice præfixum; ob hanc causam nec unitas operis, nec unitas operationis tollitur. In chronologia quidem assumi solet periodus Juliana, quæ creationem rerum secundum Petavium præcurrit annis 730, secundum Usserium annis 710; indeque rerum Universi series eidem ita alligari potest, ut unitas simultaneorum & successivorum penitissime intelligatur. Protendat per me

Kantius tempus ſuum imaginarium utraque ex parte, quantumcunque velit; at non fingat reipſa exiſtere ea, de quibus ſolam exiſtendi poſſibilitatem ex conceptu temporis imaginarii in mente habet.

§. 132. *Principium Analogiæ II* his verbis profertur a Kantio: *Omnes mutationes ſecundum legem connexionis contingunt.* *) Idealiſmo tranſcendentali inhærens Kantius non parum laborat in explicando cauſarum, & effectuum nexu, quem principio ſuo deſignat. Neque enim una repræſentatio producit alteram (niſi vi imaginationis, qua antea crebra perceptione, aut meditatione ſtudioque aſſociatæ fuerint repræſentationes plures) verum in hypotheſi idealiſmi omnes perceptiones noſtræ, cogitationesque non attingunt res ipſas, ſed in repræſentationibus conſiſtunt, hærentque penitus, quale igitur *objectum* reſpiciant iſtiusmodi repræſentationes, aut quid *objecti* nomine denotetur, altioris indaginis eſſe fatetur ipſe Kantius. **) Cum ſolis enim phænomenis (meris repræſentationibus) negotium nobis eſt; quales ſint res ipſæ in ſe, nulla habita ratione affectionis ſenſuum noſtrorum, id incognitum eſt penitus. ***) Quærit itaque, quæ connexio inſit in phænominis, quæ nihil ſint, niſi repræſentationes variorum? aitque, easdem repræſentationes hoc *repræſentationum* nomen retinere *relate ad mentem*, quæ illarum fit conſcia non ſimul, ſed progreſſu quodam temporis: *relate vero ad id, quod earum complexio exhibet*, *phænomena* appellari & objectum habere, quatenus certo ordine, & ſecundum neceſſariam regulam, earum repræſentationum mens fieri conſcia, ſive illas apprehen-

hendere debet,****) quod quidem in hunc modum declarat: ſiquis domum ſibi repræſentet, partiumque domus paulatim conſcius fiat, nullo certo ordine has præ aliis partibus contemplari poteſt. At ſi videam navem ſecundo flumine propelli; tum ſane ordinem quemdam animadverto, neque *prius* navem parte inferiore fluminis, *poſtea* parte ſuperiore repræſentare poſſum. Sic in repræſentatione cauſæ & effectus tempore priore cauſam cogito: poſteriore id, quod ſecundum certam regulam conſequitur, nempe effectum. Inter has igitur repræſentationes neceſſarius eſt ordo, ſeu regula quædam. *****)

*) Seite 232. Zweyte Analogie. Grundſatz der Zeitfolge nach dem Geſetze der Cauſalität. Alle Veränderungen geſchehen nach dem Geſetze der Verknüpfung der Urſache, und Wirkung.

**) Seite 234. Was dieſes Wort (Object) bey den Erſcheinungen zu bedeuten habe — — in ſo fern ſie ein Object bezeichnen, iſt von tieferer Unterſuchung.

***) Seite 235. Wir haben es doch nur mit unſeren Vorſtellungen zu thun; wie Dinge an ſich ſelbſt (ohne Rückſicht auf Vorſtellungen, dadurch ſie uns afficiren) ſeyn mögen, iſt gänzlich auſser unſerer Erkenntniſsſphäre.

****) Seite 236. Was verſtehe ich alſo unter der Frage: Wie das Mannigfaltige in der Erſcheinung ſelbſt (die doch nichts an ſich ſelbſt iſt) verbunden ſeyn möge? hier wird das, was in der ſucceſſiven Apprehenſion liegt, als *Vorſtellung*, die Erſcheinung aber, die mir gegeben iſt, ohnerachtet ſie nichts weiter, als ein Inbegriff dieſer Vorſtellungen iſt, als der *Gegenſtand* derſelben betrachtet. — — Dasjenige an der Erſcheinung, was

was die Bedingung dieser nothwendigen Regel der Apprehension enthält, ist das *Object.*

*****) Seite 237. Ich sehe z. B. ein Schiff den Strom hinab treiben. Meine Wahrnehmung seiner Stelle unterhalb, folgt auf die Wahrnehmung der Stelle desselben oberhalb dem Laufe des Flusses; und es ist unmöglich, dass in der Apprehension dieser Erscheinung das Schiff zu erst unterhalb, nachher aber oberhalb des Stromes wahrgenommen werden sollte. Die Ordnung in der Folge der Wahrnehmungen der Apprehension ist hier also bestimmt, und an dieselbe ist die letztere gebunden. In dem vorigen Beyspiele von einem Hause könnten meine Wahrnehmungen in der Apprehension von der Spitze desselben anfangen, und beym Boden endigen: aber auch von unten anfangen, und oben endigen, imgleichen rechts oder links das Mannigfaltige der empirischen Anschauung apprehendiren.

§. 133. **Perspicuitas rei, & veritatis vis cogit Kantium, ut ipse sibi refragetur, & fanatico Idealismo repugnet. Nam 1.** cur navem secundo flumine propulsam nequeo mihi repræsentare prius loco inferiore fluminis: postea superiore? Quia nempe id specto, quid re ipsa, independenter a mea repræsentatione contingat, & sensibus ac menti meæ obversetur. Id nisi velim expendere, sed cursum navis, quatenus in sola repræsentatione inest, considerare, æque liberum mihi est, eundem a loco, quo navis appulsa est, ad stationem, unde discessit, animo reflectere, quam ab hac ad appulsum cogitando persequi; uti annos ætatis a die præsente veluti regrediendo ad ætatem virilem, & juventutem, adolescentiam, pueritiam & infantiam recogitare æque liberum mihi est, ac si ab hac ad senectutem velim progredi. At si exprimere aggrediar, quid

quid contingat re ipsa, haud potero ætatem senilem præponere virili, neque hanc juventuti, adolescentiæ, pueritiæ, & infantiæ. Sane eadem via est, Athenas Thebis, & Thebas Athenis, si in sola repræsentatione sistitur; & æque expeditum est, descensum planetarum ab aphelio ad perihelium, quam ascensum a perihelio ad aphelium mente concipere. Si autem *ordo factorum* naturæ aut artis expenditur, nec ipsam ædificationem domus (quo exemplo Kantius utitur) a fastigio retro ad fundamentum repræsentare mihi potero, sed recto ordine a fundamentis paulatim ad fastigium pervenire cogitatione debeo, uti opifices laborando eodem perveniunt. 2. Hypothesi kantianæ repugnat pariter, quod de repræsentatione & animadversione navis diversis & locis & temporibus vere adnotat: animadversio mea, qua navem contueor loco inferiore, subsequitur ad animadversionem ejusdem in loco superiore: illa posterior est tempore, hæc prior. Locus igitur rerum mobilium, & tempora non formæ sensuum sunt, sed sub animadversionem, atque observationem sensuum cadunt, perinde uti si planetam nunc directum observem, dein stationarium, & retrogradum omnino. Atque istuc quidem formalitates kantianas evidentissime tollit omnino, atque evertit; quod idem perspicuum fit cuivis, oculos suos in indicem horologii conjicienti. Aut igitur in repræsentatione mutationis rerum nulla omnino inest connexio, quam principio suo constituit Kantius, aut ea ex veritate rerum petenda, atque asserenda est. Sed audiatur argumentum Kantii, quo principium suum confirmat.

§. 134.

§. 134. Animadvertimus inquit, mutationes rerum, ſtatus nempe diverſos in re omni, quæ mutatur. Hos ſtatus connectimus vi imaginationis: connexio hæc fieri poteſt dupliciter, ponendo ſcilicet ſtatum A ante ſtatum B, vel ſtatum B ponendo ante ſtatum A. Si imaginatio unum ſtatum repræſentat priorem, alterum poſteriorem, non ſequitur, in ipſo objecto, & re vera hunc ſtatum præcedere, alterum ſequi. Ut ergo *objectiva relatio* ſtatuum determinetur, neceſſe eſt, eos ſic repræſentari, ut unus *neceſſario* præcedere debeat, alter *neceſſario* ſequi: hic ordo autem inverti non poſſit. Porro (ait Kantius proſequendo argumentum) conceptus *neceſſitatis* eſt conceptus ab intellectu formatus a priori: atque hic ipſe conceptus neceſſitatis continetur in *ratione cauſæ & effectus*; ſic ut conceptus cauſæ *quoad tempus* determinet conceptum effectus tanquam conſecutionem, adeoque tempore poſteriorem. Per hoc ergo determinatur relatio objectiva ſtatuum, quod ii ſubjiciantur legi cauſalitatis; & quia *experientia* in judicio objectivo ſita eſt, quod non fit, niſi phænomena ſeu repræſentationes mutationum ſubjiciendo neceſſitati, ac legi neceſſitatis, idcirco per ipſum conceptum neceſſitatis ab intellectu formatum *poſſibilis fit experientia*.

§. 135. In tota hac deductione vix quidquam eſt, quod non reprehendi parte quadam, & corrigi, aut penitus rejici debeat. 1. Mutatio fit, eaque omnium maxima, ſiqua ſubſtantia, quæ non erat, omnipotenti virtute creatoris *eſſe* ſeu exiſtere incipit. Neceſſe ergo non eſt, ut in *omni mutatione*, ſtatus prior & poſterior ſenſibus ſubjaceat: modo con-

concipere intellectu possim rem, quam antea sola possibilitatis & essentiæ notione mihi repræsentavi, in qua ratio existendi non inerat, nunc ipsa vi causæ productivæ existere; tunc sane in eodem subjecto statuum mutatio intelligitur, quin statum priorem, quo eadem nihil erat actu, sensibus animadverterim. 2. Si imaginatio unum statum repræsentat priorem, alterum posteriorem, non sequitur (inquit Kantius) in objecto & revera hunc statum præcedere, alterum sequi. Id quidem, si sermo est de connexione statuum, quæ imaginatione fit, apertissime falsum est, imaginatio enim reproducit sensationes præteritas; si ergo nunc e. g. lapidem soli expositum sentiam esse calidum, quem vi imaginationis antea frigidum me sensisse memini; tunc certissime novi, non sola imaginatione, sed in ipso objecto & revera statum frigoris præcessisse, & statum caloris successisse. 3. Assertum kantianum de conceptu *necessitatis* a priori exorto, satis & abunde confutavi §. 98. Miror, quod Kantius non æque conceptum *ordinis* & conceptum *regulæ*, de quibus differit hoc loco, provenire a priori doceat. Si conceptus & voces omnes a priori proveniunt, quotiescunque visus, auditus, gustus, odoratus & tactus non percellitur, sed solus intellectus vim comparandi repræsentationes, earumque nexum & relationem animadvertendi exerit, nimis profecto angusta est Tabula kantiana de formis cogitandi. 4. *In relatione causæ & effectus* universe non inest conceptus necessitatis; sunt enim judicio omnium etiam causæ agentes libere, nulla insuperabili necessitate impulsæ.

§. 136.

§. 136. Supereſt alia animadverſio momenti non levis. 5. Ut principium cauſalitatis ad ſolas res ſenſibiles reſtringeret Kantius, id egit æque aſtute ac falſo, ut appendiculam temporis, quam ſenſuum propriam eſſe vult, relationi cauſæ & effectus annecteret. Sed relatio cauſæ & effectus prioritatem quidem *naturæ*, at non *temporis* complectitur neceſſario; eodem temporis puncto, quo effectus ponitur, cauſam agentem cogitamus caſibus innumeris. Quod dudum ab Ariſtotele fuit animadverſum l. 2. Poſterior. C. VII, ubi alias cauſas ſimul eſſe cum effectibus docet, ita, ut ex cauſa (ſi naturalis ſit) recte inferatur effectus; quod declarat exemplo eclipſeos lunaris, quæ ex interpoſitu terræ inter ſolem & lunam oritur; quo caſu ſic concludimus: *Terra incipit interponi: ergo eclipſis incipit eſſe. Terra jam eſt interpoſita; ergo eclipſis jam eſt. Terra deſinit interponi; ergo eclipſis deſinit.* Aliæ autem cauſæ ſimul effectibus non ſunt; ac tum connexio mutua non eſt: E. g. impoſſibile eſt, ut naſcatur frumentum, niſi prius fuerit ſeminatum; natum eſt frumentum; ergo prius fuit ſeminatum. Recte id quidem; at non valet: *Eſt impoſſibile, ut naſcatur frumentum, niſi prius fuerit ſeminatum, ſeminatum eſt frumentum; ergo frumentum eſt natum.* Falſiſſimum igitur eſt Kantii aſſertum generale, per conceptum cauſæ *quoad tempus* determinari conceptum effectus. *) 6. Illud vero omnino futile eſt, & ex præconceptæ hypotheſeos ſtudio profuſum, experientiam ipſam fieri poſſibilem per hoc, quod phænomena legi cauſalitatis ſubjiciantur. Experientia enim ad cognitionem *hiſtoricam* naturæ pertinet: aſſignatio cauſæ ad *philoſophicam*: neque ſi cauſa eventuum naturæ

turæ nos latet: continuo ipsi etiam eventus incogniti sunt. Sed siquis omnes deductiones & commentationes Kantii superiori similes, & incidentes in iis assertiones obscuras, ancipites aut plane inanes singilatim disquirere & examinare institueret; sola Critice kantiana scriptionem pareret quadruplo se majorem, quantumvis vasta sit ipsa & magnopere diffusa, eandemque cramben locis plurimis recoquat.

*) Agnovit ipse id Kantius, sensitque difficultatem; at minime sustulit. Sic enim inquit in sua Critice Seite 247. Hier äusert sich noch eine Bedenklichkeit. — — Der Satz der Causalverknüpfung unter den Erscheinungen ist in unsrer Formel auf die Reihenfolgen derselben eingeschränkt, da es sich doch bey dem Gebrauch desselben findet, dass er auch auf ihre Begleitung passe, und Ursache und Wirkung zugleich seyn könne. Es ist z. B. Wärme im Zimmer, die nicht in freyer Luft angetroffen wird. Ich sehe mich nach der Ursache um, und finde einen geheizten Ofen. Nun ist dieser, als Ursache, mit seiner Wirkung der Stubenwärme, zugleich. Also ist hier keine Reihenfolge der Zeit nach, zwischen Ursache und Wirkung, und das Gesetz gilt doch. Der grösste Theil der wirkenden Ursache in der Natur ist mit ihren Wirkungen zugleich, und die Zeitfolge der letztern wird nur dadurch veranlasst, dass die Ursache ihre Wirkung nicht in einem Augenblicke verrichten kann. Aber in dem Augenblicke, da sie zuerst entsteht, ist sie mit der Causalität ihrer Ursache jederzeit zugleich; weil, wenn jene einen Augenblick vorher aufgehört hätte zu seyn, diese gar nicht entstanden wäre. Hactenus Kantius pro vero agnoscit id ipsum, quod supra n. 5. animadverti, causam effectricem natura quidem & efficiendi vi, non autem tempore priorem effectu esse casibus plurimis. Audia-

tur nunc ejus responsum : Hier muss man wohl bemerken, dass es auf die Ordnung der Zeit, und den Ablauf derselben angesehen sey. Das Verhältniss bleibt, wenn gleich keine Zeit verlaufen ist. Die Zeit zwischen der Causalität der Ursache, und deren unmittelbaren Wirkung kann verschwindend (sie also zugleich) seyn; aber das Verhältniss der einen zur andern bleibt doch immer, der Zeit nach, bestimmbar.

§. 137. Quis non animadvertit, verba dare Kantium iis scilicet lectoribus, qui verba distinguere a conceptibus mentis, reique veritate non didicere. Non fluxus temporis, inquit, sed ordo spectari debet. At quis est ordo hic temporis? duplex, *simul esse*, & alterum *ante*, *vel post alterum esse*. *) Si ergo causa comparate ad ordinem temporis, non *ante effectum*, & effectus comparate ad ordinem temporis, non *post causam* reipsa est; sequitur, ut simul, sive eodem tempore sint eo ipso, quod tempus, quo prior concipitur causa, evanescat. Manet tamen relatio inter causam & effectum; at manet sola efficiendi vi & natura, non manet quoad successionem temporis. Est sine dubio successio repræsentationum & cogitationum in mente; at si tempore præcedit repræsentatio causæ, & repræsentatio effectus tempore sequitur, non sequitur, ut ista successio ad res ipsas transferatur; quia etiam in iis, quæ una existunt, animadversio plurium, quæ *simul* insunt, successiva est. Error maximus Kantii est in eo, quod prioritatem causalitatis, & fortassis universe prioritatem principii transferat ad prioritatem temporis, aut cum ea commisceat; quod quidem apertissime falsum est. Profecto essentia, principium & ratio sufficiens attribu-

tributorum ac proprietatum eſt : natura principium operationum ; quin ulla ſucceſſio aut differentia temporis inter has & illas concipi neceſſario poſſit, debeatve ; ſecus etiam de æterno & unigenito Dei filio blasphemare cum Anomæis & Arianis cogeremur : *erat, quando non erat.* Ita fit, ut error errorem gignat. Kantius conſilium cepit, veritatibus graviſſimis de creatione rerum mundanarum, de perfectionibus divinis, & humana mente, quas theoretica ratio homini proponit, adimere veritatem objectivam : hinc notionibus & principiis metaphyſicis, quibus illæ nituntur, affinxit appendiculam temporis, qua metaphyſices principia ad ſolas reſtringerentur res ſenſibiles ; tempus enim ſenſuum & rerum ſenſibilium neceſſariam, propriamque formam eſſe, ex præconcepta hypotheſi ſumit ; unde efficere conatur, nihil realis & objectivæ veritatis ineſſe in notionibus & principiis iis, quæ temporis appendiculam non haberent. **) Ceterum ſi in cauſis efficientibus non eſt diverſitas neceſſaria temporis, multo id minus de aliis cauſarum generibus, ceu de cauſa materiali, formali, ac finali, affirmari poteſt.

*) Simultaneität und Succeſſion ſind die einzigen Verhältniſſe in der Zeit.

**) Seite 242. Wie kommen wir nun dazu, daſs wir unſeren Vorſtellungen ein Object ſetzen, oder über ihre ſubjective Realität, als Modificationen ihnen noch, ich weis nicht, was für eine objective beylegen ? — — Wenn wir unterſuchen, was denn die Beziehung auf einen Gegenſtand unſeren Vorſtellungen für eine neue Beſchaffenheit gebe, und welches die Dignität ſey, die ſie dadurch erhalten, ſo finden wir, daſs ſie

nichts weiters thue, als die Verbindung der Vorstellungen auf eine gewisse Art nothwendig zu machen, und sie einer Regel zu unterwerfen; dass umgekehrt nur dadurch, dass eine gewisse Ordnung in dem Zeitverhältnisse unserer Vorstellungen nothwendig ist, ihnen objective Bedeutung ertheilet wird.

§. 138. *Analogia III.* Exhibet principium coexistentiæ secundum legem actionis mutuæ, seu communionis, & continetur hac sententia; *Omnes substantiæ, quatenus in spatio simul seu una existentes animadverti possunt, universe in se agunt mutuo.* *) Duplici ratione discutiam hoc principium; *primo* secundum hypothesin idealismi kantiani; *secundo* comparate ad veritatem rerum, anne & quatenus sustineri possit. Secundum hypothesin idealismi phænomena in meris sita sunt repræsentationibus: in his autem semper insunt plura & varia, quæ relate ad tempus aut coexistunt, aut sibi succedunt, etsi apprehensio plurium & variorum utroque casu successiva sit. Tunc autem, ajebat, analogiam secundam explicans, ea plura & varia una existere aut coexistere censenda sunt, si salva repræsentatione totius, attentionem ad plura & varia, quo lubet, ordine possim convertere e.g. contemplando prius fastigium ac tectum domus, dein fundamentum, aut in partium repræsentatione dextrorsum aut sinistrorsum vertendo attentionem. **) Ita sane; 1. quo libet, ordine contemplationem mundi, ejusque substantiarum una existentium & auspicari & prosequi possum, a substantiis telluris ascendendo ad corpora cælestia: progrediendo ab occasu in ortum, a septentrione ad meridiem vel contra: a regno animali ad ve-

ge-

getabile, ad minerale & viciſſim; quin opus ſit, ut haſce ſubſtantias in ſe agere mutuo cogitem. 2. Si ſubſtantia, docente Kantio, non eſt, niſi phænomenon, & phænomenon, eodem pariter interpretante non eſt, niſi mera repræſentatio; quæ actio mutua inter repræſentationem faſtigii domus, & repræſentationem fundamenti domus confingi poteſt? 3. Diſſerit de ſubſtantiis hoc loco, quatenus eædem animadverti poſſunt in ſpatio, & accedente categoria communionis, experientiæ ſubjacent; atqui ante docuerat Kantius, conceptum ſubſtantiæ manere, etſi detrahantur empirica omnia; quomodo igitur experientiæ ſubjacet; cur ejus conceptus efformari ſeu abſtrahi ex uſu & repræſentationibus ſenſus interni vel externi non poteſt? quemadmodum certo poteſt, uti nihil dubito; cum formæ a priori inane figmentum ſint, a recta philoſophandi ratione remotum penitus & abhorrens. 4. Secundum priorem analogiam actio & cauſalitas determinat ordinem temporis quoad ſucceſſionem: ſecundum tertiam analogiam actio & cauſalitas mutua determinare deberent ordinem temporis quoad ſimultaneitatem; quæ quidem mirifice inter ſe pugnare expendenti patebit; neque enim ſi actio & cauſalitas *mutua* dicitur, ob id actio & cauſalitas tollitur. Imo ſi leges motuum ſpectemus, actio non eſt ſine reactione, ſeu actione reciproca & mutua.

*) Seite 256. Dritte Analogie. Grundſatz des Zugleichſeyns, nach dem Geſetze der Wechſelwirkung, oder Gemeinſchaft: Alle Subſtanzen, ſo ferne ſie im Raume zugleich wahrgenommen werden können, ſind in durchgängiger Wechſelwirkung.

*) Sieh die lezte Note §. 132.

§. 139. Hactenus principium Analogiæ tertiæ retuli ad hypothesin & doctrinam Kantii, quacum minime consentit, sed non uno pugnat ex capite. Abjiciamus nunc idealismi umbras vanas, falsasque, quibus nec ipsi Idealistæ ex animi sententia adhærere possunt, & sectemur veritatem rerum, quam sensus ingerunt, intellectus autem & ratio non possunt non approbare & amplecti. Substantiæ notionem facile acquirimus tum intuitu reflexo ad nos ipsos, & status internos intellectus & voluntatis nostræ, tum animadversione seu attentione ad ea, quæ extrinsecus efficiuntur in organis nostri corporis. Fit autem solo abusu nominum abstractorum, & ob loquendi formulas, quas inventores modorum, qualitatum, formarum & entitatum superadditarum nobis reliquerunt, ut non ipsas substantias, sed earum qualitates & affectiones sentire nos & animadvertere arbitremur, quasi non mentis ipsius, sed solius repræsentationis, aut certe affectionis e.g. voluptatis, doloris, ægritudinis essemus conscii, nec rem mobilem, sed motum, non substantiam ferri duram, sed solam duritiem, nec globum rotundum, sed solam rotunditatem perciperemus sensu, & adhibita attentione animadverteremus. Quasi motus sine re, quæ movetur, aut durities vel acies ferri sine ferro, rotunditas sine subjecto, in quo inest, aut jucunditas vel ægritudo mentis sine mente, aut repræsentatio sine substantia, quæ sibi quidquam repræsentat, esse, aut, quasi esset, intelligi a nobis possit. (Conferantur omnino dicta §. 69.) His quidem prænotatis, si rei veritatem sectemur, dicendum: substantias mundi non actione in se mutua, sed actione, quam in nos exerunt, & sensus no-

noſtros, animadverti a nobis, & cognoſci poſſe. Neque enim earum repræſentatio, & reſpondens actio mentis grata vel moleſta ex ipſa mentis natura provenit; quia eæ repræſentationes, affectionesque mentis variabiles ſunt: natura eadem, conſtans & immutabilis; ergo extrinſecus petendam eſſe earum rationem, cauſamque, vi rationis facile quivis colliget; cum repræſentationes illæ nequeant ſe ipſas efficere, aut cæco caſu oboriri; & quod contingens eſt, ſine cauſa eſſe non poſſit. Quid prodeſt cæco, ſi ſol in lunam, luna in ſolem agat; ipſe autem recipere actionem luminarium haud poſſit?

§. 140. Ex novis Kantii principiis, quæ nemo, qui Kantianus non ſit, principiorum nomine dignabitur, reliqua ſunt tria *Poſtulata experientiæ ſeu cognitionis empiricæ* de poſſibilitate, exiſtentia, & neceſſitate rerum. *) Poſtulatum a Mathematicis & Philoſophis dicitur propoſitio practica indemonſtrabilis, qua nempe fieri quid poſſe aut debere ex ſolis notionibus intelligitur, & conceditur ab omnibus, quale eſt illud: *a quovis puncto ad quodvis aliud duci poteſt linea recta.* Sed Kantius tunc poſtulata ſua profert, ſiquid neceſſarium eſſe ipſe putat, ut concedatur tanquam verum; refert ergo poſtulata etiam ad theoretica, & neceſſitatem ſumit hypotheticam, ex hypotheſi nempe præconcepta doctrinæ profluentem. Non ergo ægre ferre debebit, ſi poſtulatorum repulſam ferat ab iis, qui obſcuritate novitateque vocabulorum implicare ſe haud patiuntur. Ac poſtulatum primum eſt hujusmodi: *Poſſibile eſt, quod cum condi-*

conditionibus formalibus experientiæ (*secundum intuitum & conceptus*) *consentit.***) Ad experientiam (generatim etiam sensus intimi) requirit intuitum cum formis sensuum, & conceptum a priori, quo objectum empiricum formæ cuipiam intellectus seu categoriæ subjicitur. Qui ergo postulato annuit, formas sensuum, & formas cogitandi a priori una cum nova experientiæ notione admittere cogitur. Sed talia quis admittet? Peccat etiam Kantius intolerabili sophismate, ut postulatum suum, quod propositione universali affirmativa continetur, in propositionem conversam pariter universalem tacite inflectat hoc modo: *omne id, quod experientiæ subjacet, est possibile*: ergo *omne possibile pariter experientiæ subjacet*; & consequenter, *quod experientiæ non subjacet, id nec possibile est*. Quo quidem modo ultra id omne, quod actu existit, possibile nihil est; quod Spinozismum olet, & falsissimum est ex ipsa Kantii doctrina, si constare sibi velit; ait enim, notiones communes objectis infinitis posse applicari; non affirmabit, res infinitas in omni genere, quod exhibent notiones communes, actu existere & experientiæ subjacere. Est tamen ex hoc sophismate ea deducta Kantii assertio, qua iis tantum rebus, quæ experientiæ subjacent, possibilitatem *realem & objectivam* attribuit; alia vero *logice tantum & subjective possibilia* vocat, si eorum conceptus contradictionem non continent. Hæc distinctio inter logicam & realem possibilitatem, cum passim jactitetur a kantianis, commodaque iisdem sit ad gravissimas eludendas demonstrationes, leviter prætermitti non debet, sed discutienda est diligenter.

*)

*) Seite 265. Die Postulate des empirischen Denkens überhaupt.

**) Ebendas. Was mit den formalen Bedingungen der Erfahrung (der Anschauung, und den Begriffen nach) übereinkömmt, ist möglich.

§. 141. Sic igitur docet: ut quævis notio nullam in se contineat contradictionem, est ea quidem conditio *logica* necessaria; verum ad objectivam notionis realitatem, id est, ad possibilitatem istiusmodi objecti per notionem repræsentati istud haudquaquam sufficit. *) Notio enim complexa pro inani, atque objecti experte habenda est, nisi ab experientia sit deducta, aut ad experientiam, tanquam ejusdem forma, referri possit; cujusmodi sunt formæ sensuum, tempus & spatium, item categoriæ seu cogitandi formæ, per quas ita connectuntur animadversiones, ut experientia inde existat. **) At ego notiones complexas, si re ipsa nullam notarum inter se pugnam seu contradictionem contineant, realem & objectivam veritatem habere contendo. Quæ est enim *realis & objectiva possibilitas*, nisi quæ realitatibus adeoque objectis inter se non pugnantibus competit? & quæ est, aut nuncupatur *realitas*? Kantius realitatem vocat *aliquid*, & negationem *nihilum*, quod non aliter repræsentari posse ait, nisi tollendo repræsentationem positivam. ***) *Realitas* est igitur id omne, quod positive, directe, in se repræsentari potest: *negatio*, quæ indirecte, id est, tollendo realitatem cogitatur. Consentit re ipsa cum Kantio Metaphysicorum definitio, quibus realitas idem est, ac cognoscibile in se & directe: negatio autem cognosci-

bile indirecte & per sublatam in animo realitatem. Expressio utraque, realitas & cognoscibilitas vim habet eandem; sed altera refertur ad statum realem, altera ad intentionalem, ut ajunt, seu intelligibilem. Nam *Realitas* & *aliquid* latissime patent, & idea simplici continentur, hac una scilicet, *posse cogitari aut repræsentari.* (Sumo ideam recepto usu, uti præmonui §. 32.) Porro quæ idea simplici continentur, ea *indicari* possunt, seu denotari per cognitam aliquam passionem vel actionem mentis, *definiri* non possunt; quia definitio fit enumeratione notarum plurium; plures autem notas non continet idea simplex. Quid ergo est *logice possibile*, nisi conjungere realitates inter se non pugnantes, & conjunctio realitatum inter se non pugnantium, quid est, nisi possibilitas *realis & objectiva*; cum præsertim Kantius realitatem sub objecto tanquam genere latiori comprehendat, ut recte dici queat: *est reale, ergo objectivum.* ****) Hæc qui expenderit, perspicue intelliget, differentiam logicæ & realis possibilitatis, recte expositam, non esse, nisi inane vocabulorum ludibrium.

*) Seite 267. Dafs in einem Begriffe kein Widerspruch enthalten seyn müsse, ist zwar eine nothwendige logische Bedingung, aber zur objectiven Realität des Begriffs, d. i. der Möglichkeit eines Gegenstandes, als durch Begriffe gedacht, bey weitem nicht genug.

**) Ebend. Ein Begriff, der eine Synthesis in sich fasst, ist für leer zu halten, und bezieht sich auf keinen Gegenstand, wenn diese Synthesis nicht zur Erfahrung gehört. Seite 171. Erfahrung ist Erkenntniss durch verknüpfte Wahrnehmung.

**)

***) Seite 347. Realität ist etwas, Negation ist nichts, nämlich ein Begriff von dem Mangel eines Gegenstandes. Sieh die Note §. 95.

****) Der höchste Begriff, von dem man eine transcendental Philosophie anzufangen pflegt, ist gemeiniglich die Eintheilung in das Mögliche und Unmögliche. Da aber eine Eintheilung einen eingetheilten Begriff voraussetzt, so muss noch ein höcherer angegeben werden; und dieser ist der Begriff von einem Gegenstande überhaupt (problematisch angenommen, und unausgemacht, ob es Etwas oder Nichts sey.)

§. 142. Satis ostendi, id, quod logice possibile est, seu quod notas revera non pugnantes habet, pariter realitates habere non pugnantes; proindeque possibilitatem realem & objectivam. Aut dicant tandem Kantiani, quam denotent possibilitatem mere logicam, quæ realis non sit? ea, inquiunt, quam experientia exhibere nulla potest? quæ est hæc responsio, nisi petitio principii? num experientia, quæ plane extranea est, & adventitia, naturam rebus & possibilitatem internam aut confert, aut immutat? Non ea quæstio est hujus loci, utrumne logice possibilis sit data notio, undeve constet, aut qua via demonstretur, eandem a contradictione liberam esse revera, & immunem, sed dato aut præsumto, esse talem, utrum realem etiam & objectivam possibilitatem habere censenda sit? Negant id Kantiani ex hypothesi, ut suspicor, Spinozistica, nihil possibile esse ultra id, quod jam existit reipsa.

§. 143.

§. 143. In realitatibus *intellectu* propositis, inquit Kantius in eandem sententiam, *contrarietas* nulla deprehendi potest, idest, nulla inest earundem ratio talis, ut conjunctæ in eodem subjecto altera alterius vim & realitatem excludat. At si *phænomena* spectemus, & quid fiat reipsa animadvertamus, tum certe realitas phænomenon alteri realitati phænomeno ita contraria esse potest, ut si utraque jungatur in subjecto eodem, altera alterius effectum omnem, aut certe ex parte tollat, ut si vires motrices in eadem directione sint oppositæ, quod motuum obstacula & reactiones omnes palam faciunt, aut si voluptas & dolor concurrant in mente eadem, ac pares sint. *) Unde aliter de logica possibilitate, aliter de reali existimandum esse concludit. Animadvertat, quæso, Lector, quomodo ab iis, quæ *contradictoria* dicuntur, ad ea, quæ vocamus *contraria*, tacito sophismate deflectat Kantius. In priore genere, uno membro contradictionis posito, alterum tollitur, uno sublato, ponitur alterum necessario, neque res ulla media *inter esse & non esse* habet locum. At in contrariis uno posito alterum excluditur quidem, eo quod prius negationem posterioris contineat e. g. album est; ergo non nigrum: at non etiam uno sublato alterum continuo contrarium poni potest, hoc e. g. modo: non est album: ergo nigrum; fieri enim potest, ut neutrum sit. His præmissis scitari in primis iubet ex Kantio, utrum, si phænomena spectet ipse, & quid fiat reipsa, animadvertat, in natura rerum deprehendere possit quidpiam, quod logice possibile sit: realiter tamen & objective non possibile? Si neget; ad rem non est totum id, quod protulit hoc loco.

loco. Realitates, inquit, *intellectu propositæ*, & *realitates, qua positivæ*, inter se contrariæ non sunt. Resp. At realitates intellectu propositæ, & *qua positivæ*, si sint limitatæ, adhærentem habent negationem, qua realitas alia excludi potest, neque mere positivæ sunt. Certe docilitas, quæ est dispositio mentis ad recipiendam doctrinam, notitiamve, positiva est realitas, at excludit præsentem doctrinæ recipiendæ cognitionem; & si humana ratio spectetur uti vis mentis ex notis & cognitis id eruendi, quod incognitum est, ea cum perfectissima scientia conjungi non potest. Quæ est autem pugna notarum internarum rei, si vires in subjectis diversis tendant in partes oppositas, & pondus e. g. ex libra suspensum, quanto momento deorsum tendit, eodem ab opposita potentia urgeatur sursum? Ut corpus idem eodem tempore & sursum moveatur & deorsum, id plane pugnat: ut solicitetur ad motus contrarios viribus diversis & contrariis, nulla in hoc pugna, nulla logica impossibilitas est, uti nec in eo, si mens hominis inconstans & mutabilis una quadam ex causa doleat, lugeatque, dein ex alia solatium & voluptatem capiat; uno argumento quodam impellatur ad assensum, altero dein retrahatur; aut consideratione divinæ justitiæ timeat vehementer, dein spectata misericordia divina erigatur in spem. Ex his difficile non est concludere, quam minime subtilis re ipsa, sed fucata, & fallax, atque ad circumveniendos lectores imperitos comparata kantiana sit Critice.

*) Seite 320. Wenn Realität nur durch den reinen Verstand vorgestellt wird (realitas noumenon) so läſst sich zwischen den Realitäten kein Wider-

derſtreit denken, d. i. ein ſolches Verhältniſs, da ſie in einem Subject verbunden einander ihre Folgen aufheben, und 3 — 3 = 0 ſey. Dagegen kann das Reale in der Erſcheinung (realitas phænomenon) unter einander allerdings im Widerſtreit ſeyn, und vereint in demſelben Subject, eines die Folge des andern ganz oder zum Theil vernichten, wie zwey bewegende Kräfte in derſelben geraden Linie, ſo fern ſie einen Punkt in entgegengeſezter Richtung entweder ziehen oder drucken; oder auch ein Vergnügen, was dem Schmerze die Waage hält. Seite 328. Der Grundſatz, daſs Realitäten (als bloſse Bejahungen) einander niemals logiſch widerſtreiten, iſt ein ganz wahrer Satz von dem Verhältniſſe der Begriffe; bedeutet aber weder in Anſehung der Natur, noch überall in Anſehung irgend eines Dinges an ſich ſelbſt (von dieſem haben wir keinen Begriff) das mindeſte. Denn der reale Widerſtreit findet allerdings Statt &c.

§. 144. Annectam hoc loco novum kantiani ingenii inventum, *Tabulam Nihilorum*, quadripartitam ſecundum categorias ſcilicet. *Nihilum I. conceptus inanis ſine objecto, ens rationis*, cujusmodi ſunt noumena. Exhibui ſupra ad §. 66. n. 2. verba Kantii, quibus negat, Idealiſtis accenſeri ſe poſſe; cum præter phænomena, ſeu id, quod in repræſentationibus ineſt, admittat revera aliquid; quid illud? Nihilum, uti explicat hoc loco. *) *Nihilum II. inane objectum ſine conceptu, nihilum privativum*, id eſt, negatio, aut conceptus objecti deficientis. **) Multo acutius nec ſine ratione alii Philoſophi diſtinguunt inter *negationem* & *privationem;* nam, uti Ariſtotelici inquiunt, privatio ſupponit habitum, aut certe quidem capacitatem ha-

habendi, negatio non item. De qua re controversia magni momenti inter Eunomium hæreticum, & S. Basilium, defensorem vivificæ Trinitatis, exorta est, uti patet ex istius libro I. contra Eunomium, ut a Petavio in Prolegomenis dogmatum theologicorum Cap. III. n. 5. memoratur. *Nihilum III. intuitus inanis absque objecto, sive ens imaginarium*; tale est tempus purum & spatium purum, quæ objectum non sunt, sed formalis conditio objecti qua repræsentati; atqui docet Kantius loco alio, tempus ac spatium objectorum instar spectari posse, ac spatium quidem ita spectari a geometris. ***) *Nihilum IV. inane objectum sine conceptu, nihilum negatium*; cujusmodi sunt impossibilia, in quorum numero est figura rectilinea binis rectis lineis conclusa. Ita quidem Kantius hoc loco; nam alio expresse & intrepide asseruit, in conceptu figuræ, binis rectis lineis circumscriptæ, nihil contradictionis inesse. ****) Sed alia est ratio negationis, alia impossibilium; neque enim, quod deficit nunc, continuo pro impossibili haberi debet. Est igitur hæc non tam nihilorum, quam contradictionum kantianarum tabula quædam, non completa tamen, sed plurimum augenda ex locis aliis, sicui tantum otii suppetat, ut contradictiones Kantii in summam colligat.

*) Seite 347. 348. Leerer Begriff ohne Gegenstand, ens rationis, wie die noumena. Sieh Note 2. §. 66.

) **Ebend. Leerer Gegenstand eines Begriffs, nihilum privativum. Mira hac sunt, conceptus sine aliquo, quod concipitur: & objectum, quod concipi omnino non potest.

*)

***) Ebend. Leere Anschauung ohne Gegenstand, ens imaginarium. Die blosse Form der Anschauung, ohne Substanz, ist an sich kein Gegenstand — wie der reine Raum, und die leere Zeit. Seite 160. Der Raum als Gegenstand vorgestellt, wie man es wirklich in der Geometrie bedarf.

****) Ebend. Leerer Gegenstand ohne Begriff, nihilum negativum. Der Gegenstand eines Begriffs, der sich selbst widerspricht, ist nichts, weil der Begriff nichts ist, das Unmögliche, wie etwa die geradlinige Figur von zwey Seiten. Seite 268. In dem Begriffe einer Figur, die in zwey geraden Linien eingeschlossen ist, ist kein Widerspruch.

§. 145. *Postulatum experientiæ II. Quod cum materialibus conditionibus experientiæ (cum sensatione) cohæret, id existit.* *) Materiam repræsentationis vocat id, quod sensus afficit, aut cujus repræsentatio sensuum affectioni respondet. Postulat ergo Kantius, ut sibi concedatur, omne id, quod sensibus percipitur vel immediate per se ipsum, vel mediate, quia scilicet cum iis, quæ sensibus percipiuntur, connexum est, reipsa existere. Si nihil aliud petat, spectetve Kantius, nisi ut existentia concedatur eorum omnium, quæ sensibus percipiuntur, proindeque in sensus reipsa agunt, neminem habebit dissentientem; norunt enim tirones logices, quod propositio affirmativa absoluta, cujus prædicatum actionem quandam vel affectionem indicat, quod competere non potest, nisi existenti, existentiam subjecti affirmet. Sed caveat Kantius, ne fallaciter invertat postulatum suum & ex propositione hac: *omne id, quod sensibus percipitur, existit*, efficiant conversam universalem: *ergo omne, quod existit, sensibus percipi potest*, aut *siquid exi-*

existit, id etiam sensibus percipi potest, & consequenter, quia a contradictorio consequentis valet argumentatio ad contradictorium antecedentis: *quod sensibus percipi non potest, id nec existit.* Sed mittamus hæc titivilitia, quibus Kantius delectatur, atque illud urgeamus, hoc ipso postulato everti Idealismum transcendentalem. Si enim existit revera id, quod agit, quod sensus afficit, organa percellit modis variis, dolorem, aut voluptatem creat, ipsa etiam destruit aliquando; quomodo inducere in animum potest Kantius, phænomena, quæ perpetuo in ore habet, in meris repræsentationibus esse sita, quibus nihil extra mentem respondeat, nisi incognitum x, quod penitus differt a phænomenis, atque iis omnibus, quæ sensibus percipiuntur, & quod ipse in numerum nihilorum conjicit? qua libertate a phænomenis concludendo progreditur ad objectum transcendentale, penitissime distinctum a phænomenis? aut si ita ratione progredi sibi fas esse putat; quo jure a conditionibus materialibus & effectibus, quos observamus in mundo, ad istius conditorem & sapientissimum artificem ratiocinando progredi nos vetat? aut igitur tollat penitus illud x incognitum atque umbratile, & purissimo Idealismo addicat se, aut alios philosophos omnes more pristino a conditionibus & causis mundanis ad aliam causam primam, atque ab iis penitus differentem, rationis via pervenire sinat.

*) Seite 266, Was mit den materiellen Bedingungen der Erfahrung (der Empfindung) zusammenhängt, ist wirklich.

146. *Postulatum III. Quod cum existente connectitur, utpote determinatum per generales experientiæ leges, id existit necessario.* *) Agit Kantius de necessaria existentia non substantiæ cujusdam, sed effectuum, statuumque, qui per causas datas, & per experientiam cognitas, secundum leges physicas determinantur, & cum iis connectuntur. Fac enim horologium ad stabilem motum indicis appenso pondere aut vi elastica chalybis esse determinatum; per statum præsentem datum determinatur secundum mechanicas leges, aut conditiones, motus indicis tanquam effectus, ejusque status secuturus, qui cum dato connectitur, proindeque existet necessario. Tota ista necessitas refertur non ad substantiam horologii, sed ejusdem status variabiles, estque hypothetica tantum, & conditionata, nequaquam absoluta, si nempe præcessit status prior, qui pariter ab alio præcedente statu tanquam effectus a causa secundum conditiones aut leges per experientiam cognitas dependet. Ex his intelliguntur verba Kantii, quæ exscribere malui, quam latine reddere. **)

*) Seite 266. Dessen Zusammenhang mit dem Wirklichen nach allgemeinen Bedingungen der Erfahrung bestimmt ist, ist (existirt) nothwendig.

**) S. 279. Die Nothwendigkeit der Existenz kann niemals aus Begriffen, sondern jederzeit nur aus der Verknüpfung mit demjenigen, was wahrgenommen wird, nach allgemeinen Gesetzen der Erfahrung erkannt werden. Da ist nun kein Daseyn, was unter der Bedingung anderer gegebener Erfahrungen, als nothwendig erkannt werden könnte, als das Daseyn der Wirkungen aus gegebenen Ursachen nach Gesezen der Caussalität.

Also

Alſo iſt es nicht das Daſeyn der Dinge (Subſtanzen) ſondern ihres Zuſtandes, wovon wir allein die Nothwendigkeit erkennen können, und zwar aus andern Zuſtänden, die in der Wahrnehmung gegeben ſind, nach empiriſchen Geſetzen der Cauſalität.

§. 147. Animadvertat, obſecro, lector, comparando inter ſe binas notas præcedentes, quomodo Kantius a propoſitione univerſali affirmativa ad ejus converſam pariter univerſalem, indeque ad negativam iterato & turpi ſophiſmate progrediatur hoc plane modo: *id omne, quod per ſtatus præcedentes, tanquam per cauſas, ſecundum leges experientiæ determinatur, atque ita cum iis connectitur, exiſtit neceſſario;* (neceſſitate hypothetica & phyſica) *ergo omne, quod exiſtit neceſſario, id per ſtatus præcedentes, tanquam per cauſas, ſecundum leges experientiæ determinatur, atque ita cum iis connectitur;* & *quod tali modo non determinatur & cum cauſſis connectitur, non intelligitur exiſtere neceſſario*, ſive quod in idem recidit, *nulla intelligitur in ſubſtantia quadam exiſtendi neceſſitas, ſed ſola neceſſitas effectuum, ſtatuumque ex cauſis præcedentibus ſecundum experientiæ leges determinata.* Hæ fallaciarum præcurſiones non alio ſpectant, niſi ad infringendas, aut certe obſcurandas Metaphyſicorum demonſtrationes de neceſſaria exiſtentia ſupremi rerum conditoris, tanquam cauſæ ultimæ, uniceque ſufficientis rerum & effectuum omnium, qui in mundo contingunt. Obtenditur neceſſitas quædam eorundem effectuum, ut contingentia obtegatur: in cauſis ſecundis ſic detinetur inquiſitio, ut ad cauſam primam perveniri nunquam

 poſſit;

possit ; quemadmodum ex Dialectica Kantiana, quæ post Analyticam discutienda nunc est, perspicue intelligetur.

Caput XIII.

Dialectica kantiana,
id est
sophistica philosophiae transcendentalis in disputatione de anima hominis.

§. 148. Triplex argumentationum genus a Peripateticis fuit constitutum, 1. *analyticum*, quo certa veritas ex rationibus maxime intrinsecis, sive ex notione subjecti per demonstrationes legitimas & proprie tales exhibetur; ut adeo propositiones, quas *syntheticas* nuncupat Kantius, dudum *pro analyticis*, quales sunt re ipsa, agnoverint Philosophi; cujusmodi sunt dogmata Mathematicorum. 2. *Dialecticum*, quo de iis, quæ similia veri sunt, nec certam demonstrationem admittunt, propositis in utramque partem argumentis disputatur, ut quid propius vero sit, deprehendi & constitui queat. 3. *Sophisticum*, quo per argumentationes fallaces, atque in forma aut materia peccantes, certa etiam dogmata, & a viris sapientibus constanter asserta, impetuntur, obscurantur, labefactantur, & opposita falsitas speciosis rationum fucis illita obtruditur. Kantius hac Critices suæ parte, quam *Dialecticam rationis puræ* inscripsit, metam sui operis attigisse videtur, quam sibi talem scilicet proposuerat, ut gravissima dogmata ratione cognita, ipsaque adeo fundamenta religionis & honestatis de perduratione

ne humanæ mentis, ejusque ſimplici & ſpirituali natura & immortalitate, de mundi item origine, ejusque cauſa prima & abſolute neceſſaria, denique de Ente perfectiſſimo, ſummoque rerum omnium conditore & opifice, quaqua poſſet argumentorum congerie impugnaret, atque in dubitationem adduceret. Cum vero dogmata iſta firmiſſimis rationum momentis ſint nixa, & a ſapientiſſimis viris omni argumentorum apparatu confirmata fuerint, atque exornata: aliter aſſequi Kantius, quod propoſuerat, non potuit, niſi per ſophiſmata & inanes fallacias, ac contortas concluſiunculas, quemadmodum perſpicue intelligetur ex iis, quæ pro vindicandis veritatibus iisdem, ac de ſolutione ſophismatum kantianorum deinceps dicturus ſum, ut ipſa adeo inſcriptione jam errarit Kantius, cum *dialecticam* præfixit tractationi, quam *Sophiſticen philoſophiæ tranſcendentalis* nominare debuerat. Nolim pluribus verbis nunc quidem præfari de hac re, quæ nullo negotio perſpicietur tota, poſtquam liberavero datam fidem, & Kantii parallogiſmos diſſolvero. Exordium is quidem dialectices ſuæ ab anima hominis ſumit; neque ego moras traham, quo minus ipſius veſtigia premam.

§. 149. De anima hominis duo ſunt non levis momenti, quæ profitetur ipſe Kantius. 1. Notio hæc, aut ſi mavis, judicium: *ego cogito*, quantumvis a nulla pendeat impreſſione ſenſuum (externorum) tamen diſtinguere objecta duplicis generis nos docet ſecundum ipſam facultatis repræſentandi naturam: Ego, qui cogito, objectum ſum ſenſus interni, dicorque *anima*; id vero, quod ſen-

ſenſibus externis objicitur, *corpus* nuncupatur. *) 2. Si proprietates velim inquirere, quibus cum exiſtit ens ſeu natura cogitans, experientia (interna ſcilicet ſeu intima potius) conſulenda eſt. **) Cum perſpicuis hisce agnitisque veritatibus incredibile eſt, quomodo oppoſitos plane errores potuerit conjungere. Conjungit tamen, atque ita inquit: repræſentatio hæc : *Ego*, qui cogito, ſimplex eſt, ac per ſe cujusvis objecti expers & vacua : quæ ne conceptus quidem nuncupari poteſt, ſed mera eſt conſcientia omnibus conceptibus adhærens. Illuc *Ego* ſeu *ens cogitans*, nihil aliud repræſentat, niſi ſubjectum tranſcendentale cogitationum = x, quod ipſum non cognoſcitur, niſi per cogitationes, quæ ejusdem prædicata ſunt, neque ſeparatim ullum conceptum admittit, ſed nos cogit, & nos & cogitationes noſtras recipere in orbem, & ipſum repræſentare, ſi de ipſo cogitare velimus. Nec vero iſtud incommodum evitare poſſumus ; quia conſcientia non eſt repræſentatio, qua objectum ſingulare diſcernitur, ſed generalis forma repræſentationum earum, quæ cognitionis nomine comprehenduntur. De hoc enim ſolo repræſentationis genere affirmari poteſt, me cogitare de re quapiam. ***)

*) Seite 399. Der Begriff, oder wenn man lieber will, das Urtheil : *ich denke*, ſo rein es auch vom Empiriſchen (Eindrucke der Sinne) iſt, ſo dient er doch dazu, zweyerlei Gegenſtände aus der Natur unſerer Vorſtellungskraft zu unterſcheiden. Ich, als denkend, bin ein Gegenſtand des innern Sinnes, und heiſse *Seele*. Dasjenige, was ein Gegenſtand äuſserer Sinne iſt, heiſst *Körper*.

**) Seite 710. Will ich die Eigenschaften, mit denen ein denkend Wesen an sich existirt, aufsuchen, so muss ich die Erfahrung befragen.

***) Seite 404. Die einfache, und für sich selbst an Inhalt ganz leere Vorstellung, *Ich*, von der man nicht einmal sagen kann, dass sie ein Begriff sey, sondern ein blosses Bewustseyn, das alle Begriffe begleitet. Durch dieses Ich, oder Er, oder Es (das Ding) welches denket, wird nun nichts weiter als ein transcendentales Subject der Gedanken vorgestellt = x, welches nur durch die Gedanken, die seine Prædicate sind, erkannt wird, und wovon wir abgesondert, niemals den mindesten Begriff haben können; um welches wir uns daher in einem beständigen Cirkel herumdrehen, indem wir uns seiner Vorstellung schon jederzeit bedienen müssen, um irgend etwas von ihm zu urtheilen; eine Unbequemlichkeit, die davon nicht zu trennen ist; weil das Bewustseyn an sich nicht sowohl eine Vorstellung ist, die ein besonderes Object unterscheidet, sondern eine Form derselben überhaupt, so fern sie Erkenntniss genannt werden soll; denn von der allein kann ich sagen, dass ich dadurch irgend etwas denke.

§. 150. Verba posteriora Kantii manifesto refelluntur prioribus. Si enim ex intimo cujusque sensu, & judicio illo: *ego cogito*, objectum sensus interni distinguimus, falsum est aperte, repræsentationem expressam pronomine *Ego* omnis objecti vacuam esse & expertem. Et si ab experientia discendum est nobis, quid sentire de hominis anima, ejusque proprietatibus debeamus, falsissimum est pariter, kantianam illam formam: *ego cogito*, omnibus repræsentationibus adhærere. Longissime distant hæc duo: *conscius sum repræsentationis cujus-*

dam undecunque exortæ : & actu in me inest hæc repræsentatio : ego cogito. Illa intuitum directum continet : hæc reflexum : illa pro objecto habet, quidquid id est, quod repræsentatur : hæc aliud objectum non habet, nisi mentem ipsam cogitantem, seseque & statum suum reflexe intuentem. Utar exemplo ad rem apposito. De Archimede refert Cicero L. V. c. 19. de finib. tantum in eo studii ardorem fuisse, ut, cum in pulvere quædam describeret attentius, ne patriam quidem captam esse senserit. Quod ipsum Plutarchus narrat in Marcello his verbis : Marcellum casus Archimedis præcipue dolore confecit. Is enim in contemplandis lineamentis, oculis, studio ac cogitatione intentus non discurrentes Romanos, non captam urbem senserat ; cumque repente miles quidam adstitisset, seque ut ad Marcellum sequeretur, imperasset, non ante voluit Archimedes, quam rem propositam applicata demonstratione perfecisset. Quam ob rem ira percitus miles eum nudato mucrone confodit. Tria hic distinguenda sunt, *primo* impressiones factæ in organum auditus, cum urbs expugnaretur, & victores armati discurrerent. His impressionibus debuit respondere repræsentatio quædam, cujus tamen mens Archimedis, affixa lineamentis & descriptionibus geometricis conscia non erat. Aberat ergo attentio seu intuitus directus & activus a repræsentationibus illis passive receptis. *Secundo* attentio vero & intuitus directus in lineamentis illis hærebat defixus, eorumque sibi maxime & unice conscia erat mens Archimedis, quin perpetuo formam illam kantianam : *ego cogito*, volverit animo. Quis enim istuc facit, cum negotio cuicunque curam aut con-

contemplationi animum intendit, aut mentem *elevat* ad Deum, aut cum hominibus aliis transigit de rebus gravibus? *Tertio.* Ab hac igitur attentione ad rem propositam aut repræsentatam differt intuitus, quem mens in se ipsam reflectit, suumque statum, aut internos motus respicit, exploratque. Quapropter alius omnino est actus & status mentis, quo conscia est rei propositæ (sive eandem appercipit) alius qui exprimitur reflexo illo judicio; *ego cogito: timorem sentio: tristis sum: ab ægritudine liber sum.* Non admittunt hoc angustiæ humanæ mentis, arctique limites cogitandi, ut eodem tempore, actuque & rebus extra se positis perpetuo intenta sit mens, & se ipsam reflexo obtutu contempletur.

§. 151. Non imerito Kantius logicam suam *philosophiæ formalis* nomine salutat; admittit enim formas sensuum, formas intellectus, & formarum omnium formam sitam in repræsentatione illa; *ego cogito*, quam omnibus formis & repræsentationibus adglutimat. Sed quis philosophorum tantopere ineptiit aliquando, ut suam ipse mentem vocaret in dubium, eamque constanter permanere, hoc saltem mortali statu, non certissime sibi persuaderet? Idealistæ quidem sustulerunt corpora: at reliquerunt mentes hominum: Egoistæ aliorum extra se mentes inficiati sunt: retinuerunt tamen suam quisque: Kantius ipse se & mentem suam aufert, retentis solis repræsentationibus & ignoto x. Quis mentis compotem crederet, qui ipse se quantus est in concreto, *objectum transcendentale* & *incognitum x*, & *ens rationis*, & *conceptum inanem sine*

 obje-

objecto & *nihilum* ordine primum in tabula Nihilorum nuncuparet? (§. 144.) Kantius quidem & se & sectatores suos tam honorifice compellare debebit. Ceterorum philosophorum nemo unus talia feret, aut suspicabitur. Sophismata Philosophiæ transcendentalis præcipua hoc loco sunt 1. *Petitio principii;* quia totum ex hypothesi idealismi transcendentalis profluit, quæ a rebus aliis extra nos positis protenditur ad ipsam mentem nostram. 2. *Fallacia accidentis*, qua ipsi menti & substantiæ cogitanti tribuuntur tanquam per se convenientia, quæ non conveniunt nisi ratione accidentium, repræsentationum variabilium, & modorum immanentium. Ex præconcepta, inquam hypothesi, de anima hominis differit, non autem, quod antea fieri debere docuerat, experientiam consulit. Hæc enim manifeste adversatur ipsi hypothesi. Sic enim nos docet: id, quod in me sui rerumque aliarum est conscium, 1. *constanter permanet*, etsi repræsentationum affectionumque status varietur, ipsa conscientia actuum præsentium & præteritorum, conscientiæ item morsus, & accusationes & defensiones me convincunt, ingeruntque sæpenumero: *tu es ille vir.* Enimvero *ille ego*, qui quondam — *ille ego*, non alius. 2. Id, quod in me sui, rerumque aliarum est conscium, *principium est actuosum*, vi attendendi, reminiscendi, ideas comparandi, & præteritis adjungendi præsentia ac futura præditum: agit mens mea, & patitur; meræ repræsentationes & modi immanentes nec agunt, nec patiuntur. 3. Id, quod in me sui rerumque aliarum est conscium, unicum tantum, & singulare ac individuum est, sensui intimo præsens, idemque & sub-

ſubjectum cogitationum, & ſi vi reflexe intuendi velim uti, pariter objectum earundem. Novi ſenſu intimo facultates meas, facultatum leges, & legibus conformes actiones affectionesque ſenſuum, intellectus, rationis, voluntatis. Harum omnium primigenia idea omnino adventitia eſt, indeque abſtractione utens factitiam efformo, qua ad alias naturas mei ſimiles, transfero, quod in me intime conſtanterque experior, ut adeo pronomen *Ego*, quod ſignificatione eſt ſingulare, uſu fiat commune; quam quidem cogitandi rationem probat ipſe Kantius.*)
4. Id ergo, quod in me ſui, rerumque aliarum eſt conſcium, indubitato & *ſubſtantia* eſt, quippe ſubjectum permanens, & vi activa præditum, qui eſt certiſſimus ſubſtantiæ character teſte ipſo Kantio**) ac præterea *cauſa* eſt actuum ex vi activa provenientium.

*) Seite 404. Es muſs gleich anfangs befremdlich ſcheinen — — das Alles, was denkt, ſo beſchaffen ſey, als der Ausſpruch des Selbſtbewuſstſeyns es an mir ausſagt. Die Urſache aber davon liegt darinn: daſs wir den Dingen a priori alle die Eigenſchaften nothwendig beylegen müſſen, die Bedingungen ausmachen, unter welchen wir ſie allein denken. Nun kann ich von einem denkenden Weſen durch keine äuſsere Erfahrung, ſondern bloſs durch das Selbſtbewuſstſeyn die mindeſte Vorſtellung haben.

**) Seite 250. Wo Handlung, mithin Thätigkeit und Kraft iſt, da iſt auch Subſtanz; und in dieſer allein muſs der Sitz jener fruchbaren Quelle der Erſcheinungen geſucht werden. Das iſt ganz gut geſagt; aber wenn man ſich darüber erklären ſoll, was man unter Subſtanz verſtehe, und dabey den fehlerhaften Cirkel vermeiden will, ſo iſt es nicht

ſo

so leicht verantwortet. Wie will man aus der Handlung sogleich auf die Beharrlichkeit des Handelnden schliessen, welches doch ein so wesentliches und eigenthumliches Kennzeichen der Substanz (Phænomenon) ist?

§. 152. Kantius notiones rerum, de quibus in dialectica sua agit, nempe notiones humanæ mentis, mundi, ac Dei appellat *transcendentales*, eo quod nec derivatæ sint ab experientia, neque ad ullam experientiam applicari possint; atque has proprie *ideas* nuncupari vult. In his igitur notionibus prima est, quæ naturam cogitantem, seu animam repræsentat, de qua cum perparum ab experientia compertum sit; (ut quidem putat) ipsa ratio effingit ideam subjecti unius ac perdurantis, in quod pro usu systematico cogitandi conjicit totum id, quod phænomena & experientia de mente nostra nos docent. *) At enim, ut ex dictis patet, cuivis certissimum est, mentem suam tanquam subjectum variorum actuum immanentium perdurare eandem constanter; neque sua ipsius conscientia quempiam de ea re dubitare sinit: certissimum pariter est, mentem exerere vim actuosam in operationibus suis plurimis, proindeque vere & proprie esse substantiam, causamque effectricem earundem; quod autem de mente nostra intime sentimus, & experimur, & judicamus ipsi, id jure transferri ad mentes aliorum hominum ipse Kantius profitetur. Non ergo transcendentalis est idea mentis nostræ, quasi per artem efformata rationis vi pro usu systematico cogitandi, & pro definiendo communi subjecto quodam omnium determinationum, quas menti inesse novimus, sed adventitia

est

eſt idea, quam ipſe ſenſus & conſcientia cuique de mente ſua offert; ex qua dein abſtractionis ope, uti fit de ideis ſenſibilium & corporearum rerum, idea communis efformatur.

*) Seite 710. Statt des Erfahrungsbegriffs (von dem, was die Seele wirklich iſt) der uns nicht weit führen kann, nimmt die Vernunft den Begriff der empiriſchen Einheit alles Denkens, und macht dadurch, daſs ſie dieſe Einheit unbedingt urſprünglich denkt, aus demſelben einen Vernunftbegriff (Idee) — — von einer einfachen ſelbſtſtändigen Intelligenz. Hiebey aber hat ſie nichts anders vor Augen, als Principien der ſyſtematiſchen Einheit in Erklärung der Erſcheinungen, als in einem einigen Subjecte, alle Kräfte, ſo viel möglich, als abgeleitet von einer einigen Grundkraft, allen Wechſel als gehörig zu den Zuſtänden eines und deſſelbigen Weſens zu betrachten.

§. 153. Tota vis Sophiſtices kantianæ eo tendit hoc loco, ut prædicatum *ſubſtantiæ* demat humanæ menti; ſed totum, quod profert, nititur falſa hypotheſi idealiſmi, qua ipſa ſubſtantia phænomenis adnumeratur, & phænomenon nuncupatur, Hinc ait, cogitationes eſſe prædicata ſubjecti illius, quod animam dicimus, & nullam categoriam ſubjecto illi applicari poſſe. Si anima non eſt, niſi ſubſtantia phænomenon, & phænomenon ex mente Kantii in meris repræſentationibus conſiſtit, tum ſane in complexu repræſentationum inſunt repræſentationes tanquam prædicata, neque repræſentationes categoriæ ſubſtantiæ vel cauſæ ſubjici poterunt. At quid eſt hoc, niſi idem per idem probare, & petitione principii fallere, & circumvenire lecto-

lectores? Ita Kantius perpetuo sophismate peccat ipse, dum alios de paralogismo accusat in hunc modum. In Psychologia rationali, inquit, talis fieri solet argumentatio: *Quod aliter cogitari non potest, nisi tanquam subjectum, id reipsa existit tanquam subjectum, estque substantia; at natura cogitans aliter cogitari non potest, nisi tanquam subjectum, ergo eadem existit tantum tanquam subjectum; estque substantia.* *) In hac concludendi forma inesse ait fallaciam *figuræ dictionis*; quia in propositione majore agitur de natura generatim, proindeque etiam illa, quæ intuitu sensuum repræsentatur: in minore autem de illa tantum natura agitur, quæ se ipsam tanquam subjectum spectat relate ad cogitationes & conscientiam, non autem relate ad intuitum, quo tanquam objectum cogitandi repræsentatur.

*) Seite 410. In dem Verfahren der rationalen Psychologie herrscht ein Paralogism, der durch folgenden Vernunftschluss dargestellt wird: was nicht anders, als Subject gedacht werden kann, existirt auch nicht anders als Subject, und ist also Substanz. Nun kann ein denkendes Wesen, bloss als ein solches betrachtet, nicht anders, als Subject gedacht werden: also existirt es auch nur als ein solches, d. i. Substanz.

§. 154. Subterfugere jam non licet ακανθολογιας, quibus Kantius nos implicat. Sic ergo Resp. 1. definitiones *Substantiæ* varias afferri a variis Philosophis supra animadverti. §. Kantius eam sumit pro subjecto, nempe modorum, & affectionum, eoque permanente, uti patet ex nota §. 151. Sensus ergo propositæ argumentationis est hic: *omne subjectum perdurabile & modificabile est substantia*

(quod

(quod quidem de ſubſtantiis creatis ſine hæſitatione admittitur) porro *natura cogitans*, *qua talis, eſt ſubjectum perdurabile & modificabile* (ſive quod in idem recidit; aliter repræſentari a nobis & cogitari non poteſt) ergo *natura cogitans*, *qua talis, eſt ſubſtantia*. Dudum veteres Logici ſubſtantiam diviſerunt in corpoream & incorpoream, & utramque eſſe ſubjectum perdurabile & modificabile cenſuerunt, id quod nota tironibus logices arbor porphyriana & carteſiana exhibet; igitur natura cogitans qua talis, ſubjicitur (kantiana phraſi ſubſumitur) generi latiori ſubjecti perdurabilis & modificabilis, quod & corpoream & incorpoream naturam comprehendit. Idem contingit in omni ſyllogiſmo categorico communi, uti ſi dicam: *omne animal eſt mortale: homo eſt animal; ergo eſt mortalis.* Quis tiro non illudat adverſario paralogiſmum objicienti in hac forma; eoquod in propoſitione prima agatur de animali generatim, proindeque etiam de illo, quod expers eſt rationis; in altera autem de illo tantum animali, quod rationis eſt particeps? Similiter ſane Kantius aberrat; quod tam perſpicuum eſt, ut pigeat verbum addere. Reſp. 2. Æque turpis eſt erratio, qua commentitium paralogiſmum ad *figuram dictionis* refert. Hanc Ariſtoteles l. 1. c. 3. textu 18. de ſophiſticis elenchis recenſet, ac *το σχημα της λεξεως* nuncupat, conſiſtens in eo ſcilicet, quod aliquis ſimilitudine terminationis grammaticalis vocum deceptus maſculinum pro fœmino, aut contra habeat, vel ex eadem cauſa ad categoriam actionis referat verbum, quod categoriæ paſſionis adnumerari deberet, uti ſiquis *Papam* referat ad genus fæmininum;

num, & verbum *sentio, video*, ad categoriam actionis perinde, uti verbum *percutere, secare.*

§. 155. Sane de rebus aliter judicare & disserere non possumus, nisi quatenus cognitæ a nobis sunt; hinc usu & consensu philosophorum omnium æquipollent hæ duæ sententia: *substantia est subjectum perdurabile & modificabile*; &: *substantia aliter concipi a nobis & cogitari non potest, nisi ut subjectum perdurabile & modificabile.* Sed retineantur vel ipsæ syllabæ Kantii, nullum is quidem vitium in proposita argumenti forma extundet: *quod aliter cogitari non potest, nisi tanquam subjectum, id reipsa existit tanquam subjectum, estque substantia*; &c. §. 153. Kantius ad impactam huic formæ figuram dictionis addit in nota, verbum *cogitari* sumi dupliciter, primo quidem pro objecto generatim: dein pro subjecto conscientiæ propriæ; quo modo objectum nullum, sed cogitationis & conscientiæ subjectum duntaxat designatur. Sed falsum id penitus, tamque inane est, ut nihil magis. Est id proprium atque essentiale cujusvis intuitus reflexi & sensus intimi, ut si de me ipso cogitem, ipse & objectum sim cogitationis meæ, & subjectum pariter, neque enim si de me cogitem, nullum objectum cogitationis habeo; quod perinde repugnaret, acsi, cum repræsentatio ponitur, nihil esse ponatur, quod repræsentetur, quod perabsurdum esse, fatetur Kantius. *)

*) In der Vorrede Seite XXVI. Sonst würde der ungereimte Satz daraus folgen, daſs Erscheinung ohne Etwas wäre, was da erscheint.

§. 156.

§. 156. De anima hominis cum differere aggrederetur Kantius, & psychologiam rationalem, tanquam metaphysices partem, cum ipsa metaphysica impugnare vellet, ita præcipit, ut siqua admittenda esset psychologia rationalis, ea ex hoc uno enuntiato: *ego cogito*, deduci debeat, ut nihil omnino de experientia, & singulari cogitationum, perceptionumve doloris aut voluptatis animadversione admisceatur; secus enim non rationalis, sed empirica psychologia traderetur. *) Sed formas kantianas & conceptus a priori obtrudi nobis, & imponi non patiamur. Quid enim de natura mentis differemus, nisi natura ipsa duce & magistra, experientiæ atque animadversionis ope cognita? Si notionibus experientia haustis de humana mente, ejusque exploratis operationibus proprietates ipsas vi rationis eruimus, adscitis certis & indubitatis principiis; tum quidem psychologiam rationalem videmur exponere communi Philosophorum consensu. Si dein Kantius aliter statuat, loquaturque; non sequendus, sed negligendus est. Simile verborum ludibrium profert, cum ait, maximo detrimento fore Criticæ suæ, siqua via excogitari posset, simplicitatem naturæ cogitantis *a priori* comprobandi, quo quidem modo experientiæ limites perrupti jam essent, aditusque ad tractanda noumena patefactus. **) Sed nos quidem, adhibita in testimonium conscientia operationum mentis, ejusque conscientiæ unitate atque adeo identitate, animam hominis minime compositam esse, sed simplicem omnisque concretionis expertem inferimus, quod demonstrationis genus, etsi sensu intimo, & conscientià nitatur, tamen a priori cen-

ſetur conſtitutum; quia ipſa ſimplicitas per ſe ſub ſenſum non cadit. Quale Kantio videatur iſtiusmodi argumentum, a priori, an poſteriori ductum, id vero minime curamus.

*) Seite 400. Wenn das mindeſte Empiriſche meines Denkens, irgend eine beſondere Wahrnehmung meines innern Zuſtandes noch unter die Erkenntniſsgründe der rationalen Seelenlehre gemiſcht würde, ſo wäre ſie nicht mehr rationale, ſondern empiriſche Seelenlehre. Wir haben alſo ſchon eine angebliche Wiſſenſchaft vor uns, welche auf dem einzigen Satz: ich denke, erbaut worden. — — Das mindeſte Object der Wahrnehmung (z. B. nur Luſt oder Unluſt) welche zu der allgemeinen Vorſtellung des Selbſtbewuſstſeyns hinzu käme, würde die rationale Pſychologie ſogleich in eine empiriſche verwandeln.

**) Seite 409. Ein groſser, ja ſogar der einzige Stein des Anſtoſses wider unſere ganze Critik würde es ſeyn, wenn es eine Möglichkeit gäbe, a priori zu beweiſsen, daſs alle denkende Weſen an ſich einfache Subſtanzen ſind. — — Denn auf dieſe Art hätten wir doch einen Schritt über die Sinnenwelt hinaus gethan, wir wären in das Feld der Noumenen getretten, und nun ſpräche uns Niemand die Befugniſs ab, in dieſem uns weiter auszubreiten.

§. 157. Naturam cogitantem eam ſumo hoc loco, quæ ſui, ſuarumque affectionum & operationum conſcia, intellectu & voluntate prædita eſt. Hanc ſimplicem eſſe, minimeque compoſitam; in hunc modum deduci ſolet ex iis, quæ ſenſu intimo percipimus. Illud, quod in me cogitat & appetit, ſive potius, quod ipſe ſum, quodque exprimit

mit pronomen *Ego*, eſt una & individua natura. Nam teſte ſenſu intimo eadem natura & ſe percipit atque effectiones ſuas, & res alias, quæ ſentit; *eadem* imaginatur, meminit, & attendit; *eadem* notiones abſtrahit, componit, comparat; *eadem* judicat, ratiocinatur, appetit, averſatur, moleſtia aut voluptate afficitur. Hæc omnia in eadem & ipſiſſima, ac ſimpliciſſima natura inſunt, quam exprimit pronomen *Ego*. Abſolute repugnat, ut ego harum operationum conſcius ſim, niſi in eodem omnes ſubjecto ineſſent. Si ideam propoſitæ imaginis habeam: ideam hominis, quem repræſentare deberet, non habeam, indicare haud poſſum, utrum hoc ectypon prototypo ſimile ſit. Fac ſcenæ intereſſe binos homines, alterum cæcum, alterum ſurdum; & ſciſcitare ex utroque, utrum theatri & veſtium apparatus, an harmonia muſica magis placuerit, aut præferri debeat; certe neuter comparationem facere poterit, cum neuter utramque ideam penes ſe habeat. In ratiociniis præſertim concatenatis ut veritas propoſitionis demonſtrandæ perſpiciatur, neceſſe eſt, ut in eodem principio cogitante, non in diverſis ejus partibus & ideæ omnes ac ſingulæ, & judicia, & perſpicientia connexionis ac conſecutionis judiciorum inter ſe inſint. Ob quam cauſam ſiqua in demonſtrando lacuna relinquitur, cogitationum ſeries abrumpitur, neque veritas propoſitionis demonſtrandæ perſpici poteſt. Vim argumenti ſentit Kantius, neque diffiteri poteſt, legitima id forma concluſum eſſe, quemadmodum ipſa ejus verba indicabunt.

§. 158. In judiciis omnibus, inquit, idem Ego sum, qui idearum inter se relationem definio; in quo natura judicii sita est. Pariter liquet omnino, me cogitationum mearum esse *subjectum*, neque instar prædicati inhærere rei alteri. At ex hoc negat, inferri posse, me, instar objecti consideratum, substantiam esse. Ad hoc enim efficiendum plura requiruntur, quæ *dari* debent, quæque in cogitando non insunt, nec unquam deprehendi poterunt. *) Kantius nec indicat, nec indicare potest, quid ultra requiratur, ut substantiam me esse judicem, nisi ut sensu intimo & conscientia certissime norim, me cogitationum, affectionumque subjectum esse, idemque perdurabile, & ob ipsam cogitationum, affectionumque & statuum internorum variationem modificabile; actuosum præterea, & potestate præditum circa usum facultatum mearum. Sane cui convenit definitio substantiæ, eidem & definitum conveniat, necesse est. (§. 154.) 2. Docente Kantio, quidvis tum corporale, tum incorporale aut substantia est, aut quidpiam illi inhærens. **) Præterea liquidum atque apodictice certum esse ait, me non esse quidpiam instar prædicati inhærens rei alteri. Ergo substantia ut sim, consequens est; sane quod rei inhæret instar modi vel accidentis, id actuosum non est, nec ipsum modificatur, sed subjectum modificat, ipsaque subjecti modificatione variabile est, non permanens. Mens ipsa est, & substantia, quæ agit, quæ patitur, quæ actionis suæ & passionis est conscia, quæ sibi repræsentat, repræsentationes inter se comparat, quæ judicat, reminiscitur, quæ ex repræsentationibus tædium aut voluptatem percipit. Resp. 3. Si ego uti *subjectum* cogitationum affectionumque substantia sim, cur

ut

ut *objectum* cogitationis reflexæ desinam esse substantia? cum præsertim, fatente Kantio, duplicis generis objecta distinguere, sensus intimus nos doceat. §. 149.

*) Seite 407. In allen Urtheilen bin ich nun immer das bestimmende Subject desjenigen Verhältnisses, welches das Urtheil ausmacht, dass aber ich, der ich denke, im Denken immer als Subject, und als Etwas, was nicht bloss wie Prædicat dem Denken anhänge, betrachtet werden kann, gelten müsse, ist ein apodictischer und selbst identischer Satz; aber er bedeutet nicht, dass ich als Object, ein für mich selbst bestehendes Wesen, oder Substanz sey. Das letzere geht sehr weit, erfordert daher auch data, die im Denken gar nicht angetroffen werden, vielleicht (so fern ich bloss das Denkende als ein solches betrachte) mehr, als ich überall in ihm antreffen werde.

**) Seite 6. Wenn ihr von eurem empirischen Begriffe eines jeden körperlichen oder nicht körperlichen Objects alle Eigenschaften weg lasst, die euch die Erfahrung lehrt; so könnt ihr ihm doch nicht diejenige nehmen, dadurch ihr es als Substanz anhängend denkt.

§. 159. Porro sic instat Kantius. Illud *Ego qui appercipio, proindeque cogito*, indicat singulare quidpiam & individuum, quod in subjecta plura resolvi nequit, quodque ob hanc causam subjectum est *logice* simplex. Atque id quidem in ipsa notione cogitationis inest, & propositione analytica continetur. Sed non eo id valet, ut illud, *ego cogitans*, substantia simplex sit, & haberi debeat; esset enim hæc propositio synthetica, & conceptus substantiæ ad intuitum refertur, quem ego quidem

(inquit Kantius) solis sensibus attribuo. Resp. Quanta est hæc inanitas verborum, quanta pugna? calidum & frigidum uno halitu profert; ait, & negat: fatetur, quod menti cogitanti conveniat definitio substantiæ: est *subjectum perdurabile & modificabile, idque singulare, & simplex*; negat, quod eidem conveniat definitum: *non est substantia simplex*. Ex ipsa notione cogitationis intelligitur, quod sit *subjectum cogitationum*, id est, *modificabile, idem constanter* permanens, quod varia appercipit, proindeque *perdurabile*: quod in subjecta plura resolvi nequit: igitur *simplex*; atque hæc quidem propositione *analytica* continentur. At siquis dein concludat: *mens cogitans est substantia simplex*; tum fit propositio *synthetica*; cujus prædicatum ex notione cogitationis, mentisque cogitantis apperceptione non intelligitur. Nugaturne Kantius, an cum lectoribus stupidis confabulari se putat, qui judicare nihil possunt? Resp. 2. Quando ex apperceptione subjectum simplex Kantius colligit, eidem ratione nulla penitus assuit particulam: *logice* simplex. Cur logice tantum? quare non realiter, objective, vere? apperceptio non est logicum quid, sed reale: subjectum cogitationum non est logicum quid, sed reale: identitas subjecti non est logicum quid, sed reale: cur ergo subjectum illud *logice simplex* nuncupatur? Addit Kantius: subjectum illud non admittit intuitum, quem solis sensibus attribuere se testatur. Hinc Resp. 3. Alii philosophi intuitum internum & reflexum mentis agnoscunt sensus intimi proprium; secundum Kantium intuentur nares, intuentur aures, intuetur palatum, intuentur manus pedesque, at mens se ipsam non intuetur. Quid dici potest absurdius?

Sen-

Sensum intimum & conscientiam refert ad solas repræsentationes, affectionesque & status variabiles, non ad ipsam mentem; quæ afficitur certis modis, & sine affectione quapiam, ac certo statu esse non potest, quando attentio atque intuitus in ipsam refertur: vellet Kantius cogitare de mente, quando non cogitat: detrahit de mente sua omnes cogitationes, affectionesque, iisque detractis nihil relinqui putat, nisi subjectum transcendentale = x; uti exposui §. 149 recitatis in nota verbis Kantii; at enim fieri utique non potest, ut quis de se ipso, suaque mente sic cogitet, ut nullam tum in mente cogitationem habeat. At ego etsi hominis absentis repræsentationes affectionesque animi repræsentare mihi haud possim, tamen cogitando de ejus mente non continuo nihil, aut ignotum x duntaxat cogito; quia varias facultates viresque repræsentandi, affectionesque recipiendi cogitare debeo.

§. 160. Peccatur igitur hoc quoque loco præcisionibus modorum, & abstractionibus formarum, quas de substantiis detrahi posse fingimus, quin modus alius & forma alia necessario succedere debeat: dein facultates & vires in subjecto ita inhærere fingimus, ut eas, subjecto manente, tolli posse concipiamus; quo quidem modo nihil restat, quod de illo subjecto cogitemus, nisi incognitum atque inexplicabile x; de qua re supra jam §. 139 & 69. mentionem feci. Sane qui cogitationem attentionemque in se ipsum, mentemque suam reflectit, id sibi repræsentat, id sentit, id intuetur, quod variis modis afficitur, quod patitur, quod agit, agendique vires & facultates intendit, quod dolet, lætatur, acquiescit; non sunt

hæc prædicata affectionum variabilium, sed ipsius mentis. Qui igitur cogitationem, attentionemque in se ipsum, mentemque suam reflectit, is eodem tempore mentem suam repræsentat, mentem suam sentit, mentem suam intuetur multo etiam magis, quam a Kantio intueri dicimur odores, sonos, dulce vel amarum, calidum aut frigidum, molle vel durum. Veteres quidem Scholastici, etsi accusentur de intrusis in scientias formis, modis, accidentibus, multo tamen accuratius, quam fit a Kantio, explicarunt veritatem rerum, agentes de distinctione reali, & formali. Sic enim ajebant: etsi operationes mentis, nempe sensatio & abstractio, dein imaginatio, ratiocinatio &c. admodum differant, nullam tamen distinctionem realem principiorum inde confici posse; quia sensu intimo unusquisque convincitur, omnes operationes & facultates in eodem inesse principio, idque, cui insunt, esse unum & singulare in singulis: distinctionem igitur facultatum mentis non realem esse, sed formalem, nempe rationis ratiocinatæ, quæ fieret cum fundamento in re, ob diversitatem operationum: re autem ipsa veras esse has propositiones: *anima hominis est animalitas*, est *rationalitas*: *animalitas realiter est rationalitas.* Deceptrix igitur loquendi seu cogitandi ratio est, qua facultates & vires sic inhærere menti nostræ concipiuntur, ut, ipsa manente, tolli queant. Quod si ita haberet, iis sublatis, profecto nihil maneret reliquum, nisi kantianum x.

§. 161. Multa præterea congerit Kantius, seu potius locis variis absque omni ordine dispergit, per quæ hominibus intimæ conscientiæ vocem, ac testimonium conatur eripere, aut certe in dubitatio-

tionem adducere. 1. Comprehendi, inquit, non poteſt, quomodo ex ſola conſcientia, quæ ineſt in omni cogitatione, aut certe quidem ineſſe poteſt, in conſcientiam & cognitionem cujusdam rei, in qua ſola ineſt cogitatio, perveniri poſſit. *) Reſp. Quisque ex conſcientia ſua eſſe ſe, & non eſſe nihilum, ſed rem quampiam certiſſime novit; nec ut iſtud comprehendat unusquisque, minimum difficultatis ſentit. 2. Ait: abſoluta ſimplicitas non eſt conceptus, qui immediate ſub animadverſionem cadat, ſed qui aliarum idearum more, ſola ratione confici & efformari poſſit. Reſp. Quivis intimo ſenſu, & teſtimonio conſcientiæ, quod omni exceptione majus eſt, certiſſime novit, non eſſe *multa*, ſed *unum*, *idemque*, quod operationum variarum, affectionumque conſcium eſt, quemadmodum §. 157. expoſui. Unde ſequitur evidenter: mens compoſita non eſt; ergo ſimplex; quodvis enim aut compoſitum, aut ſimplex; illud quod partes habet, iſtuc quod partiibus caret. Simplicitas ergo, qua talis, notio eſt negativa, quæ non directe in ſe cognoſcitur, ſed indirecte, tollendo poſitivum. Non mirum ergo eſt, quod immediate ſub animadverſionem non cadat.

§. 162. Novo dein ſophismate imperitos implicat. Nam inquit. 3. Vires corporis mei, ſi in motu eſt conſtitutum, aut cujusvis alterius, perinde ſpectari poſſunt, a ſi unum unicum eſſet punctum mobile, ac vi motrice præditum; nec tamen inde concludi poteſt, corpus ipſum ſimplex eſſe; quia a *ſimplicitate abſtractionis* nequit procedi cogitando ad *ſimplicitatem objecti*. Reſp. Speciosa hæc quidem videntur, ſed evertuntur ipſis Kantii verbis. Ait enim, conſcientiæ repræſentationem eſſe

 ſimpli-

ſimplicem, & ex apperceptione ſubjectum haberi, quod in ſubjecta plura dividi nequeat. Quæ, obſecro, abſtractio locum habet in repræſentatione *unius*, quæ pariter ſimplex eſt? abſtractio fit in notionibus complexis, quando nota una, vel plures ex notis pluribus in re eadem conjunctis quodam modo decerpuntur, ſeu abſtrahuntur rejectis notis aliis; ſi qua ſimplex eſt repræſentatio; quæ nota rejici poteſt, quin tota repræſentatio animo dimittatur? at ex repræſentatione complexa corporis, ſi ejus vis motrix ſpectatur, ſane color, durities, extenſio relinqui animo, ac rejici poſſunt, retenta vi motrice in puncto veluti concentrata. Quid autem? ſi partes corporis mobilis inæquali celeritate moventur, uti fit in rotatione, aut ſi agunt pro certa ratione diſtantiarum; tum ſane non ſumi debet, uti vult Kantius, ſed demonſtrari neceſſe eſt, perinde corpora moveri, gravitare, attrahere ac ſi vis omnis in centro gravitatis, æquilibrii aut ſphæræ eſſet collecta. De qua re Kantius oſcitanter aut imperite ſcripſit, ineptiſſime autem motum corporis, utpote compoſiti, ad unitatem & ſimplicitatem conſcientiæ & naturæ cogitantis tranſtulit. More Idealiſtarum omnium, ait, percipi non poſſe, quomodo ex conſcientia & repræſentatione de re ipſa, in ſe ſpectata, judicari quidquam, ac ſtatui poſſit; & cum Egoiſtæ dubitantes de rebus omnibus extra ſe poſitis ſolum in mente ſua, ejusque exiſtentia & conſcientia ſecure conquieſcerent; Kantius ultra progreſſus per Egoiſmum tranſcendentalem, *ſuum Ego Kantianum* in phænomenon transformat. Quid cum tali homine conficies diſputando? Fatetur, *ſubjectum* conſcientiæ & apperceptionis eſſe ſimplex, quod in ſubjecta plura dividi minime poſſit: *objectum*

ctum esse simplex, inficiatur, quasi cum ipse de se cogitat, aliud cogitationis subjectum esset, aliud objectum, aut cogitatio sine omni objecto, de quo cogitatur, concipi posset.

*) *Seite* 812. So scheinbar auch der vermeintliche Beweis der einfachen Natur unserer denkenden Substanz aus der Einheit der Apperception seyn mag, so steht ihm doch die Bedenklichkeit unabweislich entgegen, dass da die absolute Einfachheit doch kein Begriff ist, der unmittelbar auf eine Wahrnehmung bezogen werden kann, sondern als Idee bloss geschlossen werden muss, gar nicht einzusehen ist, wie mich das blosse Bewusstseyn, welches in allem Denken enthalten ist, oder wenigstens seyn kann, ob es zwar so fern eine einfache Vorstellung ist, zu dem Bewusstseyn und der Erkenntniss eines Dinges überführen solle, in welchem das Denken allein enthalten seyn kann.

§. 163. In tanto numero sophismatum, quæ de substantia & natura animæ coacervantur in Critice kantiana, fieri non potuit, quin ipsa colliderentur, & pugnarent inter se. Primo sic habetur: apodictica, atque adeo identica enuntiatio est hæc: *Ego, qui cogito, cogitando nunquam non subjectum sum, minime autem sic spectari possum, ac si instar prædicati rei alteri tantum inhærerem.* *) Paulo post statuitur in hunc modum: in propositione hac: *Ego cogito tanquam subjectum, non determinatur, utrum tanquam subjectum duntaxat, & non etiam ut prædicatum existere, & spectari possim;* hinc notio subjecti logice sumenda est, manetque indeterminatum, utrum ea pro substantia, an secus, sumi debeat. **) Deinceps in nota subjungitur: propositio hæc: *Ego cogito*, empirica est, con-

continetque in ſe hanc alteram *ego exiſto*; dici autem non poteſt: *omne, quod cogitat, exiſtit*, ſecus facultas (proprietas) cogitandi naturas omnes, quibus convenit, efficeret neceſſarias. (neceſſario exiſtentes) Exiſtentia igitur mea tanquam identica cum propoſitione hac: *ego cogito*, ſpectari debet, non tanquam concluſa per rationem: ſecus omne, quod cogitat, exiſteret neceſſario, ut generatim dicendum eſſet, *omne, quod cogitat, exiſtit.* ***) Reſp. Hæc ſcilicet nova eſt, omniumque ſubtiliſſima Kantii philoſophia, ut quod poſuit, mox tollat: quod ſuſtulit, illud ponat: *Si ipſe de me cogitem, neceſſario ſubjectum ſum, nec inſtar prædicati eſſe poſſum*; idque certum eſt apodictice. Et: propoſitio: *ego cogito, non definit, utrum ſubjectum ſim, an prædicatum rei alterius.* Si Kantius categorias Ariſtotelis exſcripſiſſet, nec corrupiſſet eaſdem aptando ad hypotheſin tranſcendentalem, didiciſſet ſane ex prima mox categoria ſubſtantiæ, aliam dici ab Ariſtotelicis ſubſtantiam *primam & principalem* (quæ eſt ſingularis, individua, omnimode determinata) *quæ neque de ſubjecto aliquo dicitur, neque in ſubjecto aliquo eſt*, uti Petrus, Paulus, Bucephalus. Hæ ſunt primæ ſubſtantiæ; quia ſunt prima ſubjecta, quæ neque ſunt in ſubjecto, neque dicuntur de ſubjecto, ſed ſubſtant omnibus, quæ ſunt in ſubjecto, vel dicuntur de ſubjecto. Talis eſt ea ſubſtantia, quæ exprimitur pronomine *Ego*, quæ inſtar prædicati eſſe non poteſt. Secundæ ſubſtantiæ non individua ſunt, ſed ſpecies & genera, in quibus inſunt & continentur primæ ſubſtantiæ, cujuſmodi ſunt *homo*, *animal*. Atque hæ proprie non ſunt in ſubjecto, ſed dicuntur de ſubjecto.; homo enim

non

non est in Petro tanquam in subjecto, sed dicitur de Petro tanquam de subjecto. Sed, inquit Kantius, dici non potest: *omne, quod cogitat, existit*; secus existeret necessario. Putida hæc est verbi ambiguitas, eaque duplex: quod *posse* cogitare concipio, non ob id etiam existere sumitur; secus est, si concipiam, quidpiam *actu* cogitare; sed nunquid propterea, si actu cogitat, existit *necessario*? necessitate hypothetica: si actu cogitet; neque enim non existens cogitare potest. Similia tironibus logices proponuntur in propositione hac: *omne currens existit*.

*) Seite 407, Dass ich, der ich denke, im Denken immer als Subject, und als Etwas, was nicht bloss, wie Prädicat, dem Denken anhänge, betrachtet werden kann, gelten müsse, ist ein apodictischer und selbst identischer Satz.

**) S. 419. Weil in dem Satz, ich denke als Subject, nicht bestimmt wird, ob ich nur als Subject, und nicht auch als Prädicat eines andern existiren, und gedacht werden könne; so ist der Begriff eines Subjects hier bloss logisch genommen, und es bleibt unbestimmt, ob darunter Substanz verstanden werden solle, oder nicht.

***) S. 422. Das ich denke, ist ein empirischer Satz, und hält den Satz, ich existire, in sich. Ich kann aber nicht sagen: Alles, was denkt, existirt; denn da würde die Eigenschaft des Denkens alle Wesen, die sie besitzen, zu nothwendigen Wesen machen.

§. 164. Conscientia intima, sensusque animi & certissima unitas apperceptionum neminem dubitare sinunt, esse se principium cogitationum affectionumque internarum permanens, actuosum, quod varias mutationes intellectus voluntatisque recipiat.

cipiat. At enim fingere, istiusmodi constantem unitatem principii provenire ab artificioso *schemate*, & *fictione heuristica* ad inveniendam effectuum unitatem excogitata; idque in rudibus etiam & imperitis, incultisque hominibus, id, inquam, fingere, inane effugium est ab omni veri specie non minus remotum, ac si omnes homines inventores & compositores modorum musices esse fingerem. Fit tamen hoc ipsum a Kantio, qui artificioso schemati, seu principio regulativo adscribit totum id, quod de uno principio actionum, mutationumque internarum ipso naturæ suæ sensu docentur homines. Addit etiam Kantius: si non de schemate quopiam, sed ipsa de anima hominis quæreretur, utrumne spiritualis naturæ sit, eam quæstionem plane inanem & significationis vacuam expertemque fore; quia notio rei spiritualis non corpoream tantum, sed omnem plane naturam tolleret, scilicet prædicata omnia, quæ per experientiam comprobari possent, proindeque etiam conditiones, quæ necessariæ sunt, ut notionis objectum quoddam concipiatur; solo autem objecto fit, ut significationem habeat proposita quæstio. *) Sed crassissimus est error Kantii, objectum exhiberi nullum, nisi externis sensibus; quamquam id ipsum dein ad phænomena, merasque repræsentationes detorqueat solo retento ignoto x, ne Idealistarum somniis, stultitiæque aperte adjungere se videretur. Alii autem Philosophi de natura humanæ mentis disputantes statuunt primo, naturam esse principium operationum, iisdem penitus consentaneam: dein *spiritum* appellant non quamcunque substantiam cogitantem, sed quæ intellectu & voluntate polleat, proindeque operationes habeat a sensibus &

phan-

phantasia per se haud pendentes, ut adeo spiritualitas mentem hominis non modo a materia, sed etiam a bestiis, quarum omnis cognitio & appetitio ab organis, rebusque sensibilibus pendet, longissime segreget. De operationibus vero illis sensu intimo, eoque perspicuo minimeque incerto edocti, ita disserunt: Mens hominis hoc etiam mortali statu, quo corpus & impressiones rerum extranearum magnopere officiunt perfectiori operandi modo, plurimas operationes habet, actionesque edit penitus independentes ab adminiculo corporis, sensuumque. Nam intelligendo, ratiocinando atque etiam appetendo extra sphæram sensibilium rerum longe egreditur, resque ab omni materia segregatas, earumque essentias, ordines, perfectiones, nexus, & relationes, dein veritatem, honestatem, virtutem contemplatur, rebus æternis & cælestibus inhiat, sensuum illecebras æque ac molestias, & acerbissimos cruciatus contemnit, in Deo, ejusque infinita perfectione attentionem, amoremque figit, & beatitatem a sensibus remotissimam appetit, & quærit. Inter hasce operationes & organa corporis nulla est connexio, quæ quidem in natura harum operationum vel ipsius mentis contineretur. Nihil sensus conferunt, ut quis sensuum voluptates aspernetur, vel molestias quærat virtutis causa: nihil phantasia, ut quis ejus ludibria & blandimenta respuat: nihil ulla res sensibilis, ut quis omnia, quæ sub sensus cadunt, oblivisci velit, & penitus fastidiat: nihil totum corpus, ut quis ejus destructionem etiam desideret, ipsumque dissolvi cupiat. Hæ quidem operationes tanto intervallo non modo a corporibus & materia, sed a bestiis quoque mentem humanam removent, ut eam cum summo etiam

&

& infinito ſpiritu conjungant ; neque ſi ea rebus ſenſibilibus adhæreſcat ſæpenumero, propterea potentiam perfectius operandi, & naturam ſuam exuit. Cum igitur operationes humanæ mentis principium iisdem conſentaneum nempe ſpirituale exhibeant manifeſto, ejusdemque mentis propriæ ſint ; ſequitur, ut inſolens, penitusque temerarium Kantii aſſertum ſit, omnem naturam tolli, ſi ſpiritualis natura tribuatur humanæ menti.

*) Seite 712. Die pſychologiſche Idee kann auch nichts anders, als das Schema eines regulativen Begriffs bedeuten. Denn wollte ich auch nur fragen, ob die Seele nicht an ſich geiſtiger Natur ſey, ſo hätte dieſe Frage gar keinen Sinn. Denn durch einen ſolchen Begriff nehme ich nicht bloſs die körperliche Natur, ſondern überhaupt alle Natur weg, daſs iſt, alle Prædicate irgend einer möglichen Erfahrung, mithin alle Bedingungen, zu einem ſolchen Begriffe einen Gegenſtand zu denken, als welches doch einzig, und allein es macht, daſs man ſagt, er habe einen Sinn.

§. 165. De ente ſimplici generale dogma metaphyſicum eſt, illud oriri non poſſe, niſi ex nihilo producatur, ſive creetur, neque interire, niſi abeat in nihilum, cum partibus omnino careat. Sed Kantius, ut demonſtrationem de immortalitate animorum impugnaret quoquo modo, aut obſcuraret, data etiam eorum ſimplicitate, gradus tamen realitatis in hominis anima concipi poſſe opinatur, quorum *remiſſione* eadem *elangueſcere*, & paulatim *evaneſcere* poſſet. Verum hoc etiam ex categoriis Ariſtotelicis diſcere poterat, ſubſtantiam non capere magis & minus, quod ſolis qualitatibus proprium eſt, uti obſervat Ariſtoteles in categoria

goria ſubſtantiæ. *) Admodum craſſa hæc eſt, & plebeia Kantii philoſophia; cum in iis rebus ipſis, quæ rudibus hominibus elangueſcere atque evaneſcere videntur, ceu in calore, igne, liquoribus ſpiritoſis, totum id fiat compoſiti totius alteratione, partium disjunctione, diſſipatione, evaporatione; quorum omnium nihil in Ente ſimplici locum habet. Sed de anima hominis dictum eſt ſatis, ut ſententiam ferat lector, Metaphyſicorum doctrinas hac quidem parte a paralogismis & vitiis tam eſſe immunes, quam ea, quæ Kantius objectat, inania penitus, & ſophismatum plena ſunt.

*) *Δοκει δε ἡ ὀυσια μη ἐπιδεχεσθαι το μαλλον και το ἡττον.*

Caput XIV.

Antinomiae a Kantio confictae in ideis cosmologicis, sive de mundo.

§. 166. Ideas de Mundo Kantius numerat quatuor. *Prima* eſt de limitibus illius relate ad ſpatium & tempus; utrum ſcilicet infinite protenſus ſit, an fines habeat, itemque utrum exiſtendi initium habuerit, an extiterit ab æterno. *Secunda* eſt de Ente compoſito ac ſimplici, utrumne compoſita ſint omnia ex aliis atque aliis partibus, an etiam ſimplicia, quæ careant partibus, debeant admitti. *Tertia* de cauſalitate neceſſaria & libera, utrum quæ contingunt in mundo, cauſis naturalibus, certaque lege agentibus, attribui poſſint univerſa, aut initium quoddam a cauſa libera debeat repeti. *Quarta* demum de contingentia & neceſſitate rerum in ſerie cauſarum mundanarum.

Mundi nomine res ſenſibiles atque extenſas comprehendit Kantius, quaſi homo, ejusque mens ſimplex, & rationis particeps non præcipua mundi pars eſſet; & cum de cauſis mundanis agit, cauſas mutationum, ſtatuumque variabilium in rebus exiſtentibus, non ipſam exiſtentiæ cauſam atque originem, quæ eſt graviſſimi momenti diſputatio, inquirit. Patet etiam binas ideas ultimas in numero coſmologicarum, ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, conditoris atque opificis rerum, debere referri.

§. 167. In hisce ideis, ſive potius in judiciis de quæſtionibus iis, quas expoſui, antinomiam, ſive pugnam ineſſe, ita contendit Kantius, ut ſententias ab omnibus prope chriſtianis philoſophis ac theologis conſtanter aſſertas *Theſin* nuncupet, oppoſitas enuntiationes autem *Antitheſin*, in hunc modum:

I. Antinomia.

Theſis.	*Antitheſis.*
Mundus relate ad tempus initium, & relate ad ſpatium fines habet. *)	Mundus relate ad tempus nullum initium, relate ad ſpatium nullos fines habet, ſed infinitus eſt quoad tempus & ſpatium.

II. An-

II. Antinomia.

Thesis.

Omnis, quæ in mundo est, substantia composita, partibus simplicibus constat; nec quidquam existit omnino, quam simplex, aut quod ex simplici compositum est. **)

Antithesis.

Nihil, quod est compositum in mundo, partibus simplicibus constat, neque quidquam simplex omnino existit in mundo.

III. Antinomia.

Thesis.

Non sola est in mundo causalitas secundum naturæ leges, ex qua universa ejus phænomena repeti possunt; sed ad hæc explicanda necesse præterea est, ut causalitas ex libertate, seu a causa libera proveniens assumatur. ***)

Antithesis.

Nulla est libertas, sed quod in mundo contingit, absolute fit secundum naturæ leges.

IV. Antinomia.

Thesis.	*Antithesis.*
Est quidpiam ad mundum pertinens, quod tanquam ejus pars, aut causa, Ens est simpliciter necessarium. ****)	Nullum existit uspiam Ens simpliciter necessarium vel in mundo, vel extra mundum tanquam ejusdem causa.

*) Seite 454. Die Welt hat einen Anfang in der Zeit, und ist dem Raume nach auch in Gränzen eingeschlossen. — Die Welt hat keinen Anfang, und keine Gränzen im Raume, sondern ist sowohl in Ansehung der Zeit, als des Raums unendlich.

**) Seite 462. Eine jede zusammengesetzte Substanz in der Welt besteht aus einfachen Theilen, und es existirt überall nichts als das Einfache, oder das, was aus diesem zusammengesetzt ist. — Kein zusammengesetztes Ding in der Welt besteht aus einfachen Theilen, und es existirt überall nichts Einfaches in der Welt.

***) Seite 472. Die Causalität nach Gesetzen der Natur ist nicht die Einzige, aus welcher die Erscheinungen in der Welt insgesammt abgeleitet werden können. So ist noch eine Causalität durch Freyheit zur Erklärung derselben anzunehmen nothwendig. — Es ist keine Freyheit, sondern Alles in der Welt geschieht lediglich nach Gesetzen der Natur.

****) Seite 480. Zu der Welt gehört Etwas, das, entweder als ihr Theil, oder ihre Ursache, ein schlechthin nothwendiges Wesen ist. — Es existirt überall kein schlechthin nothwendiges Wesen, weder in der Welt, noch ausser der Welt, als ihre Ursache.

§. 163.

§. 168. De his antinomiis hæc ſunt Kantii aſſerta. 1. Quælibet theſis ita pugnat cum antitheſi ſua, expenſis ſcilicet momentis rationum pro utraque parte, ut neutra inſtar certi dogmatis aſſumi, defendique poſſit. 2. Ratio humana his intenta quæſtionibus explicandis, non poteſt non incurrere in contradictionum ſcopulos. 3. Theſis perinde atque antitheſis non fuco quodam veritatis, vel artificio ſophiſtico nituntur, ſed naturalem præ ſe ferunt veri ſpeciem & illuſionem, quæ evitari non poteſt, ſed manet; quantumvis errori aliquis reſiſtat, quæque tolli non poteſt, etſi, nequis decipiatur, queat præcaveri. Quid ergo? nova ſcilicet contra receptas theſes argumenta invenit Kantius, quæ nemini philoſophorum aut theologorum adhuc in mentem venerunt? credebamus, facile diſſolvi poſſe, atque etiam explodi debere, quæ pro mundi æternitate, extenſione infinita, cauſarum naturalium ſufficientia, ac mera contingentia rerum omnium objectabantur; ſed Kantius paradoxas antitheſes ſuas tam firmas judicat, ut nihil receptis a doctiſſimis viris, diligentique diſputatione confirmatis ſententiis argumentorum vi ac firmitate cederent. Unum hoc ſi expendatur, quod ſcholæ omnes conſtanter ſteterint pro theſi, rejecta antitheſi, quis credet affirmanti Kantio, rationem humanam, cum iis intenta eſt quæſtionibus explicandis, in ſcopulos contradictionum incidere neceſſario, & nodos deprehendere inextricabiles, & naturaliter illudi, atque in errores impelli, quos evitare ſcilicet ſolus Kantius didiciſſet, & per novam criticem humanum genus doceret? juſtane ſtatera uſus eſt Kantius, ut, cum antitheſes ſuas ponderibus theſium opponeret, libramenta invenerit æqualia?

Sed is quidem fidenter loquitur, nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur, cum veritates certissimas, gravissimasque adduxisset in dubitationem; quod idem de Vellejo Epicuri assecla factitatum Cicero testatur L. 1. c. 8. de Nat. deor. tanquam ex deorum concilio & ex Epicuri intermundiis is descendisset. Sed quid moror ad trutinam revocare momenta thesium atque antithesium, ut judicium ferre ipsi demum lectores queant?

§. 169. *Thesin* primam *de origine ac finibus mundi* ex eo confirmat Kantius, quod si mundus existendi initium non habuisset, præterlapsa series statuum sibi succedentium in mundanis rebus actu jam esset infinita; quod repugnat seriei infinitæ, quæ nullo progressu temporis finiri potest. Similiter quia spatia ex assumtæ mensuræ additione seu repetitione, adeoque cum temporis progressione dimetimur, si mundus a data quavis spatii parte in infinitum protenderetur, series dimensionum actu infinita deberet concipi; quod æque repugnat. Infinitum *actu* seu *categorematicum* in quantitate tam continua quam discreta, non modo comprehendi a nobis haud posse, sed plane pugnantia involvere, acute colligunt scholastici doctores ex proprietatibus, quæ & quantitati conveniunt necessario, & rationi infiniti, siquod esse posset, convenire deberent. Ac ex ipsa notione seu ratione infiniti sequitur omnino *Primo*, ut finitum additionibus finitis nunquam infinitum evadat. *Secundo.* Ut infinitum in numero non modo infinitas unitates, sed etiam infinitos binarios, denarios, centenarios &c. adeoque numerum quemcunque determinatum infinities in se contineat. *Tertio.* Infinitum non potest utrinque

que

que clauſum eſſe terminis; ſecus tolleretur progreſſio in infinitum; adeoque infinitum extenſum non habet figuram: moveri non poteſt motu locali: non pertranſiri enumeratione ſucceſſiva. *Quarto.* Infinitum unum non poteſt eſſe majus, aut minus altero. Hæ quidem proprietates ex ipſa notione infiniti categorematici profluunt evidenter, & rationem continent, cur infinitum in quantitate, ne una quidem ex parte terminis conſtringi poſſit, ſecus eadem ex parte poſſet augeri, unumque infinitum excedere infinitum aliud. Fac enim ſeriem generationum humanarum eſſe æternam; cum homines non mox, quando nati ipſi fuere, gignendi facultatem obtineant, ſed poſteaquam adulti ſunt & corroborati; ſequitur neceſſario, ut ſeries nativitatum humanarum ſemper anterior ſit longiorque ſerie generationum; ſimiliter infinitus numerus hominum neceſſario excederetur ab infinitate oculorum, digitorum, capillorum &c. Ex quibus liquet, pugnare inter ſe ideas infiniti, & quantitatis; cum neque ratio infiniti notionem quantitatis, nec ratio quantitatis notionem infiniti tollerat; & tamen altera cum altera conſiſtere haud quaquam poſſit. Certe ratio infiniti excludit omne poſſibile incrementum, & ratio quantitatis illud neceſſario includit. Ab aſſumto temporis vel ſpatii puncto partes proximæ diſtant finite, nec ulla additione finita fit infinitum; ſi ergo nulla ab eo puncto diſtantia infinita poteſt concipi, nullum etiam tempus vel ſpatium infinitum poterit intelligi. Cum graviſſimis hisce argumentorum ponderibus, quæ pro theſi faciunt, comparanda nunc eſt antitheſis, & jactata a Kantio æquilibritas argumentorum oppoſitorum examinanda.

§. 170. *Antithesis. Mundus relate ad tempus non habet initium; relate ad spatium, quod occupat, non habet limites, sed infinitus est quoad durationem regressivam, & infinitus quoad magnitudinem atque extensionem.* Fac enim, quod habeat initium temporis; consequens erit, ut mundum præcesserit tempus, in quo mundus non erat, nempe tempus *vacuum*. At fieri non potest, ut tempore vacuo quidquam existere incipiat; quia nulla pars temporis vacui præ alia parte discrimen habet, vel conditionem quampiam, cur potius sit, quam non sit. *) Fac dein, mundum limites habere, & certis finibus undique contineri; existit ergo in spatio vacuo, quod limites non habet; unde consequens est, ut non modo relatio rerum in spatio, sed etiam relatio earundem ad spatium debeat concipi. At vero mundus est totum quoddam absolutum perfectumque, extra quod nullum objectum cujusdam intuitus, nec aliud correlatum concipi potest. Relatio ergo & ordo rerum ad spatium vacuum esset revera relatio & ordo ad objectum nullum; proindeque nihil plane. Mundus ergo relate ad spatium nullis finibus constringitur, sed infinitus plane est. **)

*) Seite 455. Man setze: Die Welt habe einen Anfang. Da der Anfang ein Daseyn ist, wovor eine Zeit vorhergeht, darinn das Ding nicht ist, so muss eine Zeit vorhergegangen seyn, darinn die Welt nicht war, d. i. eine leere Zeit. Nun ist aber in einer leeren Zeit kein Entstehen irgend eines Dinges möglich; weil kein Theil einer solchen Zeit vor einem andern irgend eine entscheidende Bedingung des Daseyns, vor der des Nichtseyns, an sich hat.

**)

**) Ebend. Man nehme an, dafs die Welt dem Raume nach endlich und begränzt ist; so befindet sie sich in einem leeren Raume, der nicht begränzt ist. Es würde also nicht allein ein Verhältnifs der Dinge im Raume, sondern auch der Dinge zum Raume angetroffen werden. Da nun die Welt ein absolutes Ganzes ist, aufser welchem kein Gegenstand der Anschauung, und mithin kein Correlatum der Welt angetroffen wird, womit dieselbe im Verhältnifs stehe, so würde das Verhältnifs der Welt zum leeren Raume ein Verhältnifs derselben zu keinem Gegenstand seyn; ein dergleichen Verhältnifs aber, mithin auch die Begränzung der Welt durch den leeren Raum, ist nichts; also ist die Welt dem Raume nach, gar nicht begränzt, d. i. sie ist in Ansehung der Ausdehnung unendlich.

§. 171. Sed hæc quidem cum pondere argumentorum theseos non modo non æquantur, sed levia plane sunt, & inania. Quis enim vel leviter tinctus metaphysicis principiis nescit hæc dinstinguere: ante mundum conditum erat tempus, nempe ante *reale* tempus concipi *possibile* & *imaginarium* tempus & potest, & solet ab omnibus. Similiter de spatio differendum est, quemadmodum C. 5 & 6. dictum est satis. Epicurei philosophi mundum spatio & tempore pariter infinitum faciebant, seu potius mundos fingebant infinitos, & ex aliis philosophis, qui initium quoddam mundi videbantur asserere, sciscitari solebant, cur non citius, quam ipsi ponerent, a diis ædificatus fuerit mundus? unde Vellejus apud Ciceronem L. 1. c. 9. de Natur. deor. Ad Lucilium Balbum stoicum, & Cottam academicum ita fatur: „Ab utroque sci-„scitor, cur mundi ædificatores repente extiterint:

„innumerabilia ſecula dormierint. Non enim, ſi „mundus nullus erat, ſecula non erant. Secula „nunc dico, non ea, quæ dierum noctiumque nu„mero annuis curſibus conficiuntur. Nam fateor, „ea ſine mundi converſione effici non potuiſſe. Sed „fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam „nulla temporum circumſcriptio metiebatur, ſpa„tio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non poteſt: „quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit „tempus aliquod, nullum cum tempus eſſet.“ Hoc nimirum eſt, quod in omni quantitate, in tempore, ſpatio, magnitudine, numero appellamus infinitum *potentia*, ſive ſyncategorematicum, quod partibus conſtat ſemper finitis, ſed indefinite, ultra omnes limites determinate aſſignabiles, creſcere, augerique poſſe intelligitur, quin ullo ſpatio aut limite conſtringatur ſic, ut augeri non poſſe, debeat concipi. Sed inquit Kantius, nulla pars iſtiusmodi temporis vacui diſcerni ab alia poteſt; Reſpondeo: temporis & ſpatii generatim repræſentati nullas eſſe partes actuales, ſed mere poſſibiles, quæ pro libitu deſignantur, in confeſſo eſt apud omnes, & reipſa agnoſcitur a Kantio, dum animadvertit, in rebus aliis (quæ partibus conſtant actualibus, uti eſt corpus, aut artefactum) totum dari, eo quod partes ſint datæ; at in tempore & ſpatio, ex toto partes dari. *) In tempore igitur & ſpatio poſſibili deſignari poſſunt poſſibiles partes, per quas altera ab altera diſcernitur; ac in periodo quidem Juliana (ut hoc exemplo utar) quivis annus præcedens orbem conditum, ac reale tempus, ſuos ſingulares characteres habet, per quos ab aliis annis realibus & poſſibilibus internoſcitur. Quod autem a Kantio replicatur, tempus ac ſpatium non eſſe,

esse, nisi formam sensuum & intuitionum; qualis forma ante mundum, vel extra mundum adeo cogitari non potest, ut relatio mundi ad spatium vacuum aliud non esset, nisi relatio ad objectum nullum; respondebo ingenue, in hac formarum hypothesi totum id, quod de origine ac limitibus mundi Kantius differit, stolidissimam omnium disputationem videri; perinde ac si de ætate boum, quas Pharao vidit in somnio, aut quales fuerint, cum vituli extitissent, litigare instituerem.

*) S. 466. Den Raum sollte man eigentlich nicht compositum, sondern totum nennen; weil die Theile desselben nur im Ganzen, und nicht das Ganze durch die Theile möglich ist.

§. 172. Infirmitas antitheseos non videtur effugisse animadversionem Kantii; hinc in adnotationibus antinomiæ adjectis id agit, ut de firmitate ac pondere theseos detrahat, quo nimirum jactitatum rationum oppositarum æquilibrium obtineret. Ait igitur, dogmaticos doctores (sic eos appellat, qui de luculentis gravissimisque veritatibus sceptice dubitandum esse negant) deceptrice infiniti notione uti, cum infinitum esse dicant magnitudinem seu quantitatem, qua major esse nulla potest: at enim notio infiniti (inquit) non maximum quoddam continet, neque id, quam magnum sit, sed solam exprimit relationem ad unitatem pro arbitrio assumtam, ad quam si referatur, majus est omni numero: vera ac transcendentalis notio infinitatis in eo consistit, quod successiva dimensio, aut synthesis unitatum in dimensione quanti nullum habere finem possit; ex quo ipso multitudo unitatum major omni numero pro-

provenire intelligitur. *) Respondeo 1. Si dogmaticorum notio cum kantiana conferatur, in idem recidit utraque, faceturque Kantius, ex eo, quod successiva dimensio quanti infiniti finem habere haud possit, consequi, ut multitudo unitatum sit major omni numero, sive ut dogmatici loquuntur, ut infinitum quantum sit magnitudo, qua major esse nulla potest, nam magnitudinem cujuscunque extensionis, successionis, rerumque omnium ex partibus compositarum ope numerorum definimus; cum assumtam pro arbitrio magnitudinem tanquam unitatem bis, decies, centies, ac toties repeti posse perspicimus, quoties libuerit, ita ut nullum *necessarium* limitem seu finem habere locum intelligamus. Resp: 2. Edicat Kantius, quid intersit inter hæc duo: *datum infinitum est majus omni numero:* & est *maximum quoddam in suo genere*? Resp. 3. Infiniti notio, inquit, non quantitatem continet, sed solam relationem ad unitatem pro arbitrio assumtam; utique generalis notio infiniti quantitatem non continet; sed infiniti notio applicata ad quantum extensum in spatio, & ad quantum successivum in tempore, certe quantitatem continet; neque enim infiniti notio quantitatem tollere potest, si ad quantitatem applicatur: neque notio quantitatis, si infinita sumitur, notionem infiniti debet excludere. Sed hoc ipso, quod quanti & infiniti notio conjungantur, mox pugna deprehenditur, ut si quantum sit, infinitum esse non possit: si infinitum: nequeat esse quantum. Resp. 4. Miror rationem formalem infiniti in sola relatione ad unitatem pro arbitrio assumtam reponi a Kantio; cogitare enim debuerat, nullam esse infiniti ad finitum proportionem seu relationem; unitas enim

assumta

assumta sine dubio finita est, quæ evanescit relata ad infinitum. Resp. 5. Sophisma Kantii in eo maxime consistit hoc loco, quod notionem transcendentalem infiniti ponat primo communem tum infinito categorematico, quod est *infinitum actu*: tum infinito syncategorematico, quod est *infinitum potentia*: dein ab infinito syncategorematico, quod possibile esse omnes agnoscunt, ipsaque immortalitas animorum palam facit, ad possibilitatem infiniti categorematici, quale efficeret mundus ab æterno existens, & infinite protensus, lectorem deducat. Sane utrique infinito commune est id, quod successiva dimensio, aut synthesis unitatum in dimensione finem habere haud possit. At palmarium quoddam, & memorabile discrimen est inter utrumque. Nam *categorematicum*, seu *infinitum actu* dicitur, quod vel actu habet infinitam in omni genere perfectionem, nempe Deus; vel actu habet aut successive habuit partes infinitas, ceu spatium & magnitudo mundi infinita: series generationum, aut mutationum quarumcunque infinita. *Syncategorematicum* seu *infinitum potentia* est, quod secundum ea, quæ actu habet, aut successu temporis habuit, semper est finitum, & infinitum secundum id tantum, quod habet in potentia; quia partibus jam positis addi possunt plures, aliæque plures in infinitum, ita scilicet, ut nunquam tot partes dentur, vel determinate assignari queant, quin plures supperaddi possint, ob quam causam nuncupatur *finitum sine fine*, quia datis vel determinate assignatis quotcunque partibus nunquam dici vere potest: *nunc omnes partes, aut totum infinitum extitit;* contra ac in infinito categorematico dici vere deberet.

*)

*) Seite 458. Ein nach der Gewohnheit der Dogmatiker fehlerhafter Begriff: Unendlich ist eine Grösse, über die keine grössere (d. i. über die darinn enthaltene Menge der gebenen Einheit) möglich ist. — Dieser Begriff stimmt nicht mit dem, was man unter einem unendlichen Ganzen versteht. Es wird dadurch nicht vorgestellt, wie grofs es sey, mithin ist sein Begriff auch nicht der Begriff eines Maximum, sondern es wird dadurch nur sein Verhältnifs zu einer beliebig anzunehmenden Einheit, in Ansehung deren dasselbe grösser ist, als alle Zahl, gedacht. —— Der wahre transcendentale Begriff der Unendlichkeit ist: dass die successive Synthesis der Einheit in Durchmessung eines Quantum niemals vollendet seyn kann. Dieses enthält dadurch eine Menge (von gegebener Einheit) die grösser ist, als alle Zahl; welches der mathematische Begriff des Unendlichen ist.

§. 173. In secunda antinomia thesis & antithesis non contradictorie opponuntur inter se, sed contrarie: *omnis substantia composita ex simplicibus constat; nihil, quod est compositum, ex simplicibus constat.* Dein eo progreditur Kantius, ut antithesi sua simplicitatem non materiæ elementis tantum, atque iis, quæ sensus externos afficiunt, sed menti quoque humanæ, cujus conscii sensu intimo efficimur, penitus adimat. Thesis est hæc: *omnis, quæ in mundo est substantia composita, partibus simplicibus constat: nec quidquam existit omnino, quam simplex, aut quod ex simplici compositum est.* Nam partes compositi, cum sint substantiæ, per se subsistunt, earum conjunctio non est, nisi relatio accidentalis, pertinens ad statum externum, ergo mente & cogitatione tolli potest ea conjunctio ac compositio; quo facto non existent substantiæ

tiæ compoſitæ, quia omnis compoſitio ſublata eſt: ergo exiſtent ſubſtantiæ ſimplices; aut nihil omnino neque ſimplex, neque compoſitum exiſtere intelligetur. Ita quidem Kantius diſſerit, ſimulque adnotat, de ſubſtantiis realibus tantum valere demonſtrationem; quia ſpatium non conſtat ex punctis tanquam partibus, nec compoſitum eſt, niſi ideale fortaſſis: & quia accidentia ſubſtantiarum, aut gradus intenſionis in mutationibus rerum per ſe non ſubſiſtunt, nec partes reales conſtituunt. Addi a Metaphyſicis ſolet, partes corporum, etſi ultra dividi in minores poſſint, quam ſenſu, aut imaginationis vi comprehendi a nobis queat, tamen non eſſe realiter diviſſibiles in infinitum, ſecus quævis materiæ portio e. g. regula lignea bipalmaris, partibus conſtaret categorematice infinitis; uti enim ſi in mille partes dividetur, re ipſa partes mille contineret: ſic continet infinitas, ſi dividi in infinitas poſſet; quis devorabit abſurda omnia, quæ in quanto infinito inſunt? præſertim cum limites habeat (§. 169.) data regula, & parte quidem utraque, proindeque punctum aliquod habeat utrinque, quod in minora dividi non poſſit; ſecus id non totum & limitem pertineret, ſed interior pars referenda eſſet ad id, cujus limes eſt pars exterior.

§. 174. Antitheſis prima eſt hæc: *Nihil, quod eſt compoſitum in mundo, ex partibus ſimplicibus eſt compoſitum*, & confirmatur in hunc modum: fac, partes primas eſſe ſimplices, erunt eædem ſimul compoſitæ: quod repugnat. Nam omnis externa relatio, proinde etiam omnis compoſitio ſubſtantiarum intelligi non poteſt, niſi in ſpatio; quot ergo partes habet compoſitum, totidem partes habeat

beat

beat ſpatium, quod ab iis occupatur, neceſſe eſt. At ſpatium non componitur ex ſimplicibus partibus, ſed ex aliis ſpatiis minoribus; quævis ergo compoſiti pars ſpatium occupat. At partes compoſiti, quæ primæ ſunt, ſimplices ſunt: igitur partes ſimplices ſpatium occupant. Porro omne id, quod eſt reale & ſpatium occupat, plura variaque continet extra ſe poſita, & conſequenter compoſitum eſt, non ex accidentibus (quæ ſeparatim atque extra ſubſtantiam eſſe non poſſunt) ſed ex ſubſtantiis; ſimplex ergo ex ſubſtantiis eſt compoſitum; quod ſane repugnat. *) Ad hanc infringendam, elevandamque antitheſin kantianam neceſſe non eſt, philoſophorum diſputationes: de natura principiorum corporis, eorumque formali aut virtuali extenſione ac diviſibilitate, aut ſingulorum a ſingulis diſtantia quadam, retexere hoc loco. Satis eſt, quod habeamus fatentem Kantium, a Monadiſtis, qui nimirum ſubſtantias agnoſcunt, præter mathematica puncta (quæ Zenonica vocantur in ſcholis) agnoſci puncta phyſica, quorum *aggregatione* ſpatium repleatur, eorumque argumenta valitura, ſi de ſubſtantiis atque elementis ſubſtantiarum, quales ſunt in ſe ipſis, non de ſubſtantiis phænomenis ageretur. **) Atqui, inferent Monadiſtæ, nos de ſubſtantiis atque elementis ſubſtantiarum, quales ſunt in ſe ipſis, agimus; neque enim idealiſmum kantianum, quo præter ignotum x, alia omnia ad meras repræſentationes detorquentur, ſuſtineri poſſe cenſemus ab eo, qui quod intime atque ex animi ſententia judicat, enuntiare aperte voluerit. Valent ergo fatente Kantio, argumenta eorum, qui puncta phyſica agnoſcunt, quorum aggregatione ſpatium repletur.

*)

*) 463. Weil alles äuſserliche Verhältniſs, mithin auch alle Zuſammenſetzung aus Subſtanzen nur im Raume möglich iſt: ſo muſs, aus ſo viel Theilen das Zuſammengeſetzte beſteht, aus eben ſo viel Theilen auch der Raum beſtehen, den es einnimmt. Nun beſteht der Raum nicht aus einfachen Theilen, ſondern aus Räumen. Alſo muſs jeder Theil des Zuſammengeſezten einen Raum einnehmen. Die ſchlechthin erſten Theile aber des Zuſammengeſetzten ſind einfach; alſo nimmt das Einfache einen Raum ein. Da nun alles Reale, was einen Raum einnimmt, ein auſſerhalb einander befindliches Mannigfaltiges in ſich faſst, mithin zuſammengeſetzt iſt, und zwar als ein reales Zuſammengeſetztes, nicht aus Accidenzen (denn die können nicht ohne Subſtanz aus einander ſeyn) mithin aus Subſtanzen; ſo würde das Einfache ein ſubſtanzielles Zuſammengeſetztes ſeyn; welches ſich widerſpricht.

**) Seite 469. Wären ſie Dinge an ſich ſelbſt, ſo würde der Beweis der Monadiſten allerdings gelten.

§. 175. Antitheſis ſecunda: *Nihil omnino ſimplex exiſtit in mundo*, eam vim habet, quod nulla experientia, nulla animadverſione ſenſus externi vel interni comprobari poſſit id, quod ſimplex dicitur, ut proin repræſentatio ſimplicis, partus ſit ſolius rationis, ſive *idea*, cui nulla experientia reſpondet, quæque nec ad phænomena, nec ad objectum ullum accomodari poſſit; nam ad objectum quoddam applicata talem requirit ejusdem objecti intuitum empiricum, qui abſolute nihil contineret varium, & multiplex atque ex pluribus ad unitatem redactum; talem autem intuitum nequidem conſcientia intima homini præbet de ſua ipſius mente; etſi enim in illo intuitu conſcientiæ intimæ nihil multiplex &

 varium

varium exhibeat; tamen ex eo concludi nequit, absolute impossibile esse, ut alius quidam objecti intuitus contineat multiplex, variumque. *) Efficit hoc quidem conscientia sui ipsius, ut, cum subjectum cogitans simul sit *objectum* cogitationis, se ipsum dividere in plura nemo possit. At si illud subjectum extrinsecus spectatur, tanquam objectum intuitus, sine dubio uti compositum appareret. **) Equidem non video, quid absurdius excogitari possit his Kantii verbis, queis simplicitatem humanæ mentis tollit, aut certe quidem in dubium vocat. Negat, ex conscientia reflexa, qua unum idemque cogitandi principium, quod est in nobis, intime animadvertimus, ipsam mentis simplicitatem posse ratione confici. At ostendi §. 157. & seq. quam facili planaque via id conficiatur, objectisque Kantii feci satis. Fatetur, intuitu intimo nostri ipsorum simplicitatem atque unitatem principii cogitantis, quod una subjectum est cogitationis & objectum exhiberi; at si extrinsecus spectaretur idem principium, tum appariturum ait, tanquam compositum. Quid ergo? an materiam esse vult hominis animam, & materiatam, quæ oculis corporis possit conspici? an vero, cum ipse de me cogitando simplicitatem principii cogitantis facile intelligam, aliter de aliorum mentibus judicare debebo? atqui ipse Kantius docet, ad alios transferri necessario ea, quæ ipse de me ex conscientia intima edoctus sum. Conferantur verba Kantii in nota prima §. 151.

*) Seite 463. Der zweite Satz der Antithesis, dass in der Welt gar nichts Einfaches existire, soll hier nur soviel bedeuten, als: es könne das Daseyn des schlechthin Einfachen aus keiner Erfahrung,

rung, oder Wahrnehmung weder äufserer, noch innerer, dargethan werden, und das fchlechthin Einfache fey alfo eine blofse Idee — — oder es müfste die empirifche Anfchauung irgend eines Gegenftandes als eine folche erkannt werden, welche fchlechthin kein Mannigfaltiges aufserhalb einander, und zur Einheit verbunden enthält. Da nun von dem Nichtbewufstfeyn eines folchen Mannigfaltigen auf die gänzliche Unmöglichkeit deffelben in irgend einer Anfchauung eines Objects, kein Schlufs gilt, diefes letztere aber zur abfoluten Simplicität durchaus nöthig ift; fo folgt, dafs diefe aus keiner Wahrnehmung, welche fie auch fey, könne gefchloffen werden.

**) Seite 471. Es bringt alfo nur das Selbftbewufstfeyn es fo mit fich, dafs, weil das Subject, welches denkt, zugleich fein eigenes Object ift, es fich felber nicht theilen kann. — — Nichts deftoweniger, wenn diefes Subject äufserlich, als ein Gegenftand der Anfchauung, betrachtet wird, fo würde es doch wohl Zufammenfetzung in der Erfcheinung an fich zeigen.

§. 176. III. Antinomiæ hæc eft thefis: *Caufalitas fecundum naturæ leges non eft in mundo, ex qua univerfa ejus phænomena repeti poffunt; fed ad hæc explicanda neceffe præterea eft, ut caufalitas ex libertate, feu a caufa libera proveniens affumatur.* Demonftratio hujus thefeos plena, perfpicuaque captu difficilis haud eft. Fac enim, nullam effe in mundo caufalitatem, nifi fecundum naturæ leges; tum certe, quidquid in mundo contingit, ex præcedente ftatu fecundum certas naturæ leges confequetur neceffario; at etiam præcedens ftatus, ex quo præfens neceffario confequitur, habuit ortum, & aliquando non fuit; fecus id, quod ex eo confequitur, non nunc demum eveniret; caufa

ergo, ex qua consequitur præsens, etiam ipsa ex alio præcedente statu consecuta est; at de hoc præcedente statu similiter differendum est, atque ita deinceps.* Si ergo nulla est, nisi naturæ causalitas, consistens in præcedente statu, nulla pariter erit causa, nisi subalterna vel subordinata, nulla causa prima, absolute sufficiens, proindeque nulla adæquata & completa sufficientia totius seriei causarum. At vero est hæc ipsa naturæ lex, ut absque sufficiente, a priori determinata causa evenire nihil possit; *) assumenda est ergo causa effectrix, cujus nulla est ulterior causa ex naturæ legibus repetenda, id est, absoluta *spontaneitas* seu potestas ex se ac per se inchoandi seriem causarum secundum naturæ leges deinceps se se consequentium; secus tota series statuum mundi & phænomenorum nullam habet causarum sufficientiam plenam, completam & absolutam. Ita quidem Kantius quoad rem. Sed animadverte *primo*. Non agitur hic de origine & productione rerum ipsarum, sed de statibus & mutationibus earundem jam productarum & existentium; uti si de præsenti statu horologii, ejusque motu, ac certo situ indicis, non de ipsa ejus constructione vel artifice quærerem; tum quidem statum motumque præsentem consequi ex statu motuque præcedente, atque hunc ipsum ex alio præcedente consecutum fuisse intelligo, sed nulla neque præsentis, neque ullius præcedentis ratione plena, completa & absoluta, nisi ad causam cogitando perveniam, quæ primum statum motumque ita determinavit, ut ipsa non determinata fuerit ab alia præcedente causa. *Secundo. Primus* status, motusque sumitur non ratione temporis, & ordine numerandi, sed ratione causalitatis, & sufficientiæ ple-

næ,

næ, completæ & absolutæ. Fuere enim, qui mundum productum quidem & productum ex nihilo, sed ab æterno produci potuisse opinarentur; in qua hypothesi perveniri ad primum statum motumque ordine numerandi haud posset. *Tertio.* Quia causarum & statuum omnium, ut absolute & reipsa existere intelligantur, necessaria est sufficientia plena, completa & absoluta, & quidem ex certissima perspicuaque naturæ lege est necessaria, idcirco inquirendo eandem spectatur series *regressiva* causarum & statuum, non *progressiva*, id est, de statu præsenti & de præcedentibus, non de futuris quæritur; uti idem exemplo horologii manifestum est. *Quarto.* Huc maxime pertinet dictum Kantii, quod is quidem ad superiores etiam antinomias adhibet: *dato conditionato datur summa totalis conditionum*, proindeque id, quod simpliciter absolutum, non conditionatum est. Ideam *absoluti* nunc ad rationem, nunc ad intellectum refert, sic ut ratio notionem ab intellectu efformatam, atque ad experientiam, & res sensibiles necessario alligatam ultra omnem experientiam extendat, atque ad res minime sensibilies transferat, donec quod absolutum, atque ab omni conditione liberum est, deprehendat. **)

*) Seite 474. Nun besteht aber eben darinn das Gesetz der Natur, dass ohne hinreichend a priori bestimmte Ursache nichts geschehe.

**) Die Vernunft erzeugt eigentlich gar keinen Begriff, sondern macht allenfalls nur den Verstandesbegriff von den unvermeidlichen Einschränkungen einer möglichen Erfahrung frey, und sucht ihn also über die Gränzen des Empirischen, doch aber in Verknüpfung mit demselben zu erweitern. Dieses geschieht dadurch, dass sie zu

einem gegebenen Bedingten auf der Seite der Bedingungen — — abſolute Totalität fodert — — aus dem Grundſatze: wenn das Bedingte gegeben iſt, ſo iſt auch die ganze Summe der Bedingungen, mithin das ſchlechhin Unbedingte gegeben, wodurch jenes allein möglich war.

§. 177. Antitheſis kantiana ut poſſit percipi, prænotandum eſt, libertatem a kantianis duplicem nominari, unam *practicam*, quæ in pugna ſenſuum & rationis ſe exerit; alteram *metaphyſicam* & *tranſcendentalem*, quæ ſita eſt generatim in immunitate a neceſſitate naturæ, ſive a determinatione ad unum, quæque proin eſt facultas ſe ipſum determinandi, novamque actionum ſeriem inchoandi, poſitis nempe omnibus ad agendum requiſitis; qua de re libro ſecundo agam diſtinctius. His jam præmiſſis contra ſuperiorem theſin reclamat Kantius in hunc modum: *Nulla eſt uspiam in mundo libertas, ſed quidquid contingit, abſolute fit ſecundum naturæ leges.* Fac enim, eſſe libertatem ſenſu tranſcendentali, ſive ſingulare genus cauſalitatis, quo eventus mundani poſſint effici, id eſt, facultatem ſimpliciter inchoandi ſtatum, ſeriemque conſecutionum; tum nonmodo ſeries eventuum, ſed etiam cauſalitas, ſive facultatis illius aut ſpontaneitatis ad agendum determinatio ita incipiet ſimpliciter, ut nihil præcedat, ex quo ſecutura actio certis legibus determinetur. At enim omne agendi initium ſtatum cauſæ necdum agentis prærequirit, & dynamicum, ſive ex vi ſpontanea agendi, initium contineret ſtatum, qui ex præcedente ejusdem ſpontaneitatis ſtatu minime conſequitur, ſive nullam cauſalitatis connexionem cum illo haberet. Tranſcendentalis ergo libertas oppoſita eſt legi cauſalitatis, tollit

tollit unitatem experientiæ, ipsa nullam experientiam admittit, & consequenter inane est ens rationis. *) Quis inanem hanc verbositatem non explodat penitus? Libertas opposita est legi causalitis nempe naturalis, id est, libertas Dei vel hominum non subjacet causalitati & necessitati naturæ; concedo. Libertas Dei vel hominum tollit etiam universe causalitatem, indeque pendentem ordinem naturæ: id vero nego. Fallit Kantius & fallitur sophismate, quod *petitio principii* & *ignoratio elenchi* nuncupatur; hæc ipsa nempe est in præsenti quæstio, utrum præter causas naturales & necessarias detur causa quæpiam libera, naturæ legibus soluta in iis, in quibus libere agit. Si de materia, & substantia spirituali haberetur disputatio, atque unus sic dissereret; substantia spiritualis opposita est materiæ, ejusque naturæ; nulla igitur est substantia spiritualis; quis ferat concludentem hoc modo, cum hoc ipsum sit, quod disceptari debet? Naturæ quidam causalitatem ac leges necessarias ab experientia sensuum externorum discimus rationis ope: similiter libertatis vim & facultatem ab experientia sensus intimi edocemur pariter rationis ope: alia est conditio corporeæ naturæ, alia mentis sive substantiæ spiritualis intellectu & voluntate exornatæ.

*) Seite 473. Setzet, es gebe eine Freyheit im transcendentalen Verstande, als eine besondere Art von Causalität, nach welcher die Begebenheiten der Welt erfolgen könnten, nämlich ein Vermögen einen Zustand, mithin auch eine Reihe von Folgen desselben, schlechthin anzufangen; so wird nicht allein eine Reihe durch diese Spontaneität, sondern die Bestimmung dieser Spontaneität, selbst zur Hervorbringung der Reihe, d. i.

die Caufalität wird fchlechthin anfangen, fo dafs nichts vorher geht, wodurch diefe gefchehende Handlung nach beftändigen Gefetzen beftimmt fey. Es fetzt aber ein jeder Anfang zu Handeln einen Zuftand der noch nicht handelnden Urfache voraus, und ein dynamifch erfter Anfang der Handlung einen Zuftand, der mit dem vorhergehenden eben derfelben Urfache gar keinen Zufammenhang der Caufalität hat, d. i. auf keine Weife daraus erfolgt. Alfo ift die tranfcendentale Freyheit dem Caufalgefetze entgegen, und eine folche Verbindung der fucceffiven Zuftände wirkender Urfachen, nach welcher keine Einheit der Erfahrung möglich ift, die alfo in keiner Erfahrung angetroffen wird, mithin ein leeres Gedankending.

§. 178. In adnotationibus ad thefin & antithefin illud maxime reprehendit Kantius, quod per thefin illam, qua caufa prima ordine naturæ & caufalitatis affumitur, inveftigatio naturæ, caufarumque ulteriorum perquifitio abrumpatur, eo tantum commodi ftudio, ut intellectus acquiefcere loco quodam, & quodam modo otiari valeat. Refp. 1. Stultiffimum & inaniffimum laborem imponit Kantius, dum eo, quo ipfe vult, modo in perquirendis caufis progredi nos jubet; quod quidem evidentiffime demonftrabo. Propofita quæftio, refciffis aliis omnibus, id unum continet, ut ftatuum mundanorum continua ferie fefe confequentium caufæ effectrices inveftigentur. Hinc duo funt tantum de quovis ftatu *a*, qui datus eft, exquirenda: utrum ftatus *a* pendeat ab alio ftatu, vel non pendeat ab alio ftatu: dein utrum ex ftatu *a* pendeat alius ftatus: aliæ quæftiones omnes a propofito argumento penitus alienæ funt. Poffibiles ergo funt quatuor tantum veluti termini:

1. Sta-

1. Status *a* pendet ab alio ſtatu.
2. Status *a* non pendet ab alio ſtatu.
3. Ex ſtatu *a* pendet alius ſtatus.
4. Ex ſtatu *a* non pendet alius.

Et quia de quovis ſtatu duo, ut dixi, ratione cauſalitatis exquiri poſſunt, hi quatuor termini velut in binarios combinari debent. Porro ex algebra novimus, numerum combinationum poſſibilium ſtrictarum in binarios æqualem eſſe dimidio facto ex numero terminorum in eundem numerum unitate multatum. Sit numerus terminorum m, æqualis 4 in *dato* caſu. Erit numerus omnium ſtatuum poſſibilium $= \frac{m.\overline{m-1}}{2} = \frac{4.\,3}{2} = 6$

Ex his bini ſtatus ipſa contradictione ſeſe tollunt, nimirum

1. *Status a pendet ab alio ſtatu. Status a non pendet ab alio ſtatu.*

2. *Ex ſtatu a pendet alius ſtatus. Ex ſtatu a non pendet alius ſtatus.* Tertius ſtatus nullam penitus cauſalitatem exprimit, proindeque inutilis eſt ad propoſitum:

3. *Status a non pendet ab alio ſtatu. Ex ſtatu a non pendet alius ſtatus.* Super ſunt tres ex omnibus poſſibilibus, qui ſpectari poſſunt, ſcilicet quartus ordine:

4. *Status a non pendet ab alio ſtatu. Ex ſtatu a pendet alius ſtatus.* Atque hic ex demonſtratione theſeos eſt *primus* ordine naturæ & cauſalitatis in ipſa ſerie ſtatuum.

5. *Status a pendet ab alio ſtatu. Ex ſtatu a non pendet alius ſtatus.* Atque hic eſt *ultimus*, ſeu præſens, qui in ſerie aſſumitur; de progreſſione enim ſeriei in futurum, docente ipſo Kantio *) nulla eſt inquirendi neceſſitas.

6. *Status a pendet ex alio ſtatu: ex ſtatu a pendet alius ſtatus.* Atque hunc appello ſtatum *medium* inter primum & ultimum; quia primam notam communem habet cum ſtatu ultimo: alterum cum ſtatu primo. Porro in propoſito themate nulla penitus alia notio vel idea cujuspiam ſtatus, niſi una ex hisce tribus occurrere poteſt: neque ordo ſtatuum eſt aribitrarius in ſerie regreſſiva, de qua agit Kantius, & de qua ſola agi poteſt in hac diſputatione; nempe ordiendum eſt a ſtatu ultimo, *qui pendet ex alio ſtatu, & ex quo non pendet, vel pendere non cogitatur alius ſtatus.* Ab hoc ultimo naturalis & neceſſario fit progreſſio ad ſtatum medium, *qui & pendet ab alio ſtatu, & ex quo pendet alius ſtatus.* Ab hoc nullus ſupereſt alius ſtatus, niſi primus, *ex quo pendet alius ſtatus & qui non pendet ex alio ſtatu* ſeriei, verum a cauſa extra ſeriem ſtatuum mundanorum, atque ex lege cauſalitatis naturalis ſeſe conſequentium conſtituta. At Kantius a ſtatu medio progredi vetat ad primum, nec tamen ſeriem uspiam terminatam ſumit. Quid ergo? idem ſcilicet ſtatus medius inaniſſimo ac ſtultiſſimo labore replicandus erit, & perpetuo replicandus? quo, obſecro, fructu, cum nulla alia notio vel cognitio in hoc regreſſu habeat locum, niſi hæc: *hic quoque ſtatus, ex quo ſubſequens pendet, pariter a priore pendet.* Fit non raro in arithmeticis operationibus, præſertim ſi fractiones communes ad de-

cimales redigantur; ut eadem nota perpetuo redeat; e. g.: $\frac{1}{3} = 0.3333$ &c. $\frac{2}{3} = 0.6666$ &c. In aliis duæ notæ alternatim ſibi ſuccedunt e. g.: $\frac{10}{11} = 0.909090.$ &c. In multis eadem notarum periodus conſtanter redit, paucioribus vel pluribus conſtans notis e. g.: $\frac{3}{7} = 0.428571$, 428571, 428 &c. atque in his caſibus diligentis ſcilicet, an ſtolidi & otioſi calculatoris eſſe dicemus, continuare operationes, & perpetuo, totosque dies actum agere, cum ſcilicet certiſſime novit, nihil aliud, quam quod præ manibus habet, ſe inventurum?

*) 438. Die regreſſive Syntheſis geht in Antecedentia, die progreſſive in Conſequentia. Die coſmologiſchen Ideen alſo beſchäftigen ſich mit der Totalität der regreſſiven Syntheſis, und gehen in antecedentia, nicht in Conſequentia. Wenn dieſes letztere geſchieht, ſo iſt es ein willkührliches, nicht nothwendiges Problem der reinen Vernunft; weil wir zur vollſtändigen Begreiflichkeit deſſen, was in der Erſcheinung gegeben iſt, wohl der Gründe, nicht aber der Folgen bedürfen.

§. 179. Hoc perfunctus labore illud nunc agam, ut percipuum Kantii ſophisma de ſerie regreſſiva protraham in lucem. Fit ea regreſſio, *ut dato conditionato inveniatur abſolutum*, completa nimirum & abſoluta ſufficientia, ex qua ſeries ſtatuum mundanorum pendet. Iſtud abſolutum, inquit, concipi poteſt modo duplici; aut enim *primo* continetur tantum in ſerie univerſa, cujus membra ſingula, nullo excepto, ſunt *conditionata*.: totalitas vero aut univerſitas ſimpliciter *abſoluta*; ac tum regreſſus vocatur *infinitus*; quia ſeries a parte priori limites vel initium non habet: tota tamen poni-

ponitur data, ſic ut regreſſus finiri nunquam poſſit, proindeque *potentialiter* infinitus ſit: aut *ſecundo* abſolutum illud eſt ſeriei pars, cui membra, ſingula ſubjecta vel ſubordinata ſunt, ipſum vero nulli alteri conditioni ſubjacet; atque hoc caſu eſt omnino aliquid primum in omni ſerie e. g. primum in diviſione aut reſolutione compoſiti, primum, nempe liberum in ſerie cauſarum naturalium, primum, idque neceſſarium in complexione rerum contingentium *) Addit Kantius: abſoluta totalitas ſeriei conditionum omnium pro dato conditionato ſemper abſoluta eſt, ſive conditionis expers; quia ultra omnes conditiones nulla eſt poſſibilis conditio, a qua pendere tanquam conditionatum poſſet. Verum abſoluta totalitas conditionum omnium in idea tantum aut potius conceptu problematico ſita eſt, cujus ipſius poſſibilitas examinari debet eo nempe fine, ut intelligi queat, abſolutum in ſerie conditionum omnium ineſſe. **)

*) Seite 445. Dieſes Unbedingte kann man ſich nun gedenken entweder als bloſs in der ganzen Reihe beſtehend, in der alſo alle Glieder ohne Ausnahme bedingt, und nur das ganze derſelben ſchlechthin unbedingt wäre; und denn heiſst der Regreſſus unendlich; oder das abſolut unbedingte iſt nur ein Theil der Reihe, dem die übrigen Glieder derſelben untergeordnet ſind, der ſelbſt aber unter keiner andern Bedingung ſteht &c.

**) Ebend. Das abſolute Ganze der Reihe von Bedingungen zu einem gegebenen Bedingten iſt jederzeit unbedingt; weil auſser ihr keine Bedingungen mehr ſind, in Anſehung deren es bedingt ſeyn könnte. Allein dieſes abſolute Ganze einer ſolchen Reihe iſt nur eine Idee, oder vielmehr ein problematiſcher Begriff, deſſen Möglichkeit

lichkeit unterſucht werden muſs, und zwar in Beziehung auf die Art, wie die unbedingte, als die eigentliche tranſcendentale Idee, worauf es ankömmt, darinn enthalten ſeyn mag.

§. 180. Ex his omnibus illud unum probari, ac concedi poteſt Kantio, non continuo ſumendum pro vero, ſed inquirendum, probandumque eſſe, in ſerie *infinita* conditionum mundanarum, nempe pendentium ab aliis aliisque conditionibus, ſive talium, quæ ſimul conditionatæ ſunt, quidpiam *abſolutum* ineſſe poſſe; nec difficile eſt, impoſſibilitatem ejus conceptus problematici ſive ut Kantius ait, ideæ tranſcendentalis deprehendere, & demonſtrare luculente. In aliis Kantii verbis ineſt ſophiſma tum *amphibologiæ*, tum *incompletæ disjunctionis*. Totalitatem conditionum omnium vocat *abſolutam*, quia omnes ſimpliciter in tota ſerie conditionum mundanarum, nulla poſſibili excepta, ſumuntur, dein ab hoc ſignificatu abſolutæ totalitatis tranſit ad ſufficientiam *abſolutam* exiſtendi ſola vi talium conditionum. Dudum permittebamus atheis, ut ſi velint, in infinitum progrediantur, colligantque abſolute omnes conditiones mundanas; in quibus eos nullam exiſtendi ſufficientiam abſolutam inventuros eſſe, tuto aſſerebamus. At ſi petant athei, aut ſi petat Kantius, ut cum abſoluta totalitate conditionum mundanarum detur abſoluta ſufficientia exiſtendi; tunc petunt id, quod eſt in quæſtione, petunt nimirum principium; quod conſenſu omnium maximum eſt in diſputando vitium. Kantius huic vitio aliud, & ſophiſmati ſophiſma incompletæ disjunctionis addit. Illud inquit, quod dato conditionato quæritur, vel continetur

tinetur *in serie universali*, etsi in membro nullo contineatur, vel *in uno membro singulari seriei*? Respondeo, nec in serie universa, nec in singulari membro seriei, sed in Ente extramundano in Ente, quod non pendet ab ullo alio, in Ente, quod rationem agendi, perinde ac existendi continet in se ipso, non extra se. Sed, infert Kantius, extra absolutam id est, completam totalitatem conditionum omnium possibilis non est ulla conditio alia. Resp. Possibilis non est ulla conditio alia *in ipsa serie*, scilicet conditio conditionata, sive pendens ab alia conditione; id concedo; possibilis non est ulla conditio alia *extra seriem*, scilicet conditio expers ulterioris conditionis, nec ullo pacto pendens ab alia conditione, istuc nego ac pernego. Ultra infinitos zeros possibilis est numerus, qui per se valorem habet, is numerus est unitas; ac si nulla est unitas, nullus erit binarius, nullus denarius, nullus centenarius &c. Zerus zero additus finities aut si mavis, infinities, nullum valorem gignit. Concipe, si ita vis, absolutam totalitatem omnium zerorum, sine unitate nullum habebit absolutum valorem; sed haberet, si extra seriem zerorum sumitur unitas. At mera conditio *nihil ponit in esse*, uti vulgo dicitur. Nihilum additum nihilo non producit quidquam reale. Ergo impossibile est, ut series infinita, cujus membra singula, nullo plane excepto, omni valore absoluto destituuntur, valorem absolutum contineat. Nec dicat Kantius, semper quidem incomprehensum, non impossibile fore, quomodo infinita series absolute existat, cum nullum ejus membrum existat absolute; *) secus dicam, non impossibile quidem, at incomprehensum esse, ut nihilum

hilum nihilo additum quidquam reale efficiat: non impossibile, sed incomprehensum esse, ut infiniti cæci videant, cum singuli penitus orbi sint lumine: ut infiniti lapides aut trunci philosophentur, singuli sint, maneantque trunci & lapides. Sed hæc quidem incidunt in quartam antinomiam, quam distinguere a tertia necesse non erat, nec ipse Kantius argumentis & tractandi ratione satis distinguere potuit.

*) Seite 477. Die Möglichkeit einer solchen unendlichen Abstammung ohne ein erstes Glied, in Ansehung dessen alles übrige blofs nachfolgend ist, läfst sich seiner Möglichkeit nach nicht begreiflich machen. Aber wenn ihr diese Naturräthsel darum wegwerfen wollt, so werdet ihr euch genöthiget sehen, viele synthetische Grundbeschaffenheiten zu verwerfen, (Grundkräfte) die ihr eben so wenig begreifen könnt.

§. 181. IV. Antinomiæ thesis hæc est: *ad mundum pertinet Ens aliquod simpliciter necessarium, quod ejusdem pars est, vel causa.* Cum id sibi proposuisset Kantius, ut thesibus dogmaticis de substantia & natura humanæ mentis, atque existentia Dei opponeret antitheses, æqualis, ut quidem jactitat, momenti, ponderisque; nunc thesi huic eum affingit significatum, qui a nemine dogmaticorum sustinetur, aut tolerari omnino potest. Sic enim inquit:

a) Mundus adspectabilis, tanquam complexio omnium phænomenorum, id est, eorum, quæ incurrunt in sensus externos, continet in se seriem mutationum.

b) Quæ-

b) Quævis mutatio, utpote exhibens ſtatum, qui tempore antecedente non erat, pendet a conditione, quæ tempore antecedit, ipſamque facit neceſſariam.

c) Siquid reipſa *datur* (tanquam exiſtens ponitur) quod a conditione pendet, tum ejus exiſtentia exigit neceſſario ſeriem conditionum eousque completam, ut habeatur quidpiam, quod eſt expers cujusvis conditionis, quodque unum proin abſolute neceſſarium eſt.

d) Hoc autem neceſſarium referri debet ad mundum ſenſibilem. Fac enim, id eſſe extra mundum, ſeriemque mutationum initium ab illo ſic ducere, ut illud ipſum non pertineat ad mundum; dico, iſtuc repugnare. Nam ſeriei initium determinari non poteſt, niſi per id, quod tempore antecedit; neceſſe eſt ergo, ut Ens illud neceſſarium, quod rationem continet, cur incipiat ſeries, exiſtat eo tempore, quo ſeries non exitit. Nam initium exiſtendi aliud non eſt, niſi exiſtentia, quam præcedit tempus, quo res nondum extitit.

e) Cauſalitas ergo neceſſariæ illius cauſæ mutationum, proindeque ipſa illa cauſa neceſſaria referri debet ad tempus, & conſequenter ad mundum ſenſibilem, ſive ad phænomena, in quibus ſolis poſſibilitas temporis tanquam forma earundem ſita eſt. Non poteſt ergo cauſa neceſſaria mutationum mundi ſegregari a mundo, qui nihil eſt, niſi complexio phænomenorum, & conſequenter ipſo mundo continetur *Ens ſimpliciter neceſſarium*, ſive hoc nomen imponatur toti ſeriei mudnanæ, ſive alicui ejusdem parti. *)

*)

*) Seite 480. Die Sinnenwelt, als das Ganze aller Erscheinungen, enthält zugleich eine Reihe von Veränderungen. — Eine jede Veränderung aber steht unter ihrer Bedingung, die der Zeit nach vorhergeht, und unter welcher sie nothwendig ist. Nun setzt ein jedes Bedingte, das gegeben ist, in Ansehung seiner Existenz, eine vollständige Reihe von Bedingungen bis zum schlechthin Unbedingten voraus, welches allein absolut nothwendig ist. — Dieses Nothwendige aber gehört selber zur Sinnenwelt. Denn setzet, es sey ausser derselben, so würde von ihm die Reihe der Weltveränderungen ihren Anfang ableiten, ohne dass doch diese nothwendige Ursache selbst zur Sinnenwelt gehörte. Nun ist dieses unmöglich. Denn da der Anfang einer Zeitreihe nur durch dasjenige, was der Zeit nach vorhergeht, bestimmt werden kann: so muss die oberste Bedingung des Anfangs einer Reihe von Veränderungen in der Zeit existiren, da diese noch nicht war. — — Also gehört die Causalität der nothwendigen Ursache der Veränderungen, mithin auch die Ursache selbst, zu der Zeit, mithin auch zur Erscheinung (an welcher die Zeit allein als deren Form möglich ist); folglich kann sie von der Sinnenwelt, als dem Inbegriffe aller Erscheinungen, nicht abgesondert gedacht werden. Also ist in der Welt selbst etwas schlechthin Nothwendiges enthalten; es mag nun dieses die ganze Weltreihe selbst, oder ein Theil derselben seyn.

§. 182. Ex his illud in primis perspicuum est, thesin sic expositam a Kantio, deductamque non esse dogmaticorum propriam, qui Divinitatem a mundo distinguunt, ac præter res sensibiles & mutationi obnoxias Ens supremum, necessarium, immutabile atque æternum agnoscunt, coluntque. Totum ergo hoc ad Spinozismum, aut Pantheismum referri debet, quo universa ethnica theolo-

gia infecta fuit, quemadmodum Eusebius animadvertit in Præparatione Evangelica. Sed insistam vestigiis Kantii:

a) Mundus complexio phænomenorum est Kantio, per phænomena nihil denotat, nisi meras repræsentationes cum incognito quodam x. Ab aliis mundus dicitur series entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum inter se connexorum. Utrovis sensu sumas, admittenda est in mundo series mutationum, & siquod admittitur Ens immutabile & necessarium, id ab universo mundo distingui, ac segregari debet.

b) Quævis mutatio pendet a conditione, quæ illam tempore antecedit, & necessariam facit. Si terminus syncategorematicus, *quævis* aut *omnis mutatio*, sumitur distributive complete, series mutationum fit infinita actu, ac tollitur id, quod sequente commate dicitur, *esse quidpiam in mundo expers omnis conditionis, quodque absolute est necessarium.* Est quædam mutatio statuum rei jam productæ & existentis: est alia, eaque summa mutatio, qua res ipsa a non esse transit ad esse. Hanc mutationem conditio vel causa præcedit tempore *vel reali, vel possibili & imaginario*, quin necesse sit, ut ipsa existat in tempore, & ita mutabilis sit, uti res mutatur, quæ a non esse ad esse transit: neque tum necesse est, ut talis mutatio dicatur *necessaria;* manet enim contingens res ipsa, uti mutatio statuum rei jam existentis absolute contingens est. Tempus reale etiam ipsum creatum est; & ante hoc tempus reale concipi potest possibile vel imaginarium præcedens conceptu, aut possibilitate, non re.

c) Siquid datur, aut existens ponitur, series conditionum debet esse completa, daturque etiam Ens independens ab omni conditione & absolute necessarium; datur hoc vel in mundo, vel extra mundum, ut dictum est supra §. 180.

d) Hoc ens necessarium referri debet ad mundum sensibilem, quia extitit tempore, quo series mutationum non extitit. Enimvero extitit Deus, cum mundus necdum existeret, sed extitit in æternitate sua, non in tempore reali, quod ante res conditas nullum erat, uti apposite scribit Boethuis l. 5. de consol. Prov. 6. *Deus conditis rebus antiquior videri non debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ.* Acute etiam eadem de re commentatur S. Augustinus Lib. XII. de Civ. Dei c. 15. & seq. *Ubi nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt.* Quia tamen a reali repræsentationum rerumque fluxu deducimus possibilem fluxum alium, quo illum realem indefinite possumus prævertere; hinc concipere non possumus tempus, quo tempus non erat; sed ut Augustinus inquit, *erat aliud tempus, quando non erat hoc tempus.* Subtiliter, adcurateque res hæc tractatur a theologis dogmaticis, cum de æternitate Dei agunt. Confer. Petavius Lib. III. theol. dogm. c. 3. & seq.

e) Causalitas Entis necessarii refertur ad tempus; ergo ipsa etiam causa, sive ens ipsum necessarium ad tempus referri debet. Ancipitem significationem causalitatis satis jam §. 11 & 12. harum disquisitionum adnotavi. Kantius autem sophisma committit, dum a causalitate passiva, nempe relata ad mutationem effectumque, transit ad causalita-

tem activam; & mutationem, tempusque reale, quod est in rebus conditis, ad conditorem transfert, contra, ac ipse affirmat in antithesi sua, uti mox dicam. Quod addit, possibilitatem temporis ex phænomenis pendere tanquam formæ eorundem, id non tantum ad idealismum transcendentalem referri debet, sed ex iis, quæ in nota adjungit, ipsi etiam idealismo repugnat. Distinguit enim in sua annotatione tempus *objectivum* a *subjectivo*; illudque ait, præcedere quasvis mutationes; istius autem repræsentationem fieri occasione perceptionum. *) Admittit ergo hoc loco cum philosophis aliis tempus reale vel possibile extra repræsentationem; cum ante docuisset multis verbis, extra repræsentationem tempus nihil esse penitus. Confer. dicta Cap. VI.

*) Seite 480. Die Zeit geht zwar als formale Bedingung der Möglichkeit der Veränderungen vor dieser objectiv vorher; allein subjectiv und in der Wirklichkeit des Bewusstseyns, ist diese Vorstellung doch nur, so wie jede andere, durch Veranlassung der Wahrnehmungen gegeben.

§. 183. Proposui thesin, quæ sensu kantiano aperte falsa est. Debebat secundum regulas logicas antithesis opponi talis, quæ esset vera; neque enim fieri potest, ut propositiones contradictoriæ, quales sunt thesis & antithesis, simul falsæ sint. Tales tamen ponuntur a Kantio, qui scilicet novum organum, contemto veteri aristotelico, se prolaturum adpromiserat. Est igitur antithesis kantiana: *non existit uspiam Ens ullum simpliciter necessarium neque in mundo, neque extra mundum, tanquam causa mundi.* Atque hæc positio

non

non modo falsa est, sed aperte atheistica; cum prior pantheismum oleret. Argumentum antitheseos hoc est. Si in mundo inesse ponitur Ens illud necessarium, tale erit vel Ens mundanum singulare, vel mundus ipse universus. Utrumque repugnat, nam Ens mundanum necessarium destitueretur omni causa contra legem dynamicam, qua mundi phænomena in tempore eveniunt. Mundus vero ipse, etsi ejus series ponatur infinita, & sine initio, tamen simpliciter necessarius & absque conditione seu causa esse non potest; cum singula mundana Entia contingentia sint, & a quadam causa vel conditione pendeant. Impossibile est, ut multitudo existat necessario, cujus pars nulla necessario existit. *) Quodsi extra mundum ponitur Ens illud necessarium, concipi debet, mutationes, earumque seriem initium ducere ab illo Ente tanquam membro supremo in serie causarum, ex quibus mutationes pendent. Ergo Ens illud aliquando inciperet agere, proindeque ejus causalitas pertineret ad tempus, & consequenter ad phænomena, scilicet ad ipsum mundum: igitur causa ipsa pertineret ad mundum; quod est contra hypothesin, qua extra mundum ea posita est. **) Adnotat Kantius: verbum *incipere* sensu duplici posse accipi, *active*, quatenus causa initium seriei statuum seu effectuum præbet; *passive*, quando causalitas ejusdem incipit; priorem sensum exprimi ait verbo *infit*: posteriorem verbo *fit*: se autem a sensu priore concludere ad posteriorem. Sed hoc apertissime refellitur ipsa argumentatione Kantii. Nam conclusio hæc est: *igitur causa ipsa pertinet ad mundum*; quæ quidem *active initium* præbet seriei mundanæ; hæc autem conclusio inde deducitur a Kantio, quia actio & causalitas tan-

 quam

quam mutatio & phænomenon ad mundum pertinet, nempe primus effectus seu *initium passive spectatum*. Non ergo ab initio activo ad passivum, sed contra a passivo ad activum progreditur conclusio kantiana; quod totum supra confutatum est. Quando ex nihilo Deus condidit res mundanas, nulla in omnipotente Deo operatio laboriosa concipi potest; at mutatio maxima contigit in rebus ipsis, quæ cum non existerent, nec existendi rationem continere in se possent, eam extrinsecus acceperunt, atque existere cæptæ sunt.

*) 481. Das Daseyn einer Menge kann nicht nothwendig seyn, wenn kein einziger Theil derselben ein an sich nothwendiges Daseyn besitzt.

**) Ebend. Setzet, es gebe eine schlechthin nothwendige Weltursache ausser der Welt, so würde dieselbe, als das oberste Glied in der Reihe der Ursachen der Weltveränderungen, das Daseyn der letzteren, und ihre Reihe zu erst anfangen. Nun müsste sie aber alsdenn auch anfangen zu handeln, und ihre Causalität würde in die Zeit, eben darum aber in den Inbegriff der Erscheinungen d. i. Welt gehören. Folglich sie selbst, die Ursache, nicht ausser der Welt seyn, welches der Voraussetzung widerspricht.

§. 184. In argumento Cosmologico, quo a contingentia statuum mundanorum ad Ens absolute necessarium, & causam primam extramundanam progredi solent dogmatici, vitium inesse, & saltum fieri concludendo, objicit Kantius. Proposita enim serie mutationum, assumtoque regressu secundum empiricas causalitatis leges, non debebat series deseri, & transcurri ad Ens extra seriem constitutum. Fit autem vulgo hic saltus ab uno genere ad aliud

aliud dispar, (μεταβασισ ἐις το αλλο γενος) dum ex mutationibus mundanis concluditur primo contingentia empirica statuum, sive dependentia istorum a caussis empiricis, lege caussalitatis agentibus; quod quidem recte fit: posteaquam autem nullum seriei initium, nec supremum aut primum in ea membrum deprehenditur, tum ab empirica notione contingentiæ transcurritur ad categoriam puram, & seriem non jam empiricam, sed intelligibilem, cujus totalitas aut sufficientia completa unice innititur caussæ absolute necessariæ, nullis adstrictæ conditionibus, aut legibus empiricis. Hac igitur, inquit Kantius, argumentandi forma saltus fit, vitium committitur. *Empiricam* autem contingentiam vocat dependentiam mutationum, seu statuum variabilium a caussis, eosdem status empirice, sive secundum leges caussalitatis determinantibus. Contingentiam vero *intelligibilem*, aut ex categoria pura desumtam, in eo sitam esse docet, quod posito quocunque statu, possibilis sit alius oppositus status. Atqui, ait, ex empirica contingentia non potest intelligibilis inferri. Siqua enim sit mutatio, tum status huic mutationi oppositus revera existit alio tempore, proindeque possibilis est alio tempore; at istuc non indicat possibilitatem status oppositi hoc tempore. Sit status corporis moti = a; status quiescentis = — a, seu non a. Ex eo, quod statum a sequatur status non a, haud concluditur, statum a esse contingentem, ejusque oppositum possibilem; nam ut istuc concludi posset, illud oporteret ostendi, quod eo ipso tempore, quo datur status a, locum haberet status non a. **)

*) Seite 484. Wenn man einmal den Beweis cosmologisch anfängt, indem man die Reihe von Erscheinungen, und den Regressus in derselben nach empirischen Gesetzen der Causalität zum Grunde legt: so kann man nachher davon nicht abspringen, und auf Etwas übergehen, was gar nicht in die Reihe als ein Glied gehört. — — Gleichwohl hat man sich die Freyheit genommen, einen solchen Absprung (μεταβασις εις το αλλο γενος) zu thun. Man schloss nämlich aus den Veränderungen in der Welt auf die empirische Zufälligkeit, d. i. die Abhängigkeit derselben von empirisch bestimmenden Ursachen, und bekam eine aufsteigende Reihe empirischer Bedingungen, welches auch ganz recht war. Da man aber hierin keinen ersten Anfang, und kein oberstes Glied finden konnte, so gieng man plötzlich vom empirischen Begriffe der Zufälligkeit ab, und nahm die reine Categorie, welche alsdann eine bloss intelligibele Reihe veranlasste, deren Vollständigkeit auf dem Daseyn einer schlechthin nothwendigen Ursache beruhete, die nunmehr, da sie an keine sinnliche Bedingungen gebunden war, auch von der Zeitbedingung, ihre Causalität selbst anzufangen, befreyet wurde.

**) Seite Ebend. Zufällig im reinen Sinne der Categorie, ist das, dessen contradictorischer Gegentheil möglich ist. Nun kann man aus der empirischen Zufälligkeit auf jene intelligibele gar nicht schliessen &c.

§. 185. Argumentum Kantii dogmaticis objectum ex ingenti verborum cumulo collegi diligentia & fide maxima, nequid in disputatione tam gravi dissimulasse viderer. Nunc pro dignitate rei sic respondendum est, ut nihil obscurum, ambiguumve relinquatur, quod me præstiturum certo confido. Inprimis nego, saltum inesse in argumentatione

tione dogmaticorum. Duo ſunt, in quibus convenimus cum Kantio; nec diſſentientem quemque ſanum habere poſſumus. 1. Datur ſeries mutationum, a legibus & cauſis empiricis pendens, tanquam conditionatum a conditione. 2. Quia ea ſeries datur tanquam abſolute exiſtens, neceſſe eſt, ut completæ ſint conditiones, habeaturque abſolutum, ubicunque id ſit, aut undecunque proveniat. His præmiſſis, conceſſisque de *abſoluto illo, ubicunque poſito aut undecunque proveniente* oboritur disjunctio, quæ completa eſſe debet, nullum ut membrum deſit. Dico, illud abſolutum aut eſt in Ente ſingulari ſeriei, aut provenit ex ipſa ſerie, ejusque infinitate, aut demum repetendum eſt ab Ente extra ſeriem. Plura disjunctionis membra nec Kantius dinumerat; rejicit enim Epicureorum caſum. Dogmatici demonſtrant evidenter: *primo*, abſolutum illud non contineri in Ente ſingulari ſeriei; quia omnis mutatio, nulla excepta, ſive omnis conditio a legibus & cauſis empiricis pendet, tanquam conditionatum a conditione. *Secundo* demonſtrant, abſolutum illud non provenire ab ipſa ſerie, ejusque infinitate; quia in ſingulis nulla ex parte ineſt. Ex additione plurium non alia prædicata nova accedunt compoſito, niſi *relativa*, quorum nempe ratio in ipſa additione aut compoſitione continetur: nulla vero *abſoluta*, ex additione & compoſitione minime pendentia, quæque a ſingulis additis eſſentialiter excluduntur; cujusmodi prædicatum eſt, *exiſtere abſolute ſine omni conditione.* Nequit enim additio vel compoſitio partium eſſentiam earundem immutare vel tollere. Hisce demonſtratis legitime concluditur, abſolutum illud, ſi datur ſeries conditionatorum reipſa exiſtens, repetendum eſſe ab

Ente extra feriem conftituto, idque concluditur pari firmitate & evidentia, ac fi, pofita hac disjunctione: angulus a vel eft minor, vel æqualis, vel major angulo b, demonftratum effet, angulum a non effe minorem, non effe æqualem angulo b, concludi deberet: ergo angulus a eft major angulo b. At enim hac concludendi forma abrumpuntur, inquit Kantius, leges empiricæ, fitque faltus ex ferie phænomenorum ad Ens tranfcendentale extra feriem. Refp. Si Kantius petit, ut in ferie hæream, quærendo abfolutum illud, quod pro data conditionatorum ferie neceffarium eft, ftultum & inanem inquirendi laborem petit; (§. 178. n. 6.) petit, ut disjunctio de inquirendo abfoluto fit incompleta & vitiofa; petit, quod in quæftione eft, utrum fcilicet, fi feries conditionatorum ponatur infinita, abfolutum, quod quæritur, obtineatur. Enimvero fecundum certiffimas regulas logices, atque ab omnibus approbatas in omni recta divifione neceffarium eft, tum ut membra divifionis fint differentia inter fe, & aliquo modo oppofita, tum ut fint completa, nequod defit, atque etiam proxima & immediata. Si dein ab uno divifionis membro tranfitur ad aliud difpar, atque adeo oppofitum, quis faltum fieri hoc tranfitu unquam affirmavit, etfi inferiora fingula, prioribus membris fubjecta, fingilatim non fuerint enumerata; quod, cum infinita fint, fieri non poteft. Sic Kantius a categoriis fuis mathematicis tranfit ad dynamicas, quin nominatim recenfuerit contenta fub mathematicis: a categoricis judiciis tranfit ad hypothetica, ad disjunctiva, ad modalia, non enumeratis infinitis individuis fub unoquoque communi termino comprehenfis: denique a phænomenis tranfit ad tranfcendentale fuum x, qui eft tran-

tranſitus omnium maximus. Num idcirco de vitioſo ſaltu accuſari ſe patietur? Oſtendi ſupra, poſita ſerie etiam infinita ſtatuum, non eſſe poſſibiles ſtatus diſpares, niſi tres, ultimum, medium, primum. Si ab ultimo ad medium, a medio ad primum tranſitur, ſaltum vitioſum nobis objici, ſcilicet patiemur?

§. 186. Eſt alia etiam cauſa, ſupra propoſita (§. 184.) ob quam ſaltum nobis objectat Kantius; a notione empirica contingentiæ ad intelligibilem nempe tranſilimus. At ego conſtanter nego, contingentiæ notionem a Kantio *empiricam* cenſeri, & nuncupari poſſe; quia 1. notio libertatis, in qua maxime ineſt contingentia actuum, Kantio haudquaquam empirica eſt, ſed tranſcendentalis; igitur ab experientia ſenſus interni derivare nequit notionem contingentiæ. An ab externo ſenſu, quem maxime ſequitur de mundo adſpectabili differens? haud ſane: nam 2. empiricæ repræſentationes ſenſu externo proveniunt, quatenus objecta ſenſibilia afficiunt organa ſenſuum; quero, utrum contingentia rerum Kantio appareat colorata, rubra ſcilicet, aut flava vel generis iſtius, an acute ſonans vel graviter, bene an male olens, dulcis an amara, frigida an calida? Quis contingentiæ notionem ſenſibus externis adſcripſit unquam? 3. Negat Kantius expreſſe, neceſſitatis notionem ab experientia poſſe proficiſci; atque ob eam cauſam prioritates ſuas confinxit; quomodo ergo notio contingentiæ, quæ directe oppoſita eſt neceſſitati, in kantiana hypotheſi ab experientia oriri poterit? 4. Contingentiam empiricam appellat Kantius, quatenus quivis ſtatus a conditione aut cauſa præcedente ita pendet,

det, ut ſine cauſa poſſibilis eſſe non intelligatur. *) At in eadem hypotheſi kantiana notiones *cauſæ* & *poſſibilitatis* haud ſunt empiricæ; quomodo ergo notio contingentiæ empirica cenſeri a Kantio, & nuncupari poterit? Ex his quidem ſatis perſpiciet acutus lector, totum hoc, quod de empirica atque intelligibili notione contingentiæ profertur a Kantio, non eſſe, niſi novum inanium vocabulorum apparatum, abhorrentem a conſecutione doctrinæ kantianæ, ſed excogitatum videlicet ad circumveniendos eos, qui ideas a vocibus diſtinguere, atque idearum originem inveſtigare non didicerunt.

*) 488. Die Veränderung beweiſet nur die empiriſche Zufälligkeit, d. i. daſs der neue Zuſtand für ſich ſelbſt, ohne eine Urſache, die zur vorigen Zeit gehört, gar nicht hätte ſtatt finden können, zu Folge dem Geſetze der Cauſalität.

§. 187. Inſtat Kantius in hunc modum: Ex contingentia empirica nequit concluſio inferri de contingentia intelligibili. Si enim ſtatum motus tempore uno ſequatur ſtatus quietis tempore alio, ob id ſtatus motus non poteſt contingens cenſeri, niſi oſtendatur tempore eodem, quo corpus movetur, poſſibilem eſſe quietem: ac tempore eodem, quo corpus quieſcit, poſſibilem eſſe motum. Ne abſurdum omnino videatur hoc dictum Kantii, quaſi potentiam ſimultatis ſtatuum oppoſitorum exigeret, non ſolam ſimultatem potentiæ vel poſſibilitatis, illud ego ſic interpretor, ac declaro exemplo obvio: poſſibilis eſt in homine ſtatus ſanitatis, poſſibilis ſtatus valetudinis penitus deſtructæ. Si hoc ultimo ſtatu ponas hominem, eumque ipſum ſtatum appelles contingentem, neceſſe habes oſtendere,

dere, nunc fieri posse, ut pro isto statu, qui a præcedentibus causis pendet, status sanitatis habeat locum; quod nisi ostenderis, statum morbi contingentem vocitare haud potes. Mens ergo Kantii hæc est: mutationes rerum, & statuum variationes non sunt argumento contingentiæ eorundem statuum. Nam quo tempore præsens est status a, dici potest necessarius, non contingens; & quo tempore obtinet status oppositus b, hic ipse censeri potest necessarius, non contingens; cum uterque a causis præcedentibus pendeat necessario. Fallacia dicti kantiani in eo est, quod necessitatem absolutam, immutabilem & metaphysicam confundat cum necessitate physica ex naturalibus causis proveniente. At vero hæc physica necessitas, ex naturalibus causis proveniens, non tollit absolutam contingentiam, & mutabilitatem effectuum. Qui destructa valetudine extremos spiritus jam ducit, eo statu est, ut oppositus status sanitatis tum quidem naturaliter locum non habeat; absolute tamen is etiam status est contingens; cum natura hominis ex se æque ad statum sanitatis, quam morbi determinari possit, & uterque ex causis naturalibus quidem sequatur necessario, sed mutabilibus, nec vi penitus insuperabili agentibus. Quodsi Kantius omnem necessitatem ex naturalibus causis provenientem pro absoluta & insuperabili habeat, incidit reipsa in fatum stoicum, quo ex sempiterna & immutabili causarum naturalium serie evenire omnia immobili rerum ordine censentur; ac præterea non obscure tollit possibilitatem miraculorum contra certissimam fidem historicam, quæ de illis ad manum nobis est. Apertius ea de re loquitur in tractatu de religione solius rationis finibus constricta, ubi miraculum cum Spinoza

noza definit: eventum esse in mundo, cujus causa legibus nobis incognitis operatur, additque: si ponamus permittere Deum, ut natura certis casibus a suis legibus deflectat, tum vero deficit nos, semperque defectura est omnis cognitio ejus legis, qua istiusmodi eventus Deus constituit: ratio quodammodo delumbatur, impediturque a studio progrediendi in natura secundum notas leges sine spe ulla novæ cujuspiam legis cognoscendæ. *) Ad præsens institutum meum illud duntaxat pertinet, quod de contingentia empirica scribit Kantius. Eam in mutabilitate rerum ex causis & legibus naturæ pendente collocat, putatque, cum necessitate absoluta posse consistere, nempe tali, ut posito statu quodam, ejus oppositus pro tempore illo possibilis haud sit. Dico: variationes statuum absolutæ eorum contingentiæ certissimo argumento sunt. Nam metaphysica seu absoluta necessitas, quæ illi contingentiæ opponitur, in solis rerum essentiis sita est, & principio contradictionis nititur tota. Siqua res mutatur, statusque varios & oppositos subit, fieri non potest, ut ratio eorum statuum in ipsa essentia contineatur, quæ tam certo immutabilis est, ac certum est illud: *quodlibet est, quod est.* Necessitas physica, ex causis & legibus naturæ orta, absolutæ contingentiæ statuum variabilium non obest; quia admodum finitæ sunt vires naturalium causarum, quæ vi majore ac divina sine negotio superari possunt.

*) Im Tractate über die Religion innerhalb den Gränzen der blofsen Vernunft. Ausgabe Frankfurt und Leipzig 1793. Seite 110. Wenn man aber fragt: Was unter dem Worte *Wunder*, zu verhen fey, fo kann man fie dadurch erklären, — — dafs

dafs fie Begebenheiten in der Welt find, von deren Urfache uns die Wirkungsgefetze fchlechterdings unbekannt find, und bleiben müffen. — — Nehmen wir aber an, dafs Gott die Natur auch bisweilen, und in befonderen Fällen von diefen ihren Gefetzen abweichen laffe: fo haben wir nicht den mindeften Begriff, und können auch nie hoffen, einen von dem Gefetze zu bekommen, nach welchem Gott alsdenn bey Veranftaltung einer folchen Begebenheit verfährt. — — Hier wird nun die Vernunft, wie gelähmt; indem fie dadurch in ihrem Gefchäffte nach bekannten Gefetzen aufgehalten, durch kein neues aber belehrt wird, auch nie in der Welt davon belehrt zu werden hoffen kann.

§. 188. Expofitis jam quatuor antinomiis, earumque firmamentis & infirmationibus, lectoris eft, utriusque partis expendere momenta, & difpicere, utrumne æqualis ponderis, uti vult Kantius, & thefes & antithefes fint, ac non potius explodi penitus, atque exfibilari debeat totum id, quod contra graviffima dogmata de finibus hujus mundi, & exiftendi initio, de limitata materiæ quantitate, de libertate perinde ac neceffitate caufæ primæ, quæ quidem dogmata firmiffimo jam dudum, ac prope communi doctorum hominum confenfu accepta, confirmataque funt, in contrariam partem excogitari ab Atheis, Scepticisve, & proferri in medium poteft. Kantius inexplicabilem rationis pugnam in argumentis utrinque oppofitis ineffe comminifcitur, quæ finiri aliter nequaquam poffit, nifi affumto idealifmo tranfcendentali, qui unus diffolvendis nodis hisce gordiis accommodatus fit, ob eamque caufam mirifice confirmari, commendarique debeat. *)

*)

*) Seite 534. Man kann aus dieser Antinomie, einen wahren, zwar nicht dogmatischen, aber doch critischen, und doctrinalen Nutzen ziehen: nämlich die transcendentale Idealität der Erscheinungen dadurch indirect zu beweisen, wenn jemand etwa an dem directen Beweise in der transcendentalen Aesthetik nicht genug hätte. Der Beweis würde in diesem Dilemma bestehen. Wenn die Welt ein an sich existirendes Ganzes ist: so ist sie entweder endlich oder unendlich. Nun ist das erstere sowohl, als das zweite falsch (laut der oben angeführten Beweise der Antithesis einer, und der Thesis andererseits). Also ist es auch falsch, dass die Welt (der Inbegriff aller Erscheinungen) ein an sich existirendes Ganzes sey, woraus denn folgt, dass Erscheinungen überhaupt ausser unseren Vorstellungen Nichts sind; welches wir eben durch die transcendentale Idealität derselben sagen wollten.

§. 189. Ratio kantiana dirimendi causam inenodabilem ope Idealismi transcendentalis hæc est. Si dicas, *Mundus est infinitus*: *mundus non est infinitus*, mundumque sumas pro re vere existente, qualis est in se ipsa, utique necesse est, ut altera enuntiatio ex binis pugnantibus vera, altera falsa sit. At si ex doctrina Idealismi transcendentalis neges, mundum (utpote complexionem phænomenorum) esse rem quampiam in se ipsa, extra repræsentationes nostras existentem; tum vero utraque enuntiatio falsa est, dicique potest: *mundus nec infinitus est*, (quia regressus in serie phænomenorum nunquam est absolutus) *nec est finitus*; quia semper ultra regredi in serie repræsentationum possumus. Neque contradicunt duo hæc: *cogito, mundum esse infinitum*: *cogito, mundum non esse infinitum*.*) Similiter siquod compositum non sumitur pro re, qualis

qualis in se est, sed pro phænomeno, quod in sola repræsentatione situm est, dici vere poterit: *multitudo partium in dato phænomeno nec finita est, neque infinita;* quia phænomenon non est res in se existens, ac partes non dantur, nisi regressu, quo partes resolvuntur; qui quidem nunquam absolvitur, proindeque nec infinitus est, nec finitus. **)

*) Seite 532. Läugne ich, dass die Welt ein Ding an sich selbst sey, so verwandelt sich der contradictorische Widerstreit beyder Behauptungen in einen bloss dialectischen (apparenten) und weil die Welt gar nicht an sich (unabhängig von der regressiven Reihe meiner Vorstellungen) existirt; so existirt sie weder als ein an sich unendliches, noch als ein an sich endliches Ganzes.

**) Seite 533. Daher werde ich auch sagen müssen: die Menge der Theile in einer gegebenen Erscheinung ist an sich weder endlich, noch unendlich; weil Erscheinung nichts an sich selbst existirendes ist, und die Theile allererst durch den Regressus der decomponirenden synthesis, und in demselben gegeben werden; welcher Regressus niemals schlechthin ganz, weder endlich, noch als unendlich gegeben ist.

§. 190. Hoc scilicet erat acutissimum inventum critices kantianæ, ut Idealismum, nescio, an fanatismum obtruderet hominibus doctrinæ cupidis. Animadverti jam supra, si, sublata veritate rerum, totum ad repræsentationes detorquetur, stolidissimam esse disputationem, quæ de mundi finibus, atque origine instituitur. At nisi arripiatur idealismus transcendentalis, inquit Kantius, thesibus se objiciunt pares antitheses, ut adeo hac quasi indirecta via aditum invenire is debeat. Sic nempe in cir-

culo obambulat novus præceptor logices. Ex difficultatibus per antitheses ortis Idealismum suum confirmat, & ex Idealismo difficultates omnes contra thesin quamvis pro antithesi quavis depromit. Cur enim spatium mundanum, ac tempus negat habere limites? quia spatium & tempus non est, nisi forma sensuum & intuitionum; qualis ante mundum concipi nulla potest. §. 171. Cur dein composita nullis constant simplicibus elementis? quia constarent haud dubie, si de substantiis atque elementis substantiarum, quales hæ sunt in se ipsis, ageretur; at agitur de substantiis phænomenis secundum idealismum nempe transcendentalem §. 174. Cur nulla est uspiam causa libera, sed naturæ legibus eveniunt universa? quia causa libera experientiæ non subjacet, nec conditionibus temporis est adstricta. §. 177. Cur denique nullum uspiam Ens necessarium est admittendum? quia a contingentia empirica, legibus empiricis & conditionibus temporis obnoxia, nequit transcurri ad seriem intelligibilem iis legibus & conditionibus solutam. §. 184. Ita Kantius ex hypothesi sua difficultates obmovet thesibus, & ex iisdem difficultatibus dein hypothesin suam stabilire conatur. Quis est circulus vitiosus, si iste non est?

§. 191. Unum addam, quod thesibus cosmologicis præterea objectat Kantius de *ignava ratione*, quo nomine denotat quodvis assumtum principium, dictumve exprimens finem impositum inquisitioni naturæ, ut adeo acquiescere debeat ratio, quasi absoluto penitus negotio. *) Ignava igitur ratione sunt ex mente Kantii, qui animam hominis statuunt simplicem, ad quam functiones affectionesque

que internas referunt universas, nihil ultra requirentes, aut qui in statuum mundanorum inquirendis causis ad causam primam, eamque liberam, ac necessario existentem transiliunt, in eaque conquiescunt, abrupta causarum naturalium pervestigatione. Ex ignava hac ratione fieri opinatur, ut principia regulativa, quæ pro concipienda effectuum unitate excogitari ab humano intellectu solent, pro constitutivis habeantur, quasi existeret reipsa id, quod intellectus commodo quodam suo, & systematis causa comminiscitur.

*) Seite 717. Der erste Fehler, der daraus entspringt, daſs man die Idee eines höchsten Wesens nicht bloſs regulativ, sondern (welches der Natur einer Idee zuwider ist) constitutiv braucht, ist die faule Vernunft. Man kann jeden Grundsatz so nennen, welcher macht, daſs man seine Naturuntersuchung, wo es auch sey, für schlechthin vollendet ansieht, und die Vernunft sich also zur Ruhe begiebt, als ob sie ihr Geschäfft völlig ausgerichtet habe.

§. 192. Culpam ignavæ rationis a Kantio impactam vix sine indignatione accipient viri boni ac solertissimi indagatores veri. Ergone Philosophi omnium ætatum, qui ex conditis rebus ad cognitionem, accuratamque demonstrationem primi conditoris rerum progressi sunt, itemque Theologi innumerabiles iisdem usi argumentis, ignava ratione fuerunt? Qui nempe sensibus inhærent toti, actuosæ & sagacis rationis sunt: qui ad celsiora & superna sese erigunt, ignavæ? At ego ignaviam majorem nullam concipere animo possum, quam si humana ratio tam validis excitata argumentis a terrestribus hisce & mundanis rebus ad cælestem opificem re-

nuat assurgere. Actuosa scilicet est ratio, dum ab effectibus mundanis ad causas mundanas, ab his ad alias, aliasque mundanas regreditur. At quamprimum his recurrentibus iisdem, minimeque sufficientibus, ad causam primam absolutamque eluctatur, tum repente ignava fit judicante Kantio. Quid igitur præcipit Kantius, ut agat humana ratio, ne ignaviæ accusetur? nempe ut iterum iterumque & absque fine & requie sic cogitet: status ultimi præsentisque A causa est status prior: hujus causa itidem prior: istius vero itidem prior; atque ita perpetuo, nulla enim alia notio aut cogitatio quæstionem cosmologicam de causa seriei statuum ingreditur. Quod potest inanius esse otium occupatione hac kantiana? Si loco ullo aut tempore acquiescit ratio, quasi absoluto opere, perfectaque naturæ inquisitione, tum ignava est ex sententia Kantii. Equidem non ignoro, multa nobis in naturæ cognitione, quemcunque fecerimus in ea progressum, discenda superesse, semperque fore; nec dubito, quin ultra eum modum, quem adhuc attigimus, progressura sit solers posteritas, nisi kantianis prioritatum umbris & inanissimis hypothesibus a recta philosophandi via, receptisque a Neutono legibus deduci se sinat. Sed alia est naturalis, seu physicæ disciplinæ ratio, alia notionum metaphysicarum, principiorumque constitutio. Hæc valde generalia sunt, & objecta sua completis notionibus definiunt, & divisionibus perfectis seu adæquatis ita exhauriunt, ut tuto acquiescere possit ratio, tanquam absoluto negotio, quod præ manibus habet. Atque id ipsum a nemine philosophorum majore opera factum est, quam a Kantio, qui omnia plane notionum, & judiciorum & syllogismorum possi-

poſſibilium formas in critice ſua collegiſſe ſe, ac comprehendiſſe opinatur, atque adeo categoriis ſuis, earumque anguſtis cancellis omnem intelligentiæ humanæ vim & facultatem ſe conſtrinxiſſe gloriatus eſt; quod merito Tittelius notavit in opuſculo de kantianis cogitandi formis, ſeu categoriis. *)

*) Seite 10. 11. Nach Kant ſollen dieſe Categorien ſoviel urſprünglich eigne, reine, und von aller vorgegangenen Erfahrung völlig unabhängige Erzeugniſſe des Verſtandes ſeyn; und was noch mehr, ſie ſollen die abſolute Menſur des Verſtandes ausmachen: ſo daſs dadurch der Verſtand völlig erſchöpft, und ſein Vermögen dadurch gänzlich ausgemeſſen iſt, (Crit. Seite 105.) In der That iſt dieſs doch wohl der allerkühnſte Gedanken, der je eine Menſchenſeele angewandelt hat, nicht nur den wirklichen Vorrath der Verſtandeserkenntniſſe, ſondern ſelbſt auch das ganze Verſtandesvermögen rund und nett durch ein Duzend Categorien, d. i. ſo viel oben herein (a priori) dem Gemüthe eingelegte Begriffe, völlig zu umſchlieſsen.

§. 193. Negare igitur, aut in dubium vocare nequit Kantius, quin fixis notionibus certis, aptisque diviſionibus ac principiis conſtitutis, res propoſita tam perfecte comprehendi in metaphyſica poſſit, ut acquieſcere valeat ratio, nec ultra quidpiam poſſit deſiderare. Exemplum hujusce rei multo accuratius, quam a Kantio in categorica tabula factum eſt, dedi ſupra §. 178. de poſſibili numero ſtatuum diverſorum in ſerie mutationum naturalium mundi. Si prohibet Kantius in progreſſione cauſarum effectuumque curſum ſiſtere, & tempore locoque nullo conſiſtere patiatur rationem, ſed progredi jubeat in infinitum, niſi ignava audire velit,

debebat primo cum philoſophis aliis, iſtiusmodi progreſſum diſtinguere duplicem; eſt enim progreſſus in infinitum *rectilineus*, in quo a termino quocunque aſſumto ſemper receditur *vel in anteriora*, qui dicitur progreſſus *a parte ante*, quando in ſerie conditionatorum nunquam pervenitur ad primum a præſente retrogrediendo, etſi progrediendo perveniatur ad finem, nempe ad ſtatum præſentem, ſive ultimum; vel in *conſequentia*, qui vocatur progreſſus *ex parte poſt*, ſi in ſerie conditionatorum poſſibilium ac futurorum nunquam pervenitur ad finem ſeu ultimum, etſi retrogrediendo perveniatur ad primum. Præter rectilineum alius eſt progreſſus in infinitum *circularis*, in quo a termino, a quo receditur, rurſus ſtatus prior & cauſæ eædem rerum reſtituuntur. In cauſis quidem inquirendis omnem progreſſum in infinitum pro indubitato, exploratoque abſurdo adhuc habuere philoſophi omnes, paucis exceptis, idque enumeratis generibus omnibus cauſarum diſtincte perſequitur Ariſtoteles lib. 2. Metaph. c. 2. Sed quid Philoſophi omnes ad Kantium, qui novum erexit tribunal criticum, nulla admiſſa incompetentiæ exceptione? Dicam igitur de rectilineo progreſſu in infinitum, eoque regreſſivo ſeu in anteriora ſatis Kantio reſponſum a me fuiſſe ad Antinomiam III. §. 176. & ſeq. Reliquum eſt, ut de circulari animadvertam nonnulla, ne ſcilicet ignavæ rationis crimine arceſſar a Kantianis.

§. 194. Progreſſus circularis exemplum iſtiusmodi profert Ariſtoteles: terra madeſit a pluviis, pluviæ decidunt ex nubibus, nubes coguntur ex vaporibus, vapores aſcendunt ex terra madida; atque ita in orbem redeunt madefactio terræ, pluviarum lapſus, nubium concretio, vaporum exhalatio. Siquis

hunc

hunc orbem cogitando obivit ſemel, & obire perpetuo ſupervacaneum ducens, ad altiora convertat mentem, divinæ providentiæ argumentum, certumque teſtimonium inde accipiens; tum ſcilicet egrediendo extra naturæ atque experientiæ tramitem, judice Kantio, ſaltum committet, & ignavæ rationis condemnabitur, nempe una cum divo Paulo, qui ita diſſeruit ad Lycaonas: „Nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis ab „*his vanis converti ad Deum vivum*, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt. „Qui quidem non ſine teſtimonio ſemet ipſum reliquit, *benefaciens de cælo, dans pluvias & tempo-„ra fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra.*" Act. XIV. 14. 16.

§. 195. Aliud exemplum idque valde luculentum progreſſus circularis in infinitum, uti vult Kantius, repeti poteſt ex revolutionibus orbium cæleſtium planetarii noſtri ſyſtematis. Didicerat Keplerus vir Suevus accuratis longisque obſervationibus ad calculum reductis, planetas primarios circa ſolem nequaquam in circulis, ſed orbitis ellipticis, volvi, atque ita volvi, ut 1. ſingularum ellipſium focum alterum ſol occupet; ut 2. motus haud æquabilis ſit; areæ tamen deſcriptæ temporibus ſint proportionales; ut 3. ſi diſtantiæ planetarum, quam quisque a ſole habet, & tempora periodica eorundem comparentur, mirifica deprehendatur proportio, qua tempora illorum periodica rationem ſeſquiplicatam diſtantiarum præ ſeferunt. Ex felicibus hisce inventis Neutonus legem gravitatis univerſalis confirmavit, motumque planetarum circa ſolem ex phyſicis motuum legibus explicans, aſtronomiam phyſicam protulit, quæ antea ne

nomine quidem erat nota. Demonſtravit itaque, planetas circa centrum ſuum agi vi duplici, inertiæ & gravitatis, ſeu vi projectionis, & vi centripeta tali, quæ creſcit & deſcreſcit in reciproca ratione duplicata diſtantiarum ab eodem centro: detexit mirificam connexionem inter eam gravitatis legem, & areas temporibus proportionales, itemque inter quadrata temporum periodicorum in planetis diverſis, & cubos diſtantiarum eorundem a ſole: explicavit rationem virium centripetarum ad vim projectionis, ſeu vim illam, qua planeta movetur in orbita; ex qua ratione fit, ut ellipſis potius, quam curva alia e. g. circulus deſcribi debeat: oſtendit item, acceſſum & receſſum planetæ a centro ſuo pendere tum a ratione earum virium, tum ab angulo, quam vis centripeta cum tangentiali conficit. His erutis perſpectisque, debuerat ſcilicet Neutonus, cælum planetarium conſiderans, motum planetarum perpetuo ſequi cogitando, cum iisdemque velut revolvi in orbita, ne ſcilicet naturam & experientiam ſenſuum deſereret, ac tranſiliret. At Neutonus tamen naturam atque experientiam ſenſuum tranſiliit, atque ad ſupremum mundi opificem, primam nempe cauſam determinantem motuum provectus eſt. Videbat enim, motus illos conſtantes & admirabiles pendere a prima celeritate projectionis: pendere a prima diſtantia, quam projectus globus a centro virium obtinuit: pendere a maſſa globi attrahentis, cumque nec is careat motu ſuo, mutuoque attrahatur pariter a maſſa ipſius projecti globi; pendere a prima directione projectionis, ſive ab angulo, quem vis projectionis cum centripeta effecerat: pendere a directione tali, quæ per centra projectorum corporum haud tranſiret, quæque præter periodicos

circa

circa centrum motus constantem globi projecti circa axem gyrationem efficeret: pendere denique a prima positione globi, ejusque axeos, circa quem rotatur, certa ad destinatam orbitam inclinatione; unde scilicet præter dierum noctiumque discrimina, annua temporum vicissitudo proveniret. At horum omnium nulla penitus ratio in natura, atque experientia continetur; cum ex his ipsis natura eorum motuum, omnisque experientia dependeat. Natura quidem corporis cujusvis ad omnem materiæ quantitatem, compositionem & massam, ad omnem celeritatem, ad omnes directiones, ad omnem virium concurrentium rationem, ad omnem positionem, distantiam, situmque axeos relate ad describendam orbitam, ad ipsam describendam orbitam penitus indifferens, omnimodis ex se indeterminata, ac passive tantum, atque extrinsecus determinabilis est. Vidit ergo Neutonus, quod videre nos Kantius prohibet, naturam atque experientiam transiliri, atque ad primum rerum conditorem recurri necessum esse, si naturalium phænomenorum rationes sufficientes reddere, quod unum philosophiæ munus est, velimus. Non ergo ignava ratione sunt, sed maxime perspicaci, solerteque, qui naturam atque experientiam transiliunt, sed Kantius, qui fieri istuc prohibet, ignavos reddit philosophos. Est autem hæc præcipua laus philosophiæ neutonianæ, ut naturæ contemplatores veri amantes non desperatione inveniendi naturales causas ad Deum recurrere jubeat, eundemque velut per machinam advocet, neque per confictas hypotheses, aut longas circuitiones, vel digressiones a re proposita alienas, sed per certissimas, maximeque perspicuas rationes, perque ipsas naturæ leges inductio-

ne collectas, analyticis formulis & geometricis constructionibus expressas, ad ipsum naturæ auctorem rectoremque planissima, tutissimaque via deducat, ejusque solius institutione cursum naturæ, atque experientiam possibilem esse demonstret.

CAPUT XV.

FALSA ET PLANE COMMENTITIA ORIGO IDEÆ DE SUMMO ENTE EXCOGITATA A KANTIO.

§. 196. Ut argumenta infirmaret, aut quoquo modo elevaret Kantius, quibus existentiam summi Dei & vulgo comprehendunt homines facili rationis usu, & viri sapientissimi luculente demonstrant, incredibile dictu est, quantam operam adhibuerit, quomodo intenderit ingenii aciem, quot captiosas fallacias congesserit, quot effugia tentarit, quantoque conatu se verterit in omnem partem, quasi lucem veritatis exosus, nec vim ferens firmissimarum argumentationum. Atque ut ipsum demonstrationis caput, ac principium, quod in notione propositæ rei situm est, imprimis convelleret, id egit, ut impeteret ideam, quam de Deo tanquam summo Ente informare animis homines solent, ejusque falsam originem maglina hypothesi confingeret. Multis id verbis, longisque anfractibus aggressus est; sed præcipua doctrinæ ejus capita hæc sunt.

§. 197. Quidquid existit, omnimodis determinatum est. Principium hujus determinationis est hoc: *cuivis rei omnimodis determinatæ ex omnibus prædicatis possibilibus convenit aut realitas, aut ejus*

ejus negatio, idque non ob ſolum principium contradictionis, ſed ob relationem cujusvis rei ad univerſitatem poſſibilitatis, cujus ea & pars eſt, & participatio ſeu derivatio quædam. — Idea univerſæ poſſibilitatis, etſi generatim repræſentet prædicata poſſibilia omnia, tamen magnum numerum prædicatorum excludit, quorum alia derivantur ex aliis, alia aliis repugnant: dein negatio realitatum ſine realitatibus ipſis concipi non poteſt. Igitur ex idea univerſæ poſſibilitatis enaſcitur *idea objecti unius ſingularis omnimodis determinati*, in quo inſunt omnes realitates poſſibiles, ſive omnitudo realitatum. Atque hoc eſt *Ideale rationis puræ*, efformatum per ideam, conſiſtens in idea, idemque *ſubjectum tranſcendentale* ſive *ſubſtratum* omnium poſſibilium prædicatorum, a priori requiſitum, ſive inſtar fundamenti præſtructum pro concipienda omnimoda determinatione cujusvis rei, cujus negationes non ſunt, niſi limites hujus omnitudinis realitatum; nam Ideale illud eſt *Prototypon tranſcendentale* rerum omnium, quæ nihil ſunt, niſi imperfecta ejusdem *Ectypa*. Et quia res omnes ex univerſitate poſſibilitatis, ſive ex illo Ideali tranſcendentali derivantur, idem reipſa eſt *Ens originarium*: *Ens ſummum*; quia nullum habet ſuperius: *Ens Entium*, quia omnia alia tanquam conditionata & limitata eidem ſubjecta, ſive ſubordinata ſunt. Atque hæc demum eſt *idea Entis realiſſimi*, a priori inſtar fundamenti requiſita pro concipienda omnimoda determinatione, quæ deprehenditur in omni re exiſtente. Et quia res ſingulæ ex Ente originario derivantur, dici non poteſt, iſtuc ex pluribus aliis eſſe compoſitum; proindeque concipitur inſtar *Entis unius*, *ſimplicis*, *ſufficien-*

ficientissimi, *æterni* &c. At enim totum hoc Ideale, tanquam continens omnem realitatem, duntaxat assumitur a ratione humana ad concipiendam omnimodam determinationem, neque ea ratio poscit, ut idem pro re vera habeatur, aut objectivæ realitatis esse censeatur: totum enim id fictitium est. *) Fit tamen, ut idem Ideale Entis realissimi, etsi in repræsentatione sola consistat, primo habeatur in numero objectorum, eidemque tribuatur vera *realitas*: dein & *hypostasis*, demnm naturali progressu rationis pro absolvenda unitate etiam *persona*. **) Notio hujusce Entis est notio Dei, sensu transcendentali, proindeque Ideale rationis puræ est objectum theologiæ transcendentalis. ***)

*) Seite 608. Die Vernunft legt die transcendentale Idee nur, als den Begriff von aller Realität, der durchgängigen Bestimmung der Dinge überhaupt zum Grunde, ohne zu verlangen, dass alle diese Realität objectiv gegeben sey, und selbst ein Ding ausmache. Dieses leztere ist eine blosse Erdichtung.

**) Seite 611. Dieses ideal des allerrealesten Wesens, ob es zwar eine blosse Vorstellung ist, wird zu erst realisirt, d. i. zum Object gemacht, darauf hypostasirt, endlich durch einen natürlichen Fürschritt der Vernunft zur Vollendung der Einheit, so gar personificirt.

***) Seite 608. Der Begriff eines solchen Wesens ist der von Gott, im transcendentalen Verstande gedacht, und so ist das Ideal der reinen Vernunft der Gegenstand einer transcendentalen Theologie.

§. 198. Hoc figmentum hypothesis kantianæ adeo vacillat ex omni parte, ut ignorem, quid subverti primum, penitusque disjici debeat; cumque causas

caufas reprehenfionis contineat multas, variasque, veniam dabit lector, fi, ut quæque in mentem venerit, ita a me depromatur nullo fervato ordine; neque enim, ea de re magnopere laborandum hoc loco, exiftimo. Quapropter *animadverto I.* Eft hoc vafrum confilium Kantii, late ferpens per univerfam criticam, ut notiones & ideas, quibus veritatem realem abjudicare vellet, a priori deducat, id eft, a fenfibus, ab intellectu, aut ratione efformari dicat, iisque neget veritatem ineffe, nifi adplicari ad experientiam fenfuum poffint. Hanc veritatis & realitatis vacuitatem aliis atque aliis verbis exprimit: funt, inquit, iftiusmodi repræfentationes meræ formæ fenfuum, funt formæ cogitandi, funt ideæ, id eft, *folius rationis partus*: funt *mera fchemata*: *ideale tranfcendentale*: funt *fictiones heuriftica* ad concipiendam unitatem excogitatæ: funt *principia regulativa*, *non conftitutiva*: habent *veritatem mere logicam*, *non objectivam*, quæque funt iftiusmodi nova vocabula Kantii, quæ in idem recidunt omnia, etfi aliis atque aliis locis repetantur, fingilatim explicentur, ad faftidium amplificentur. Hoc igitur loco ut inanem, & veritatis vacuam probaret ideam fummi Entis, eandem folo intellectu & ratione a priori effingi docet, quia rerum extantium determinationes, limites, effendi anguftias, & defectus non aliter a nobis cognofci putat, nifi ex relatione earundem ad omnitudinem realitatum, five ad Ens realiffimum; quafi iftius idea jam præformata in mente extaret, indeque cognitio entium finitorum, omnique ex parte determinatorum proveniret. At Philofophi omnes, fcriptores item facri & profani contrariam plane viam nobis exhibent de ortu & progreffu cognitio-

nis

nis nostræ hac maxime in re, ut nempe a finitis ad infinitum, a contingentibus ad necessarium, a conditionatis & dependentibus ad absolutum & penitus independens, a visibilibus ad invisibilia, a creatis ad creatorem cogitando progredi naturaliter debeamus. Id ipsum sacræ literæ, ut hoc etiam argumento conteratur hypothesis kantiana, apertissime indicant. *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Rom. I. 20. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sap. XIII. 5. Hoc quidem cognitionis genus certissime ad rationem theoreticam pertinet. Atqui negat Kantius, ratione theoretica magis existentiam Dei, quam non existentiam cognosci ab hominibus posse.

§. 199. *Animadverto II.* Cognoscimus haud dubie determinationes ac limites rerum, quas præ oculis habemus, ac possibiles realitates majores earundem; limites in omni dimensione corporum, & possibilitatem dimensionum majorum: limites in numero eorundem, & possibilitatem numeri majoris: limites in viribus, quibus agunt, & possibilitatem virium majorum: limites in omnibus qualitatibus & proprietatibus, quibus pollent, & possibilitatem incrementi earum; cognoscimus itidem, etsi tardius nec pari facilitate, ac fit in sensibilibus rebus, limites & angustias humanæ mentis in usu sensuum, memoriæ, intellectus & rationis; ac possibilitatem perfectionum majorum; at quis hominum istarum possibilitatum, uti a nobis concipiuntur, tam discrepantium, atque adeo oppositarum cu-

cumulum in unum objectum singulare, idemque simplex atque in unam naturam individuam confert, eidemque hypostasin, & personam attribuit, atque ita ideam unius Entis realissimi, nempe Dei primo efformat, & ita efformat, ut res omnes, quas sensu percipit, non modo *participationem quandam* illius Entis realissimi, sed *partem* omnino esse sibi persuadeat? *) Kantius tamen asserere non veretur, istiusmodi Ideale naturali progressu humanæ mentis effingi. Totum ergo kantianum Entis realissimi non est, nisi *ὕστερον πρωτερον.* Non enim ab infinito ad res finitas descendimus, neque ex præconceptis ideis, quas sola ratio velut in specu quadam citra omnem experientiam effingit, ad sensibilia progredimur, sed ex iis, quæ interno vel externo sensu percepta a nobis sunt, ductu experientiæ per certissimas rationis conclusiones pervenimus ad id, quod omnes sensus longissime excedit, atque esse reipsa majus, ac sublimius cognoscitur, quam ut penitus comprehendi a nobis valeat.

*) Seite 600. Jedes Ding wird so vorgestellt, wie es von dem Antheile, denn es an jener gesammten Möglichkeit hat, seine eigene Möglichkeit ableite.

§. 200. *Animadverto III.* Philosophi maxime Platonici, & scriptores nominis christiani, qui res hasce philosophicas acutiori ingenio scrutati sunt, in hunc modum argumentantur. In rebus iis, quas sensu externo percipimus, observamus perfectiones earum mutabiles, & inæquales; at omnes tamen determinatas, id est, certis finibus contentas; ergo summum aliquid, & perfectissimum esse debet, quo nihil majus, nihil melius excogitari,

ri, vel esse potest, nempe Deus; neque enim pro Deo quisquam habuit, quo majus meliusve quidquam potest esse. Sic quidem disserit S. Augustinus lib. 8. de Civ. Dei c. 6. eodemque modo disseruisse veteres Philosophos testatur: *Consideraverunt enim, quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse, quam corpus, faciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem speciem sensibili prætulerunt.* — At hæc eadem species intelligibilis (quæ non visu tactuque sentitur, sed conspectu mentis intelligitur) *nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili judicaret, melius ingeniosior, quam tradior, melius peritior, quam imperitior, melius exercitatior, quam minus exercitatus; & idem ipse unus, cum proficit, melius utique postea, quam prius. Quod autem recipit magis & minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi & docti & in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabile esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu & corpus & animus magis, magisque speciosa essent: & si omni specie carere possent, omnino nulla essent: viderunt esse aliquid, ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis: atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent.* Hæc sine dubio de Philosophis Platonicis dicta sunt, qui res omnes ab opifice Deo secundum ideas tanquam exemplaria fuisse efformatas docuerunt. In horum numero Alcinous primo æræ christianæ seculo Platonicam philosophiam secutus, *idea*, inquit, *est exemplar æternum eorum, quæ sunt secundum naturam.* Non ergo idearum nomine mera figmenta humanæ rationis deno-

denotarunt Platonici, sed æternas divinæ sapientiæ rationes, ac designationes indicarunt, per quas rebus omnibus certus modus, certusque perfectionis gradus fuit præstitutus. Atque eodem refertur certissimum Philosophorum effatum: *quidquid limitatum est, sive determinatum in mundo, id ab alio limitatum ac determinatum est.* Neque enim quidpiam operari, & suam ipsius naturam determinare potest, antequam existat. Id ad omnes perfectiones rerum, ad omnem numerum, & mensuram pertinet; indefinite enim ista concipiuntur & absque certis limitibus. Unde idem Alcinous inquit: *si materia ipsa mensura caret* (uti generatim solet concipi) *ab aliquo præstantiore & experte materiæ mensuram necesse est capiat. Verum autem est antecedens, verum igitur consequens.* Addit dein: & *si hoc ita est, ideæ sunt, ut quæ mensuræ quædam sunt expertes materiæ.* Illas autem ideas a Platonicis ad rationes divinæ sapientiæ fuisse relatas, verba ejusdem indicant, quæ mox sequuntur: si *mundus non fortuito talis est* (quoad ordinem constantem) *non solum ex aliquo, verum etiam ab aliquo factus est; neque id solum, sed etiam ad aliquid* (ad causam exemplarem, ut vocant) *est factus. Id vero, ad quod factus est, quid aliud præter ideam esse potuit?*

§. 201. Non ergo ex præformato Ideali Entis realissimi ad cognoscendas determinationes Entium finitorum progreditur ratio, sed præstructa & præjacente experientia perfectionum finitarum, inæqualium, eoque ipso mutabilium pervenit cogitando ad perfectionem atque Entitatem summam, quæ nec a seipsa determinari, certisque limitibus

constringi potuit; cum se ipsam nulla res antecedat, neque ab Ente alio, cum sit Ens supremum omnium. Sic quidem veteres Philosophi sunt argumentati Augustino teste, acutissimi itidem ingenii Philosopho; similiter argumentatur profundæ doctrinæ vir, ac princeps Theologorum S. Anselmus in Monologio c. 4. *Si quis intendat rerum naturas, velit nolit, sentit non eas omnes contineri una dignitatis paritate, sed quasdam earum distingui graduum imparitate. Qui enim dubitat, quod in natura sua ligno melior sit equus, & equo præstantior homo, is profecto non est dicendus homo. Cum igitur naturarum aliæ aliis negari non possunt meliores, nihilominus persuadet ratio, aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim hujus graduum distinctio sic est infinita, ut nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inveniatur, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est alicui vel aliquibus superior, ut nulla sit, cui ordinetur inferior.* Dein naturam hujusmodi unam esse, non plures ostendit; quod jam exscribi necesse non est. Nec aliter Ricardus Victorinus subtili itidem ingenio disserit lib. 1. de Trinit. c. 11. *In tanta multitudine rerum existentium, & tam multiplici differentia graduum, esse oportet aliquid summum. Summum vero omnium dicimus, quo nihil est majus, nihil melius. Absque dubio autem melior est natura rationalis, quam natura irrationalis. Oportet itaque, ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa. Non potest autem hoc ipsum, quod est, a suo inferiori accipere.*

§. 202.

§. 202. Kantianis figmentis a priori refragari summam auctoritatem, & profanam Philosophorum sola ratione utentium, & sacram Theologorum, Patrumque difficile non est ostendere, cum ex sensibilium rerum cognitione, atque ex iis maxime, quæ ipsi in nobis percipimus, primam Dei notionem in nobis efflorescere perpetuo doceant. De qua re S. Basilius differit ea, qua solet, facundia in Homilia ad illud: *Attende tibi ipsi:* ubi corporis humani structuram eleganter describit, ex eaque Deum jubet agnosci, tametsi nullis discernatur sensibus. *Exacta*, inquit, *& diligens tui ipsius contemplatio idoneam tibi manuductionem præbebit ad Dei cognitionem. Nam si attenderis tibi ipsi, nihil opus habebis, ex universitatis structura opificem indagare: sed in te ipso, velut exiguo quodam mundo, magnam conditoris tui sapientiam intueberis. Corporis expertem intellige Deum ex anima ipsa, quæ tibi inest corporis expers. Eundem minime loco circumscriptum agnosce: quandoquidem ne tua quidem mens primario, ac per se in loco moratur: sed propter conjunctionem cum corpore, in loco est. Invisibilem crede esse Deum, cum tuam animam considerabis. Nam & ipsa corporis oculis capi non potest.* Est igitur error primarius duplex, in quo tota cubat philosophia transcendentalis Kantii, uterque perniciosus, alter tectior, apertior alter, ut primo repræsentationes plures, quæ insunt in hominum animis, vi naturali facultatum citra omne adminiculum sensuum, sive a priori, effingi ac progigni doceat; istiusmodi sunt formæ sensuum, & formæ intellectus, dein ideæ, & idealia significatu kantiano; quæ quidem doctrina magnam fingendi licentiam præbet, & pejores consecutiones

 habet,

habet, ac vulgo creditur. Alter eſt error, cujus pravitas apertior eſt, nempe veritatem realem & objectivam non ineſſe, niſi in cognitionibus iis, quarum objecta per ſenſus dantur, aut ſiſtuntur; cum præſertim ſenſus externos maxime ſpectet Kantius, mentemque humanam pro phænomeno, non vera, reali & permanente ſubſtantia habeat. Sed huic quidem errori adverſatur non tantum multo maxima pars philoſophorum, ſed ſacri etiam ſcriptores, id eſt, Theologi & Patres plane omnes, qui argumentis theoreticis exiſtentiam Dei invincibiliter demonſtrari docent, etſi is oculis aut ſenſibus corporeis conſpici, aut comprehendi haud poſſit; cujus doctrinæ intereſt afferre teſtimonia quædam.

§. 203. Eleganter inprimis S. Auguſtinus in Pſalm 73. homines eos, qui, quæ ſenſibus non attrectant, ea nolunt credere, præſertim Deum, qui non oculis, ſed ex operibus videtur, irridet ſic: *non video, inquit, quid crediturus ſum? Anima enim tua videtur? ut opinor ſtulte; corpus tuum videtur: animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum ſolum videatur; quare non ſepeliris? Miratur, quia dixi: ſi corpus tantum videtur, quare non ſepeliris? & reſpondet; ſapit enim adhuc, quia vivo. Unde ſcio, quia vivis, cujus animam non video? Unde ſcio? reſpondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnoſco viventem: ex operibus creaturæ non potes agnoſcere creatorem?* Similiter diſſerit S. Athanaſius in libro contra Gentiles: *dum in corpore*, inquiens, *membrorum inter ſe concordiam videmus, in quo neque oculus cum aure pugnat, neque manus a pede diſſidet: ſed unumquodque citra diſſenſionem munere ſuo & officio fungitur: ex*

ex eo prorsus intelligimus, animam in illo inesse corpore, quæ hæc omnia moderetur, quamvis ea oculis non sit exposita. Sic ex universitatis ordine ac concentu principem & administratorem intelligi necesse est Deum. Critice quidem kantiana modis omnibus cavet, monetque, ne ultra id, quod percipimus sensu, ratione speculatrice progrediamur. Alia omnia & profani philosophi docent, & venerabiles Ecclesiæ Doctores; *nimis profecto hebes & stolidus est*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. *qui non hucusque sponte progreditur*, (ut Deum conditorem ac gubernatorem mente colligat ex mundanis rebus) *naturaliumque demonstrationum vestigia sequitur.*

§. 204. Sed Kantius naturales cohibens ranis progressus ipse subvertit sua dogmata, principiaque; neque enim constantiam tenere errores solent. Ac §. 34. tum etiam §. 145. distincte exposui, quomodo ab iis, quæ experimur, tuto progredi nos sinat ad alia cum prioribus illis connexa, & necessario cohærentia: hoc autem loco docet apertius, a conditionato ad seriem conditionum esse procedendum ob connexionem scilicet utrorumque, sic ut analytica sit enuntiatio hæc: *Si datur conditionatum, necesse est, dari seriem conditionum,* cum ex natura & notione ipsa *conditionati* deducatur series conditionum. *) At ego ex conditionato nego, *seriem* conditionum effici necessario, neque aliud sequi contendo, nisi ut id, quod ab alio pendet, ab uno, pluribusve pendeat, per quæ *absolutum* habeatur. Primus quidem horologii, motuumque & indicis status certe conditionatus est; at fieri potest, ab ipso artifice, non a statu præce-

 dente

dente ſit determinatus. Conditionatum non magis unum, duos, centum, infinitos ſtatus præcedentes ex notione ſua deſiderat, quam nullum; modo detur quidpiam, per quod determinetur. Notio *conditionati* (ſi *datum* ponitur) cum abſoluto cohæret eſſentialiter, non autem cum alio conditionato. Hoc igitur citra dubitationem præſtabilito, quid arctius cum rebus natura ſua atque eſſentia penitus indeterminatis, ſed nunc ex hypotheſi determinatis cohæret, quam primum determinans? Non ergo penitus egredimur ſenſibilium ſeriem, quamdiu id perſequimur, quod eſſentialiter cum illis connexum eſt, etſi idem ſenſibile haud ſit, multo etiam minus cauſarum, conditionumque ſeriem abrumpimus, ſed *veſtigia naturalium demonſtrationum ſequimur*, uti acute animadvertiſſe Gregorium Nazianzenum paulo ante commemoravi.

*) Seite 526. Zuerſt iſt folgender Satz klar, und ungezweifelt gewiſs: daſs wenn das Bedingte gegeben iſt; uns eben dadurch ein Regreſſus in der Reihe aller Bedingungen zu demſelben aufgegeben ſey; denn dieſes bringt ſchon der Begriff des Bedingten ſo mit ſich, daſs dadurch etwas auf eine Bedingung, und, *wenn dieſe wiederum bedingt iſt*, auf eine entferntere Bedingung, und ſo durch alle Glieder der Reihe bezogen wird. Dieſer Satz iſt alſo analytiſch, und erhebt ſich über alle Furcht vor einer tranſcendentalen Critik. Es iſt ein logiſches Poſtulat der Vernunft: diejenige Verknüpfung eines Begriffs mit ſeinen Bedingungen durch den Verſtand zu verfolgen, und ſo weit als möglich fortzuſetzen, die ſchon dem Begriff ſelbſt anhängt. Ut ergo a conditionato ratione procedatur ad conditionem, abſoluta neceſſitas eſt, fundata in notione conditionati. Quæro, ut a conditione ulterius procedatur, utrum æque ſit neceſſitas abſoluta? nequaquam. Docet id ipſe Kantius, ſed

ſed tunc tantum a conditione ulterius procedendum eſt, *caſu*, *quo hæc ipſa conditio eſſet conditionata.* Secus profecto ſeriem infinitam *per ſe jam datam* poneret Kantius, ac principium peteret.

§. 205. Ideale kantianum Entis realiſſimi a priori effictum, præſtructumque cognitioni omnimodæ determinationis rerum merito exploditur tanquam figmentum ingenii kantiani, totumque id, quod de relatione rerum determinatarum ad Ideale ſuum diſſerit Kantius, quaſi res ſingulæ ejusdem pars aut participatio eſſent, nec fundamentum, nec uſum habet. Longe alio ac veriori ſenſu res creatæ omnes, earumque perfectiones participatio divinæ eſſentiæ, divinæ bonitatis, divinæ perfectionis appellantur a theologis & philoſophis iis maxime, qui poſt depulſas tenebras ſuperſtitionis ethnicæ de creatione rerum ex nihilo commentati ſunt. Viderunt ſcilicet, non modo cum ordine & conformatione rerum, & mutationibus ſtatuum cauſam primam determinantem, moventem, & abſolute ſufficientem eſſe neceſſario connexam, & eſſentialiter cohærere, ſed ipſam materiam, ex qua coagmentatus eſt mundus, ipſas itidem humanas mentes ex nihilo eſſe productas, neque omnino exiſtere a ſe ipſis potuiſſe. Contraria enim hypotheſis ad abſurda deduceret nimis enormia; & quia res omnes ſine ſtatu determinato eſſe haud poſſunt, & ſine omni ſtatu nullæ ſunt, neque ex ſe & natura ſua determinatum habent, vel exigunt, ſed ad illum determinari extrinſecus debent; conſequens eſſe viderunt, ut perinde ad exiſtendum, quam ad exiſtendum cum certo ſtatu debuerint a cauſa prima determinari. Cuncta igitur, quæ extra Deum ſunt, a creatrice Dei potentia profecta ſunt. Et quia omnis cauſa

præcontinere ratione quadam effectum, ejusque perfectiones debet, sequitur manifesto, ut perfectiones omnes, quas concipere possumus, in Deo contineantur, proindeque participatio sint divinæ essentiæ, divinæ bonitatis, divinæ perfectionis: at participatio, quæ active sumta, solius creatricis potentiæ est propria, quæ ita nimirum fit, nihil ut decedat omnino, aut decerpatur de causa participante. Porro creata perfectio quæcunque finita est, adeoque imperfecta, tum quod essentialiter sit dependens, tum quod sæpe adhærentem habeat exclusionem, negationemve perfectionis melioris; quo sensu supra ex Augustino, & Anselmo commemoravi, meliorem esse naturam rationalem, quam expertem rationis, ceu lapidem, metallum: divina perfectio e contrario infinita, expers omnis imperfectionis, limitisque; cum a nullo alio potuerit determinari, atque a se habeat sufficientiam. Ob has igitur causas, cum res creatæ omnes participatio sint divinæ perfectionis, & divina perfectio expers omnis imperfectionis, sequitur per se se, ut Deus perfectiones creatas contineat aut *eminenter*, longeque præstantiore modo, aut *formaliter*, *sed absque omni limite.* Ob hanc igitur causam facile inducimus in animum, Deum conspicere, & audire omnia, non corporeis sensibus, sed eminentiore ratione quadam; quo pertinent verba psalmi 93. *intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite: qui plantavit aurem, non audiet? & qui finxit oculum, non considerat?* Eodem referenda sunt verba S. Augustini lib. 10. Conf. c. 6. sic alloquentis Deum, cujus amore flagrabat; *quid autem amo*, inquit, *cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce istis ami-*

cum

cum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum, non florum, & unguentorum, & aromatum suaveolentiam, non manna, & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum. — — Quia nimirum istiusmodi perfectiones, ac bona sensibilia non formaliter, sed ratione quadam eminentiore in Deo continentur. Atque hæc ad sequentem paulo post de Ente perfectissimo & infinito, ob eamque causam vi notionis istius existente, demonstrationem planissima nos via deducunt.

CAPUT XVI.

ENUMERATIO DEMONSTRATIONUM, ARGUMENTORUMQUE DE EXISTENTIA DEI, PROPOSITA A KANTIO EST MANCA ET MUTILA, ET INEPTA.

§. 206. Ratio theoretica, inquit, vias tres habet, non plures, quibus ad cognitionem existentiæ Dei perveniat. Si enim ex certis ac definitis de mundo sensibili experientiis ad Deum progreditur, argumento utitur *Physico-theologico*: si dein cursum rerum mundanarum atque experientiam generatim spectat, argumentum adhibet *Cosmologicum*: denique si ex notionibus solis omnino a priori Deum existere colligit, id argumentum *Ontologicum* censebitur. Miror, cum æque sesecundum ac tertium argumentum Deum attingat, uti primum, quare non cosmologico-theologicum, & ontologico-theologicum appellaverit, uti phy-

 sico-

ſico-theologicum nuncupat. In coſmologia quidem, uti ea Metaphyſices pars eſt, generatim de entibus mundanis, eorumque inter ſe nexu & ordine agitur, neque ſatis ſufficiens ratio eſt, ab Ontologia eandem ſegregandi, ut adeo argumenta omnia a Kantio indicata ſpectatis principiis *ontologica*, ſpectato objecto *theologica* cenſeri debeant, ineptaque ſit nomenclatio kantiana.

§. 207. Sed gravius illud in hac re peccatum eſt, quod argumenta non pauca, maximique ponderis, quibus ad cognoſcendum mundi conditorem pervenimus, & in diſciplinis utimur, ſilentio prætereat Kantius, quaſi nulla eſſent. Inprimis ex repræſentationibus, actuoſisque viribus mentis, quarum quisque intime, certiſſimeque conſcius ſibi eſt, ſingulare argumentum de exiſtentia Dei confici popoteſt, ac ſolet contra Idealiſtas & Egoiſtas, qui de ſua tantum exiſtentia mentisque ſuæ affectionibus perſuaſos ſe eſſe dicunt: cetera extra ſe omnia aut tollunt, aut dubia faciunt. Enimvero de ſua ipſius exiſtentia dubitare nemo poteſt. *Cogito, ratiocinor, voluptatem, dolorem ſentio;* horum nihil mihi magis perſpicuum eſt, quam me exiſtere (inquit Lokius lib. 4. c. 9. §. 3. de Int. hum.) ſi de aliis rebus omnibus dubitem, dubitatio iſta efficit, ut me exiſtere extra dubium habeam. — — Quivis ergo intelligit, ſe eſſe ens, quod actu exiſtit, atque ex hoc ipſo certiſſime inferre & cognoſcere debet, Deum exiſtere, nimirum Ens æternum, ſapientiſſimum, potentiſſimum; præſertim cum nemo facile in animum inducet, ſe ſemper atque ab æterno extitiſſe; & multo etiam minus, quod tempus aliquod extiterit omnium rerum penitus vacuum & ina-

inane, quo ſcilicet extiterit res nulla penitus; ſic enim neque exiſtere quidpiam ullo tempore potuiſſet. Sed hoc quidem pluribus nunc verbis exponendum non eſt.

§. 208. Kantius negat, in numero Idealiſtarum eſſe ſe, etſi phænomena omnia in ſolis repræſentationibus collocet; cum præter iſtas quidpiam extra mentem exiſtere doceat, quod repræſentationibus reſpondeat, objectum ſcilicet tranſcendentale & incognitum x. At ego vehementer ſtimulor, ut iſtuc kantianum x non ſegniter exagitandum mihi, vexandumque ſumam. Quid eſt, obſecro, iſtuc x? quale eſt, unde profectum eſt? a ſemet ipſo exiſtit, an productum eſt ab alio? ab æterno, an in tempore? unum, an multiplex? cogitans, an non cogitans? tale eſt forte, qualis materia prima Peripateticorum, neque quid, neque quale, neque quantum, & tamen aliquid? qualitates phænomenis accenſet Kantius: qualitatem in formis ſenſuum habet; ſubſtantias pariter phænomena vocitat. Quid ergo eſt kantianum x? Eſtne mobile vel immobile? mutabile, an contra immutabile? at motum & mutationes vel maxime eſſe phænomena affirmat. Utrumne tandem eſt ipſum univerſum, quale eſt in ſe, non quale ſenſibus exhibetur? Equidem puto, magnopere intereſſe, ut incognitum, ſuſpectumque hoc x ad tribunal criticum vocet Kantius, modiſque omnibus, quale ſit, unde ortum ſit, quidque adhuc egerit, aut quomodo verſatum ſit in mundo, examinet.

§. 209.

§. 209. Deest præterea in kantiana enumeratione, idque justissime reprehenditur, argumentum petitum ex contingentia rerum ipsarum, & necessitate causæ primæ ac potentissimæ, a qua, cum ex seipsis non existerent, nec possent existere ex semet ipsis, producerentur ex nihilo. De solis statibus & mutationibus existentium rerum, non de existentia ejusque causa agit Kantius. At cur ita? quia, inquit, *naturalis* ratio de causis tantum empiricis mutationum sensibilium inquirit: quærere autem de causa existentiæ ipsius, aut de causa mutationum tali, quæ empirica non sit, sed extra seriem phænomenorum sita, ad rationem *speculativam* pertinet; quæ si principium causalitatis transfert ad ea, quæ empirica non sunt, illo principio penitus abutitur; quoniam extra empirica nec usum, nec significationem habet. *) Nova hic distinctio inter naturalem & speculativam rationem profertur a Kantio, quasi naturalis seu humana ratio, quæ scilicet natura inest in hominibus, non complete in theoreticam seu speculativam & practicam divideretur; est igitur theoretica quoque ratio *naturalis*. Quid quod ipse Kantius antithesin idearum cosmologicarum *naturalem* vocet, ex ipsa scilicet naturali ratione citra omnes argutias, & fallacias artificiosas provenientem, quæque evitari haud potest. Naturalis igitur ratio ultra empirica progreditur tum quando in antitheses incurrit. **) Unde etiam illusionem nuncupat *naturalem*, & inexsuperabilem. ***) Quid multis? Jure, sapienterque inquirit humana ratio, non solum quæ mutationum mundanarum causa sit, sed ipsæ res mundanæ, unde extiterint, a semet ipsis scilicet, an productæ ab alio Ente fuerint, itemque ab æterno extiterint, an habuerint initium existendi?

ftendi? maxime autem de se ipso exquirit vir sapiens, quæ effectrix causa indiderit mentem rationis participem, segregatam ab omni concretione, ad majora adspirantem, quam ut caducis rebus, bestiarum more inhæreat. Quid ergo, inquit, mens mea a se ipsa existit, proindeque ab æterno, an creata ab alio, potentissimo scilicet & optimo parente meo est, ac definito quidem tempore; cum diu ante non extitisset, etsi extitisse mundum fide historica certissime didicerim? Istiusmodi quæstiones theoreticæ rationis esse proprias docet Kantius; haud dubie; at naturalis tamen rationis proprias. Quid enim profert, cur neget? nihil admodum; nude asserit, nude negat; *αυτος εφα.*

*) Seite 663. Wenn man von dem Daseyn in der Welt auf ihre Ursache schliesst, so gehört dieses nicht zum natürlichen, sondern zum speculativen Vernunftgebrauch; weil jener nicht die Dinge selbst (Substanzen) sondern nur das, was geschieht, also ihre Zustände als empirisch zufällig, auf irgend eine Ursache bezieht; dass die Substanz selbst (die Materie) dem Daseyn nach zufällig sey, würde ein bloss speculativ Vernunfterkenntniss seyn müssen. —— Aber alsdann würde der Grundsatz der Causalität, der nur innerhalb dem Felde der Erfahrung gilt, und ausser demselben ohne Gebrauch, ja ohne Bedeutung ist, von seiner Bestimmung gänzlich abgebracht.

**) Seite 433. Hier zeigt sich ein neues Phænomen der menschlichen Vernunft, nämlich eine ganz natürliche Antithetik, auf die keiner zu grübeln, und künstlich Schlingen zu legen braucht, sondern in welche die Vernunft von selbst, und zwar unvermeidlich geräth.

***) 344. Wir haben es mit einer natürlichen, und unvermeidlichen Illusion zu thun.

§. 210.

§. 210. Quam ab experientia generatim desumtam indicat demonstrationem Dei, quamque *cosmologicam* vocat Kantius, hanc maxime imperfectam, mutilamque profert. Nihil enim, nisi successiones statuum diversorum commemorat, ab aliis prioribus statibus tanquam conditione pendentes. Debebat sane res etiam, quas simultaneas vocant, easque dissimiles, & perfectione differentes considerare (ut supra docui §. 201. & 205.) dein compositas modis variis, sic tamen, ut eædem perpetuo rerum species maneant, etsi quæ composita sunt, naturaliter queant dissolvi, intra certos nempe limites. Compositio quidem & conjunctio partium vel elementorum non est, nisi relatio accidentalis, ad statum externorum elementorum pertinens, quæque salva substantia & natura eorundem tolli cogitatione potest, uti diserte docet ipse Kantius. *) Necesse est ergo, ut hujus compositionis ratio assignetur, præsertim cum inde gravitates specificæ corporum, constans ordo fluidorum inter se, & cum solidis immersis, vires item massarum attrahentium pendeant. In hanc sententiam acute disserit Auctor de cognitione veræ vitæ, qui inter opera S. Augustini extat. *Mundus*, inquit, *partibus constat. Omne autem, quod partibus conjungitur, vel in partes resolvitur, ab alio utique conjunctionem vel resolutionem patitur. Mundus ergo non per se subsistit; & ideo sequitur, quod creatura sit.* At enim non solius compositionis ratio repetenda est ab opifice Deo, quæ nulla esse potest per rerum naturam, sed illud quoque explicari necessum est, cur etsi diversissimis modis solvantur, quæ composita sunt, eædem tamen perpetuo rerum species maneant in mundo hoc aspectabili. Neutonus

tonus quidem experientiæ limites transgressus, ad Deum recurri debere censuit in Optica q. 31. *Illud mihi videtur simillimum vero, utique Deum Optimum Maximum in principio rerum materiam ita formasse, ut primigeniæ ejus particulæ, ex quibus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidæ essent, firmæ, duræ — — imo tam perfecte duræ, ut nec deteri possint unquam, nec comminui: nec adeo ulla in consueto naturæ cursu vis sit, quæ eas in plures partes dividere queat. — Tamdiu dum particulæ illæ integræ permanent, potuerunt sane per omnia secula ex iis composita esse corpora ejusdem semper naturæ & texturæ. Verum si illæ deteri aut comminui possent, jam futurum sane esset, ut rerum natura, quæ ex iis pendet, immutaretur.* Kantius, ut opinor, mallet nec compositionis, nec certæ resolutionis nullam penitus reddere rationem veri similem, quam deserta experientia ad primum experientiæ auctorem respicere; o ignavam rationem philosophiæ criticæ!

*) Seite 464. Hieraus folgt, dass die Zusammensetzung der Dinge der Welt nur ein äusserer Zustand derselben sey, und dass wenn wir die Elementarsubstanzen gleich niemals völlig aus diesem Zustande der Verbindung setzen und isoliren können, doch die Vernunft sie als die ersten Subjecte aller Composition, und mithin vor derselben, als einfache Wesen denken müsse.

§. 211. Superest unum, idque, ut videtur, gravissimum Kantii peccatum, omissionis scilicet in enumerandis argumentis pro existentia summi conditoris rerum & gubernatoris Dei. *Sensum*, quem vocant, *communem* nec verbo attingit hoc loco,

loco, quodque gravius eſt, in prolegomenis ſuis eundem aperte explodit dicto illo Horatiano: *Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.* Sed ut verſatilem habet hypotheſin, ipſe ad eundem ſenſum provocat, quando nempe commodum eſt. Sic *ratione theoretica*, negat exiſtentiam Dei demonſtrari poſſe, neque tunc ullius eſſe momenti putat naturæ ſenſum ac conſenſum humani generis; eo quod videat, fateaturque, philoſophiam tranſcendentalem, per quam uſus rationis theoreticæ in demonſtrando Deo penitus tollitur, nunquam popularem fore. *) Ne tamen graviſſima dogmata penitus inficiari videretur, theoreticæ rationi ſubſtituit *practicam*, eique totum negotium demonſtrandi exiſtentiam Dei imponit. Demonſtrationis autem ex ratione practica deducendæ fundamentum ac principium hoc eſt: *Extant leges morales abſolute obligantes a priori vi rationis puræ citra omne incitamentum a felicitate, aut voluntate ac potentia Dei deſumtum.* At unde iſtiusmodi leges ſic abſolute obligantes efficit, probatque Kantius? ex ſenſu communi hominum, ſi recte cogitent de lege morum, atque ex ſententia clariſſimorum hominum res morales pertractantium. **) Ita ſenſus communis, ſi de uſu rationis theoreticæ agitur, nullius momenti eſt: ſi de uſu rationis practicæ; tum valet plurimum arbitro Kantio.

*) Seite 502. Der Empiriſmus der tranſcendental-idealiſirenden Vernunft iſt aller Popularität gänzlich beraubt, — — und es iſt nicht zu beſorgen, daſs ſie (die tranſcendental-idealiſirende Vernnnft) die Gränzen der Schule jemals überſchreiten, und im gemeinen Weſen ein nur einigermaſſen beträchtliches Anſehen, und einige Gunſt bey der groſsen Menge erwerben werde.

**)

**) Seite 835. Ich nehme es an, dafs es wirklich reine moralische Gesetze gebe, die völlig a priori — — das Thun und Lassen bestimmen. — — Diesen Satz kann ich mit Recht voraussetzen, nicht allein, indem ich mich auf die Beweise der aufgeklärtesten Moralisten, sondern auf das sittliche Urtheil eines jeden Menschen berufe, wenn er sich ein dergleichen Gesetz deutlich denken will.

§. 212. Contra hanc Kantii inconstantiam in adhibendo, spernendoque naturæ sensu illud nunc maxime affirmo: Si recta philosophandi via rationeque uti voluisset Kantius, debuerat consensum humani generis in agnoscendo ex principiis theoreticis Deo conditore exquirere, eundemque in numero argumentorum ponere. Poscit enim recta methodus, ut ex cognitis veritatibus deducamus veritates alias cum prioribus connexas, sive ad veritates novas investigandas, novaque capienda experimenta, quibus cognitæ veritates confirmantur, diligenter progredi non prætermittamus. Ita sane in Physica detectis legibus gravitatis universalis conjectura primum oborta est de figura terræ non penitus globosa, & diversa corporum terrestrium gravitate in diversis locis. Procedi ergo debuit ad nova his ipsis de rebus capienda experimenta; quæ cum responderent præcedentibus conjecturis, ipsisque legibus gravitatis universalis, hæ ipsæ novo, firmissimoque argumento censebantur confirmari. Simili sane methodo in proposito themate uti debuerat Kantius. Duas enim velut a priori cognitas admittit propositiones verissimas. *Prima est:* dogmata hæc: *mundus incepit aliquando existere: mens humana simplex, incorruptibilis*

tibilis & libera est : ordo & nexus rerum mundanarum ab Ente primo pendet , fundamenta sunt honestatis ac religionis. *) *Secunda est* : cognitio illa, quam obvenire omnibus maxime interest, communem omnium captum superare non debet, nec solis doctis adjudicari. **) Porro nosse, & quantum necesse est, perspicere fundamenta honestatis, ac religionis, sine dubio istiusmodi cognitiones sunt, quas obvenire omnibus maxime interest, quæque ob eam causam cummunem omnium captum superare non debent, nec solis doctis adjudicari. Hactenus progressa kantiana ratio non debebat repente ignava fieri, sed ultra procedere exquirendo in historia humani generis sensum, ac consensum in agnoscendis dogmatibus, quæ honestatis ac religionis fundamenta esse animo jam præconceperat. Invento dein eo seusu & consensu humani generis (debuerat eum invenire ex certissima fide historica) novum ex illo judiciorum suorum præcedentium, idque firmissimum argumentum fuisset nactus.

*) Seite 494. Dafs die Welt einen Anfang habe : dafs mein denkendes Selbst einfacher, und daher unverweslicher Natur, dafs dieses zugleich in seinen willkührlichen Handlungen frey, und über Naturzwang erhoben sey, und dafs endlich die ganze Ordnung der Dinge, welche die Welt ausmachen, von einem Urwesen abstamme, von welchem Alles seine Einheit, und zweckmäfsige Verknüpfung entlehnt, das sind so viel Grundsteine der Moral, und Religion.

**) S. 859. Verlangt ihr denn, dafs ein Erkenntnifs, welches alle Menschen angeht, den gemeinen Verstand übersteigen, und euch nur von den Philosophen entdeckt werden solle ? — — Die Natur darf in dem, was Menschen ohne Unterschied ange-

angelegen ist, keiner partheyischen Austheilung ihrer Gaben beschuldiget werden, und die höchste Philosophie kann es in Ansehung der wesentlichen Zwecke der menschlichen Natur nicht weiter bringen, als die Leitung, welche sie auch dem gemeinsten Verstande hat angedeihen lassen.

§. 213. Expendenda igitur est vis communis hominum intelligentiæ cum universe in dijudicandis rebus, tum in iis maxime, quæ communiter ad omnes pertinent. Quid est autem, quod ad singulos & universos propius attineat, quam dispicere, utrum extet Ens supremum, principium ac finis rerum omnium, a quo bona omnia adeptus quisque sit, & in posterum adipisci queat? Adnotavit hanc vim humani judicii Tullius lib. 3. de Oratore c. 50. & 51. *illud*, inquiens, *nequis miretur, quonam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet; cum in omni genere, tum in hoc ipso magna quædam est vis, incredibilisque naturæ. Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione, quæ sint in artibus ac rationibus recta, ac prava, dijudicant. — Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum & rudem, quam non multum differat in judicando.* Hac quidem in re, cum de principiis theoreticis demonstrationum Dei agitur, ipse fatetur Kantius, intellectum humanum, uti est vulgo, nihil magnopere laborare in agnoscenda causa prima rerum omnium, ipsamque rationem naturali vi quadam abstrahi a progressibus in infinitum, atque ad completam assumendam seriem propendere. *) Dixerim ego, rudium hominum sententiam majoris ponderis esse in communibus istiusmodi doctrinarum causis, quam philosophorum, qui multis rationibus sæpenumero a cogno-

ſcendo, aut certe quidem a profitendo vero abducuntur. Quanta enim dogmatum monſtra peperit novitatis ſtudium, invidiæ ſtimulus, contentionis ardor, gloriæ cupiditas, præconceptæ hyotheſis amor? Hinc Ælianus de Deo, ac providentia divina agens, diſputantibus philoſophis græcis prætulit barbaros ſimplicitate & ruſticitate naturali ea in re uſos; ita enim inquit lib. 2. c. 31. Var. Hiſt. *Et quis non barbarorum ſapientiam laudibus extollat? ſiquidem nemo eorum ad contemtum deorum unquam excidit: neque in dubium vocant, ſintne dii, an non ſint, & curentne res humanas, an non? nemo igitur neque Indus, neque Ægyptius eam cogitationem in animum induxit, quam vel Evemerus meſſenius, vel Diogenes phryx, vel Hippon, vel Diagoras, vel Soſias, vel denique Epicurus; ſed barbari hi, quos dixi, contendunt & eſſe Deos, & noſtri curam gerere.* Quantam porro firmitatem habeat argumentum ex communi hominum perſuaſione deductum, exponi ſolet in diſciplina rationali, quando veritatis criteria traduntur. Kantius quidem in canone rationis puræ, uti eum appellat novitatis gratia, intereſſe dicit, utrum quis convictus de vero, an mere perſuaſus ſit, dum pro vero quidpiam habet. Judicium tamen extrinſecum de eo, quod vere convictus quispiam, non ſolum perſuaſus ſit; illud ſtatuit, ſiquis ſententiam ſuam communicare cum aliis valeat, & communem obtinere conſenſum. Tum enim ſaltem præſumtio eſt, rationem conſentientium judiciorum omnium, quantumvis maxime differant inter ſe, qui judicant, inniti fundamento eidem, ipſi nempe objecto, quo cum communiter con-

consentiunt, eoque ipso veritatem judicii comprobant. **)

*) Seite 495. Der gemeine Verstand findet in den Ideen des unbedingten Anfangs aller Synthesis nicht die mindeste Schwierigkeit. Seite 502. Die menschliche Vernunft ist ihrer Natur nach architectonisch, d. i. sie betrachtet alle Erkenntnisse, als gehörig zu einem möglichen System, und verstattet daher auch nur solche Principien, die eine vorhabende Erkenntniss wenigstens nicht unfähig machen, in irgend einem System miteinander zusammen zustehen.

**) Seite 848. Der Probirstein des Fürwahrhaltens, ob es Ueberzeugung, oder blosse Ueberredung sey, ist also äusserlich die Möglichkeit, dasselbe mitzutheilen, und das Fürwahrhalten für jedes Menschen Vernunft gültig zu befinden; denn alsdenn ist wenigstens die Vermuthung, der Grund der Einstimmug aller Urtheile, ungeachtet der Verschiedenheit der Subjecte unter einander, werde auf dem gemeinschaftlichen Grunde, nämlich dem Objecte beruhen, mit welchem sie daher alle zusammenstimmen, und dadurch die Wahrheit des Urtheils beweisen werden.

CAPUT XVII.

OPPOSSITIONES FRIVOLAE KANTII CONTRA DEMONTSRATIONES, QUAS DE DEO COMMEMORAT PRAETERMISSIS ALIIS.

§. 214. Detractis demonstrationibus iis, quas capite superiori recensui, relinquit Kantius argumenta tria, nempe sic dictum cosmologicum, physico-theologicum, & ontologicum (§. 206.) petitum

titum ex notione Entis infiniti, seu absolute perfectissimi; cui argumento aliqui ex solertissimis Philosophis ac Theologis, qui luculentas alias sane demonstrationes de existentia Dei protulerunt, vim & perspicuitatem inexpugnabilem atttibuere ausi non sunt. Hac igitur parte, quam ceteris debiliorem putat Kantius, primam acerrimamque impressionem facit; qua expugnata non dubitat, reliqua argumenta per se collapsura, quippe quæ ad ontologicum argumentum reducerentur, aut eo niterentur quoquo modo. At enim consensu omnium alia est demonstratio *a posteriore*, ex creatis rebus, earumque mutationibus, & constanti ordine deducta: alia subtilior ex possibili conceptu Entis perfectissimi & infiniti, *quasi a priori* contexta; proprio enim significatu a priori suscipi demonstratio dicitur, si ex causis ad effectus earum progredimur; quod locum non habet, cum de causa prima rerum omnium agitur. Inest in argumento cosmologico vis propria & specialis demonstrandi existentiam causæ primæ, necessariæ, & ab omni alia conditione independentis: argumentum item, quod physico-theologicum nuncupat, de summa intelligentia, potentia, providentiaque opificis mundanarum rerum plane convincere debet quemlibet contemplatorem mundi, qui veritati victas manus dare impudenter non respuit. De ontologico argumento fidenter pronuntio, nullo negotio dissolvi & expediri posse omnia, quæ contra illud objectantur a Kantio, qui quidem insignis temeritatis atque impudentiæ notam non effugiet apud cordatos, sapientesque viros, quando argumenta illa omnia, quæ recenset, pro demonstranda existentia Dei im-

*)

possibilia, id est, nulla penitus asserere non dubitavit. *)

*) Seite 618. Es sind nur drey Beweisarten vom Daseyn Gottes aus speculativer Vernunft möglich. — — Seite 620. Unmöglichkeit eines ontologischen Beweises vom Daseyn Gottes. — — Seite 631. Unmöglichkeit eines cosmologischen Beweises vom Daseyn Gottes. — — Seite 638. Unmöglichkeit des physico - theologischen Beweises.

§. 215. Argumentum ontologicum, quod primo, ut dixi, & vehementissime impetit Kantius, his continetur positionibus: Ens realissimum, meras continens relitates absque negatione & limite ullo, sive ut alii loquuntur, Ens perfectissimum seu infinitum est possibile; ergo existit. Consequentia hoc nititur firmissimo epicheremate: *Ens, quod plenam rationem existentiæ in se ipso, sive in sua possibilitate & essentia continet, certissime existit;* (neque enim plena ratio existentiæ sine existentia esse potest) at *vero ens realissimum seu perfectissimum plenam rationem existentiæ in se ipso, sive in sua possibilitate & essentia continet;* (nam plenam rationem existentiæ in se ipso, sive in sua possibilitate & essentia continere, sine dubio realitas & perfectio est, quæ inter omnes realitates & omnes perfectiones comprehenditur) *ergo ens realissimum seu perfectissimum certissime existit.* Nihil in argumentatione hac impugnari a Kantio potest, ac ne *possibilitas* quidem Entis realissimi seu perfectissimi; quæ ex notionibus jam perspicua est. Nam possibile dicimus, quod contradictionem non involvit: — contradictio in realitate, & ejusdem negatione

tione consistit: — Ens realissimum, meras continens realitates absque negatione & limite ullo, non involvit realitatem & ejusdem negationem, consequenter nec contradictionem. Agnoscit Kantius, vel potius ex quadam liberalitate concedit ad tempus, notionem Entis realissimi a contradictione liberam esse; at negat, possibilitatem objecti ob eam causam concludi posse, de qua re mox dicam. *) Aliis autem locis possibilitatem ejus notionis aperte fatetur, atque etiam probat; **) quia realitas cum negatione sola, non autem cum realitate pugnat. Quid multis? nonne ipse Kantius in Ideale rationis puræ omnes realitates sine negatione confert. (§. 197.)

*) Seite 621. Das allerrealeste Wesen, sagt ihr, hat alle Realität, und ihr seyd berechtigt, ein solches Wesen als möglich anzunehmen (welches ich vor itzt einwillige, obgleich der sich nicht widersprechende Begriff noch lange nicht die Möglichkeit des Gegenstandes beweiset).

**) S. 630. Das analytische Merkmal der Möglichkeit, das darinn besteht, dass blosse Positionen (Realitäten keinen Widerspruch erzeugen, kann dem Begriffe eines höchsten Wesens nicht abgestritten werden. Seite 320. Wenn Realität nur durch den reinen Verstand vorgestellt wird; (realitas noumenon) so lässt sich zwischen Realitäten kein Wispruch denken. Seite 336. Durch Hinzuthun eier blossen Bejahung (Realität) zur andern, wird ja das Positive vermehrt, und ihm nichts entzogen, oder aufgehoben; daher kann das Reale in Dingen überhaupt einander nicht widerstreiten.

§. 216. *Objicit Kantius I.* Alia est possibilitas *logica*, alia *realis*; illius character est immunitas

[illegible]
ulificandum. Eligitur Episcopus [illegible] sub nomine Henrici 2.
ad [illegible] duabus Episcopiis scilicet Placentino et Vercellensi.
Ultimus erat ex comm. a Leone IX. Primus sede dejectus de
concubinatus convictus. — Henricus II conflato exercitu Romam
petit. Repulsus valido majori cum exercitu Romam et ipsam
Basilicam Vaticanam [illegible] occupat, a Rom. civibus etiam perfugos
se cum suis in castro St. Angeli inclusus. — 300 librarum
salutem [illegible] quaerit fuga. — De Concil. Mantuae celebrato
condemnatur ut invasor Sacrae Sedis — haud cum pari [illegible] nota
occubuit. — Bonifacium VIII et Philippum Pulchrum [illegible] discordia
ex [illegible] tantum Principes acceptavit legatum alterius Principis. —
Et [illegible] etiam [illegible] superior in spiritual.

subdistinguo : nisi in logica possibilitate continea-tur plena ratio existentiæ realis & objectivæ, c; si in ipsa logica possibilitate continetur plena ratio realis & objectivæ existentiæ, n. Si de Ente rea-lissimo sermo est, tum certe in illius possibilitate lo-gica, sive in notione ejusdem continetur inter om-nes possibiles perfectiones seu realitates etiam per-fectio seu realitas hæc : *habere in se plenam ratio-nem existentiæ realis & actualis.*

*) Seite 624. Der Begriff ist allemal möglich, wenn er sich nicht widerspricht. Das ist das logische Merkmal der Möglichkeit. — — Allein er kann nichts destoweniger ein leerer Begriff seyn, wenn die objective Realität — nicht besonders darge-gethan wird; welches jederzeit auf Principien möglicher Erfahrung, und nicht auf dem Satz des Widerspruchs beruhet. Das ist eine Warnung von der Möglichkeit der Begriffe (logische) nicht sofort auf die Möglichkeit der Dinge (reale) zu schliefsen.

§. 217. Animadversione opus est, quæ de-claret, tum quod Kantius objicit, tum quod re-sponsum fuit objicienti. Quis neget, principium contradictionis verissimum, reale, objectivum esse; & tamen Kantius id mere *logicum* appellat, qua-si nullam cognitionem comprehenderet, nec esset, nisi forma logica cognitionis. *) Ita nempe, cum dicere deberet, id principium pertinere ad *objecta omnia cognoscibilia*, ad sensibilia & insensibilia, ad possibilia, & actualia, ait, id nullum comprehen-dere objectum, sed esse formam logicam. Nihil puto, absurdius in hisce rebus dici posse. Si enim ex notione vera & objectiva rejiciuntur singularia,

parti-

particularia, paucioribus communia, retentis & abstractis iis, quæ pluribus, vel omnibus plane rebus communia sunt; ob id notio generalis profecto amittere non potest realitatem, & veritatem objectivam. Secundum Kantium quidem realis & objectiva cognitio est hæc: *Scapha est scapha: si sol lucet, lucet; & non potest tempore, quo lucet, non lucere.* At vero si dicam: *quod est, illud est; fieri non potest, ut idem simul sit, & non sit;* tum in his nulla inest realitas & veritas objectiva, sed mera forma logica. Eodemque modo, cum Logica de triplici mentis operatione agat certis regulis conformanda, nec ullo per se coarctetur operationum illarum objecto vel argumento, infert, Logicam nullum plane comprehendere objectum, sed disciplinam esse mere formalem. Disputabant veteres Philosophi de objecto logices non segniter; quod alii in operationibus mentis, alii in syllogismo, alii in vocibus reponebant. Nunc Kantius ex tripode rem dirimit: Logica objectum habet nullum, sed mera forma est cognitionum humanarum. Inanis ergo, & nulla est distinctio kantiana inter possibilitatem logicam & realem; si enim *quovis singulari casu* vera & realis possibilitas habebetur (*quia hæc res A est, quod est; quia fieri non potest, ut hæc res A, quæ est, non sit,*) erit etiam vera & realis possibilitas *universe*, quando contradictio nulla involvitur in data notione.

*) Seite 599. Der Grundsatz der Bestimmbarkeit: dass nur eines von je zween einander contradictorisch - entgegengesetzten Prädicaten jedem Begriffe (Dinge) zukommen könne, beruht auf dem Satze des Widerspruchs, und ist daher ein bloss logi-

logisches Princip, das von allem Inhalte der Erkenntniss abstrahirt, und nichts als die logische Form derselben vor Augen hat.

§. 218. Ob. II. Data possibilitate rei cujuscunque, queri potest de propositione: *res illa possibilis existit*, utrum analytica sit, vel synthetica; si analytica est, tum prædicatum existentiæ in subjecto jam continetur, sitque sensus: *res illa possibilis & existens existit*; quæ est tautologia: si vero est synthetica (quales re ipsa sunt omnes propositiones, quæ affirmant existentiam subjecti) tum ad notionem subjecti adjungi de novo debet existentia; proindeque notio subjecti sine existentia potest intelligi. Similiter ergo notio Entis realissimi & perfectissimi locum habet, quin necessario ejus existentia cogitetur. Ne ad alia, quæ aliena sunt a proposito, divagetur oratio, ac de modo cognoscendi existentias rerum omnium differere cogar, respondebo de propositione hac sola: *Ens realissimum seu perfectissimum existit*, & sine hæsitatione respondebo: hæc propositio est *analytica*; quia prædicatum *existentiæ* cum notione subjecti necessario cohæret, aut ex ea deducitur, vel per notionem subjecti determinatur. Nam posita per notionem omni realitate & perfectione ponitur realitas & perfectio hæc: *continere in se plenam rationem existentiæ*; proindeque poni debet ipsa existentia; neque enim plena ratio existentiæ sine existentia intelligi potest. At tali modo propositio fit tautologica & nugatoria, quasi hanc contineret formam: *Ens realissimum seu perfectissimum existens existit.* Resp. n. Expendatur Epicherema §. 215. Sed urget Kantius: in notione subjecti cum omni possibili

præ-

prædicato ponitur exiſtentia; ergo manet tautologia. *) Reſp. d. a. Cum omni poſſibili prædicato *reipſa*, ſeu *realiter* ponitur exiſtentia, quatenus Ens realiſſimum ſeu perfectiſſimum *re ipſa* exiſtit c. cum omni poſſibili prædicato etiam *formaliter* & in ipſo conceptu ponitur exiſtentia n. a. & c. In omni ſyllogiſmo categorico concluſio reipſa continetur in præmiſſis, ſed ob hoc ſyllogiſmi categorici non ſunt meræ tautologiæ & nugæ; quia convenientia extremorum non perſpicitur, niſi ope termini medii, quocum illa comparantur. Secus pariter tautologica eſſet propoſitio hæc: omnes anguli in triangulo rectilineo ſunt æquales duobus rectis.

*) Seite 625. Ich frage euch, iſt der Satz: dieſes oder jenes Ding (welches ich euch als möglich einräume; es mag ſeyn, welches es wolle) exiſtirt, iſt, ſage ich dieſer Satz ein analytiſcher, oder ſynthetiſcher Satz? Wenn er das erſtere iſt, ſo thut ihr durch das Daſeyn des Dinges zu eurem Gedanken von dem Dinge nichts hinzu — ihr ſetzt ein Daſeyn, als zur Möglichkeit gehörig voraus, und ſchlieſst das Daſeyn dem Vorgeben nach aus der inneren Möglichkeit; welches Nichts als eine elende Tautologie iſt.

§. 219. Ob. III. Etſi mente concipiatur realitas ſumma, cui proin realitas nulla deſit, tamen relinquitur quæſtio, utrum id, quod mente concipitur, reipſa exiſtat: ergo ex conceptu ſolo non infertur exiſtentia. Reſp. d. a. relinquitur ea quæſtio, quæ tamen, data poſſibilitate conceptus, certiſſima argumentatione ſolvitur, tolliturque, c. ſecus, n. Inſtat 1. Poſita omni realitate, in conceptu ſeu notione comprehenſa, deeſt relatio Entis realiſſimi ad vim

vim cognoſcendi, quia opus eſt, ut cognitio ejus objecti a poſteriori etiam comparari poſſit. Reſp. Dudum animadverti, lectoremque monui, *realitatem* & *cognoſcibilitatem* reipſa in idem cadere; quia mens intelligens omnem realitatem concipere quoquo modo poteſt; poſita ergo realitate ponitur cognoſcibilitas, & viciſſim. Si Kantius cognitione objecti *a poſteriori* eam denotat cognitionem, quæ fit per ſenſus; tum principium petit denuo, quo putat, nihil reale cognoſci poſſe, niſi ſenſuum ope. Ceterum omnis noſtra cognitio relate ad Ens perfectiſſimum omnino extrinſeca eſt; neque ejusdem realitas, aut exiſtentia a cognitione noſtra ullo modo pendet. Inſtat 2. Si ſolo intellectu ſecundum categoriam puram repræſentatur exiſtentia, nullum inter hanc & poſſibilitatem diſcrimen relinquitur, neque nota ſuppetit, poſſibilitatem ab exiſtentia diſcernendi; unde in argumento ontologico altera cum altera confunditur, & commutatur. Aliter fit in rebus ſenſibilibus, quarum objectum *qua poſſibile*, & vi notionis repræſentatur tanquam conſentaneum *poſſibili experientiæ* cuidam, & *qua exiſtens* tanquam comprehenſum in *actuali experientia*. *) Reſp. 1. Si res præciſe ſpectetur ſecundum notas intrinſecas, poſſibilitas rei, & exiſtentia rei easdem continent notas, neque differunt inter ſe, quemadmodum in metaphyſica diſtincte exponitur; nam per notas ſuas minime pugnantes inter ſe res eſt id, quod eſt, proindeque per notas illas eſſentiam ſuam habet, & poſſibilis eſt; ac per eas notas formaliter exiſtit; rem enim exiſtentem ponere, eſt notas rei exiſtentes ponere; docet id expreſſe ac dilucide ipſe Kantius. **) Reſp. 2. Si

Si poſſibilitas rei ab exiſtentia rei hoc ſolo diſtinguitur, quod illa referatur ad poſſibilem experientiam, hæc ad actualem; redit quæſtio de poſſibili & actuali experientia, quomodo altera differat ab altera & ſejungatur. Kantius ergo hanc exigens differentiam in circulo obambulat, atque idem explicat per idem. Experientia extra rem eſt, neque ad ejus poſſibilitatem neque ad exiſtentiam requiritur neceſſario. Si res ponitur *ſenſibilis*, tum certe quidem, quatenus *ſenſibilis* res eſſe ponitur, experientiæ ſenſuum obnoxia eſſe debet, non quatenus *res* eſt vel poſſibilis vel exiſtens.

*) Seite 628. Wäre von einem Gegenſtande der Sinne die Rede, ſo würde ich die Exiſtenz des Dinges mit dem bloſsen Begriffe des Dinges nicht verwechſeln können. Denn durch den Begriff wird der Gegenſtand nur mit den allgemeinen Bedingungen einer möglichen empiriſchen Erkenntniſs überhaupt als einſtimmig, durch die Exiſtenz aber als in dem Context der geſammten Erfahfahrung enthalten gedacht. — Wollen wir dagegen die Exiſtenz durch die reine Categorie allein denken, ſo iſt kein Wunder, daſs wir kein Merkmal angeben können, ſie von der bloſsen Möglichkeit zu unterſcheiden.

**) Seite 627. Es kann zu dem Begriffe, der bloſs die Möglichkeit ausdrückt, darum, daſs ich deſſen Gegenſtand als ſchlechthin gegeben (durch den Ausdruck: *Er iſt*) denke, nichts weiter hinzu kommen. Und ſo enthält das Wirkliche nicht mehr, als das bloſs Mögliche. Hundert wirkliche Thaler enthalten nicht das Mindeſte mehr, als hundert mögliche. Denn da dieſe den Begriff, jene aber den Gegenſtand, und deſſen Poſition an ſich ſelbſt bedeuten, ſo würde im Fall daſs dieſer mehr enthielte als jener, mein Begriff nicht den

den ganzen Gegenstand ausdrücken, und also auch nicht der angemessene Begriff von ihm seyn. Seite 628. Wenn ich also ein Ding, durch welche, und wie viel Prædicate ich will (selbst in der durchgängigen Bestimmung) denke, so kömmt dadurch, dass ich noch hinzusetze: *dieses Ding ist*, nicht das mindeste zu dem Dinge hinzu. Denn sonst würde nicht eben dasselbe, sondern mehr existiren, als ich im Begriffe gedacht hatte, und ich könnte nicht sagen, dass gerade der Gegenstand meines Begriffes existire.

§. 220. Nova hic animadversione opus est, ut objecta kantiana, responsaque mea perspici satis queant. Nam de possibilitate seu essentia rerum, earumque existentia differens miris verborum pugnis rem totam implicat. Nunc enim possibilitatem & existentiam rei nulla penitus nota differre inter se docet, uti perspicuum est ex verbis præcedentibus, indeque concludit, cum possibilitate Entis realissimi ipsam ejusdem existentiam a nobis sumi, totamque argumentationem nostram non esse, nisi tautologiam, qua in antecedente præsumimus id, quod in consequente deducere volumus. Alio autem loco existentiam velut accessorium possibilitatis complementum exhibet, per quod tanquam prædicatum propositionis syntheticæ subjecti notio quodammodo augeri, & amplificari debeat; idque eo facit consilio, ut ex possibilitate Entis realissimi seu perfectissimi, id est, ex notione subjecti, ipsum prædicatum existentiæ deduci aut determinari posse neget; cum notio illa concipi sine existentia queat, nec repugnet, existentiam removere a notione Entis realissimi, seu perfectissimi. Addit, se sola definitione accurata de

de existentia cujuspiam rei verisimiliter convulsurum totum id, quod acute nimis & subtiliter disputatur, nisi inolita assuetudo commutandi prædicatum logicum possibilitatis cum prædicato reali existentiæ ita illuderet hominibus, ut, quæ vera sunt, edoceri se vix ac ne vix quidem patiantur. *)

*) Seite 626. Ich würde zwar hoffen, diese grüblerische Argumentation, ohne allen Umschweif, durch eine genaue Bestimmung des Begriffes der Existenz zu nichte zu machen, wenn ich nicht gefunden hätte, dass die Illusion in Verwechselung eines logischen Prædicats mit einem realen — — beynahe alle Belehrung ausschlage.

§. 221. Adcuratam ergo definitionem de eo, quid sit *existere* rem quampiam, in promtu habebat Kantius, qua sola dogmaticorum asserta convelleret, nisi præjudicatæ obstarent opiniones. At ego, si adcurate velimus loqui, nego possibilem esse definitionem de eo, quid sit *existere* rem quampiam. Est enim simplicissima idea vocabulo *existentiæ* subjecta, quam animadvertere ipsi, & indicare aliis, non autem enumeratione notarum, seu completa ac determinata notione exprimere possumus; in quo definitio sita est. Nec tamen penitus occultavit Kantius, cujusmodi definitionem habuerit in mente; existentiam enim nunc appellat *determinationem* rei; quia omne existens quaquaversus est determinatum; cum locum non habeat a parte rei, ut dicimus, suspensio quædam & indeterminatio: nunc eam novo vocabulo nuncupat *positionem* rei, vel *positionem determinationis* rerum: nunc prædicatum reale esse affirmat, quod ad

ad notionem subjecti (ad possibilitatem atque essentiam ejusdem) accedere, atque eandem augere debet, quasi *complementum* quoddam vel *additamentum* possibilitatis esset existentia rei. *) Sed hæ voces omnes magis complicatas ideas continent, plusque obscuritatis habent, quam simplicissima idea, quæ vi hujus vocabuli *existere* exprimitur, & cuivis luce meridiana clarior est. *Positionis* vox hypotheses omnes etiam mere possibilium, imo in demonstrationibus apogogicis etiam impossibilium complectitur, nec pro nota rerum existentium propria haberi potest. *Complementum* quodcunque, vel additamentum, quod possibilitati obvenire creditur per existentiam, abhorret ab iis, quæ a me §. 219. sunt comprobata, & ex ipso Kantio exscripta, præterquam quod idem complementum quæstionem de sua ipsius possibilitate & existentia replicet; quod idem de omnimoda determinatione dici potest, qua affectum censetur omne id, quod reipsa existit. Multiplex enim de rerum determinabilitate, de possibilitate atque existentia determinationum quæstio moveri potest. Ceterum quia determinatio sermone latino ad terminationem, finesque rerum refertur, malim ego, cum de Ente infinito agitur, id omni possibili modo perfectum, perfectissimumque dicere, quam determinatum.

*) Seite 628. In Verwechselung eines logischen Prædicats mit einem realen (d. i. mit der Bestimmung eines Dinges). Die Bestimmung ist ein Prædicat, welches über den Begriff des Subjects hinzukömmt, und ihn vergrösert. — — Seyn ist bloss die Position eines Dinges, oder gewisser Bestimmungen an sich selbst.

§. 222.

§. 222. Ad tollendam omnem ambiguitatem, & tenebras pellendas, quas commentatio longa Kantii, secumque ipsa pugnans offundit, dicam presse & præcise, quæ ad hunc locum videntur pertinere. *Primo.* Quid sit *existentia* vel *actualitas* tanquam cuivis notissimum, non disquiri vel definiri debet; quia simplicissima ejus conceptio est. Vidit hoc non tantum Lockius de Int. Hum. lib. 2. c. 7. §. 7. sed etiam profundissimus Franc. Suarezius Tom. I. Disputationum Metaphysicarum Disp. 2. Sect. 4. ubi ita inquit: „Sumto *Ente in actu*, prout est significatum illius vocis in vi „participii sumtæ, ratio ejus consistit in hoc, quod „sit aliquid actu existens, seu habens realem actum „essendi, seu habens realitatem actualem, quæ a „potentiali distinguitur, quæ est actu nihil. Hoc „totum cum solum consistat in *declaratione simplicissimi conceptus*, non potest aliter probari, quam „ex communi modo concipiendi.“ *Secundo.* Possibile generatim seu abstracte sumitur modo duplici, abstractione *præcisiva*, neque continens existentiam, neque eam excludens, nempe in conceptu: & abstractione *negativa seu privativa*, tanquam *mere* possibile, quo modo existentia excluditur, & sic quidem possibile seu ens in potentia, & ens actu distinguuntur. *Tertio.* Res possibilis abstractione præcisiva intelligitur possibilis (intrinsece) per notas suas non pugnantes, ac si existere ponitur, eædem notæ ponuntur existentes; *formaliter* ergo existit per suas notas, per suam possibilitatem sive per suam essentiam. Quod & quale Deus vidit, antequam produceret, tanquam terminum scientiæ possibilium, & omnipotentiæ, tale formaliter existit.

 Quarto.

Quarto. At noſtra cognitio poſſibilitatis & exiſtentiæ rerum nonne differunt? Quia noſtra cognitio poſſibilium eſt abſtractiva, præciſiva & generalis; hinc quando rem actu exiſtere cogitamus, non illas tantum notas, quas conceptus poſſibilitatis exhibuit, actu exiſtere cogitamus, ſed præterea varias determinationes & relationes, quas obtinent notæ rei actu exiſtentes. Sic quando exiſtunt actu thaleri 100, quos concepi poſſibiles, non plures exiſtunt, quam poſſibiles conceperam; ſed eos, cum exiſtunt, refero ad ſtatum patrimonii mei, ad quem antea referre non potui. Sic quidem ipſe Kantius docet. *) Hinc differunt quæſtiones hæ: *quid res ſit*, & *an ne exiſtat reipſa*? Rhetores illam ad ſtatum definitivum, hanc ad conjecturalem referunt, atque aliter tractant utramque. *Quinto.* Si quæritur, an poſſibilitas ſeu eſſentia, & exiſtentia diſtinguantur; reſpondeo: poſſibilitas, abſtractione præciſiva ſumta, & eſſentia non diſtinguitur: at poſſibilitas accepta abſtractione negativa ſeu privativa, & exiſtentia diſtinguitur, ut privatio & habitus, ſeu uti ens in potentia tantum & non in actu, & ens in actu. *Sexto.* Si quæritur, an exiſtentia ſit prædicatum reale, diſtinctum a poſſibilitate; reſpondeo, realitas ſumitur dupliciter primo pro *actualitate*; & ſic differt a poſſibilitate privative ſumta, non autem ſumta præciſive, uti dictum n. 5. ſecundo *realitas* ſumitur pro cognoſcibilitate directa & poſitiva, & ſic opponitur ejus negationi, quæ indirecte tantum cognoſcitur. Kantius poſſibilibus iis, quæ ſi exiſterent, experientiæ cuipiam eſſent obnoxia, tribuit realitatem & veritatem objectivam, etſi non exiſtant; ergo realitatem in ſola exiſten-

tia

tia non constituit; proindeque aliqua realitas concipi potest sine existentia. Veteres Metaphysici mere possibilibus tribuebant existentiam objectivam & intentionalem: actu existentibus vero existentiam physicam: utramque habuerunt pro *reali*, non utique actuali, sed quatenus utraque veritatem metaphysicam & directam cognoscibilitatem habet.

*) Seite 627. Bey hundert wirklichen Thalern ist in meinem Vermögen mehr, als bey dem blofsen Begriffe von denselben (d. i. ihrer Möglichkeit). Denn der Gegenstand ist bey der Wirklichkeit nicht blofs in meinem Begriffe analytisch enthalten, sondern kommt zu meinem Begriffe (der eine Bestimmung meines Zustandes ist) synthetisch hinzu, ohne dafs durch dieses Seyn aufserhalb meinem Begriffe, diese gedachte hundert Thaler selbst im mindesten vermehrt werden.

§. 223. Ob III. *Necessitas judicii* distingui debet *a necessitate rei*; ergo si ex notione realissimi seu perfectissimi necessario inferam judicium hoc: *Ens perfectissimum existit*; non sequitur, ut illud extra mentem meam reipsa existat. A. pr. Siquis judicium ferat necessarium, quod triangulum tres habeat angulos, ob id triangulum non existit necessario. Resp. d. a. Necessitas judicii distingui debet a necessitate rei, hoc est, si judicium necessarium non attingit absolutam existentiam rei, sed tantum proprietatem, quæ rei convenit, si res existat, tum non infertur absoluta existentia rei, sed tantum proprietas, quæ rei convenit sub conditione, *si existat*, c. Si necessitas judicii attingit ipsam absolutam existentiam rei, n. a. & c. In illo judicio, de quo disputamus: *Ens realissimum, seu per-*

perfectissimum existit, necessitas istius conclusionis, quæ ex præmissis deducitur, attingit ipsam ejus existentiam absolutam; ut proinde necessitas judicii a necessitate rei distingui non possit, nisi cujusvis theorematis demonstrationem hoc dicto velimus eludere: *est necessitas judicii*, *non est necessitas rei.* Ceterum norunt tyrones logices, propositiones in materia necessaria, in quibus per notionem subjecti non existentia rerum, sed proprietates earum & attributa determinantur, non affirmare absolutam existentiam rerum, sed proprietates tantum & attributa, quæ necessario conveniunt rebus, *si existant*, ut, si dicam; *homo est animal*, *triangulum habet tres angulos*, sensus sit: si *existit homo, existit animal*: si *datur triangulum*, *dantur tres anguli*.

§. 224. Ob. IV. In omni propositione synthetica, cujusmodi illa est, quæ existentiam rei enuntiat, prædicatum auget notionem subjecti, eique addit quidpiam in notione ipsa non relucens; ergo ex sola notione Entis realissimi seu perfectissimi non potest repeti existentia; cur enim concipi non queat, Ens realissimum in mente & conceptu existit quidem, sed extra mentem & conceptum non existit? Resp. 1. nego supp. quod propositio hæc: *Ens realissimum existit*, *synthetica sit*; cum per notionem subjecti determinetur ejus existentia; uti docente Kantio hæc propositio: *conditionatum pendet a serie conditionum*, analytica est; quia ipsa notio conditionati connexa est cum serie conditionum (§. 204. not.) sic idem existimari debet de propositione: *Ens realissimum*, *seu*

seu perfectissimum existit. Si de existentia aliarum rerum quoad substantiam, non solas proprietates vel modos earum quæritur, illæ rationem, cur existant, in se & possibilitate vel essentia sua non continent; quapropter earum existentia nec repeti ex sola illarum notione potest. At Ens realissimum seu perfectissimum eo ipso, quod omnes perfectiones, atque in his rationem & sufficientiam existendi complectatur, necessario existere vi notionis suæ vel possibilitatis debet.

§. 225. Ob. V. Existentia est determinatio rei, a re distincta, eique per prædicatum addita, & subjectum augens; ergo ex re, & notione rei deduci nequit. Resp. d. a. Existentia est determinatio rei illius, quæ per se & possibilitatem suam nondum est omnimodis determinata, c. a. est determinatio Entis realissimi, quod per se & possibilitatem suam jam est penitus determinatum, seu omni ex parte perfectum, n. a. & c. Res alias quoad essentiam determinatas concipimus præcisive, indeterminate, ac fere sub termino communi sive universaliter; at non existunt præcisive, & indeterminate, nec universaliter, quemadmodum concipiuntur; accedunt ergo ad essentiam determinationes aliæ, relationes, modi. Nec tamen existentia rei per hasce determinationes accessorias explicari aut definiri potest; quia notæ essentiales per accessorias nec formaliter nec causaliter existunt, vel ad existendum determinantur; & quia de his ipsis notis accessoriis tum possibilitas earum, tum existentia seorsim spectari potest.

§. 226. Ob VI. *Esse* vel *existere* non est certe prædicatum reale, seu quædam notio, quæ ad notionem subjecti adjungi debet; ergo posita notione vel possibilitate Entis realissimi vel perfectissimi jam sumitur, seu potius præsumitur existentia. *) Resp. 1. Kantius pugnantia loquitur, uti animadversum est supra. Hic quidem negat, ad notionem subjecti adjungi debere existentiam tanquam prædicatum reale: aliis autem locis prædicatum propositionis syntheticæ adjungi debere ad subjectum ait, in quo illud non continetur. Resp. 2. d. a. Existentia non debet ad notionem subjecti adjungi, sic tamen, ut notio subjecti concipi possit, quin ea ipsam existentiam formaliter, sive conceptu expresso jam contineat, c. a. sic, ut existentiam jam contineat formaliter, sive conceptu expresso, n. a. &c. Essentiæ & possibilitates rerum præcisive concipi a nobis possunt, & solent, nec includendo in iis, nec excludendo actualem existentiam. Re ipsa autem & virtualiter in notione entis realissimi vel perfectissimi existentia continetur, uti in omni antecedente continetur conclusio; sed ob id non continuo perspicimus sine assumta tertia idea, conclusionem in antecedente contineri. Urget Kantius 1. Si possibilitas rei præcisive concipi potest sine existentia, non repugnat, possibile esse Ens realissimum, quin existat reipsa; ergo ex possibilitate non deducitur ejus existentia. Resp. n. Uti ex possibilitate entis realissimi vi rationis deducitur ejus existentia; sic ex eadem pariter deducitur impossibilitas non-existentiæ; quod idem fit in omni propositione determinata, cujus scilicet prædicatum per notionem subjecti determinatur; quo modo ex notione trianguli deducitur angulorum summa æqualis

lis duobus rectis, itemque impossibilitas, ut ea summa major vel minor sit duobus rectis. Urget 2. *Esse* nihil aliud est, nisi copula propositionis; igitur nihil reale exprimit. **) Resp. Propositio hæc: *Deus est;* cum quidquam affirmet, necessario prædicatum habet, sensumque facit: *Deus est existens.* Patet hoc etiam ex communi usu, uti animadvertit acutissimus Suarez loc. cit. nam siquis dicat: *Adam est*, significat ipsum existere. Habet autem hoc verbum (*est*) in rigore suum participium in ipso inclusum, in quod potest resolvi dicta propositio. Satis ex his quidem perspici potest, quam inania sint & frivola, quæ contra ontologicum argumentum opponuntur a Kantio.

*) Seite 626. Seyn ist offenbar kein reales Prædicat, d. i. ein Begriff von irgend etwas, was zu dem Begriffe eines Dinges hinzukommen könne.

**) Ebend. Seyn ist im logischen Gebrauch lediglich die Copula eines Urtheiles — — Sage ich: Gott ist, oder es ist ein Gott, so setze ich kein neues Prædicat zum Begriffe von Gott, sondern nur das Subject an sich selbst mit allen seinen Prædicaten, und zwar den Gegenstand in Beziehung auf meinen Begriff.

§. 227. Ab ontologico argumento, de quo dictum est hactenus, ad cosmologicum convertitur Kantius; & quia prius illud penitus labefactasse se, atque explosisse sibi persuadet, aut potius simulat, id agit, ut cosmologicum ita innectat, misceatque ontologico, quasi ab hoc totam vim ac firmitatem illud haberet. Quisque, inquit, ex rei cujuscunque, atque adeo a sua ipsius existentia naturaliter colligit, concluditque, existere Ens necessarium, libe-

rum ab omni conditione, seu absolutum & independens. Hac sola posita existentia necessaria circumspicitur notio eidem accommodanda, ac quæritur, quale sit illud Ens, quod necessario existit; moxque eidem citra difficultatem aptatur notio Entis realissimi. Ex quo concludit Kantius, existentiam Dei, quæ vi rationis theoreticæ ex notione Entis realissimi satis evinci non possit, neque argumento cosmologico, ex rerum contingentia petito, demonstrari, quantum oportet, posse. At fallit Kantius, certe fallitur, quando ex contingentia rerum nullum aliud prædicatum Dei, nisi absolutam necessitatem existendi, putat colligi. Nam si rerum omnium contingentium, quas sensu interno & externo in mundo observamus, cujuslibet item earum perfectionis, bonitatis, pulchritudinis, præstantiæque, qualis e. g. inest in humana mente, ceu sapientiæ, virtutis, rationem & causam ultimam in Ente necessario & absoluto unice deprehendimus; non possumus non hoc Ens absolute necessarium tanquam causam eorum omnium, maxime perfectum, bonum, pulchrum, summo intellectu, optimaque voluntate præditum, providum item, maximeque potens simul agnoscere. Utrum autem omnes ejus perfectiones reipsa infinitæ sint, alias dein requirit rationes, ab argumento cosmologico solo non pendentes, quæ tamen ab intellectu humano tam cito, facileque attinguntur, ut quemadmodum S. Augustinus lib. 1. de doctrina christ. c. 7. inquit, *nemo inveniri possit, qui hoc credat Deum esse, quo melius aliquid est.* Quod & Gentiles quoque homines eruditi, ac philosophi testati sunt; e quibus Cicero in primo de Natura deorum *talem esse Deum certa animi notione præsentire nos*, asserit,

asserit, *primum ut sit animans* (hoc est, non inanimum, ac cognitionis expers) *deinde ut in omni natura nihil sit eo præstantius.* Sextus item Empiricus in octavo contra Mathematicos Deum esse dicit hoc, *quod est perfectum, & optimum, & homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus, nulliusque mali capax.* Ceterum, uti monui, aliæ sunt rationes argumenti cosmologici, quibus existentiam Entis necessarii, maxima præditi perfectione, aliæ metaphysicæ, quibus perfectionem ejusdem in omni genere prorsus infinitam demonstramus.

§. 228. Kantius ait, probabili ratione non destitui sententiam eorum, qui Ens absolute necessarium faciunt perfectissimum; siquidem concessa sit Entis necessarii existentia, placueritque velut communi decreto ejusdem partes deinceps sequi. At enim, quid nos cogit, inquit, ita decernere, ac non potius rem totam relinquere in medio, donec pleno argumentorum pondere cogamur ita sentire? *) Equidem accuso iterum *ignavam rationem* Kantii, qui gravissimam de infinita Dei perfectione tractationem putet omitti posse & relinqui in medio: e contrario omnes conatus adhibeat, ut argumenta omnium ætatum judicio comprobata, omnique confirmata auctoritate modis omnibus infirmet, concutiatque. **) Quod addit de pleno pondere argumentorum, quo ad assentiendum cogi debeat, id non tantum inane est, sed malitiosum plane. Quis enim homini, qui de re proposita sceptice dubitare fixum, ac constitutum habet, ea proferet aliquando argumenta, quibus ad assensum cogi se fateatur? Nunquam proclivius mentiuntur homines,

nes, quam cum certo norunt, de mendacio redargui se & convinci non posse; & quis convincetur de eo, quod in animo penitus conclusum, tectumque habet?

*) S. 615. Diesem Begriff kann eine gewisse Gründlichkeit nicht abgestritten werden, wenn von *Entschliessungen* die Rede ist, nämlich wenn einmal das Daseyn irgend eines nothwendigen Wesens zugegeben wird, und man darinn übereinkömmt, dass man seine Partey ergreifen müsse. — Wenn uns aber nichts treibt, uns zu entschliessen, und wir lieber die ganze Sache dahin gestellet seyn liessen, bis wir durch das volle Gewicht der Beweisgründe zum Beyfalle gezwungen werden. — Dann erscheint obiger Schluss bez weitem nicht in so vortheilhafter Gestalt.

**) De ignava ratione dictum est §. 191. 192. Ceterum ignava ratio teste Cicerone in libro singulari de fato c. 12. objecta est philosophis iis, qui fato omnia fieri tradiderunt. Sic enim inquit Tullius: appellatur quidam a philosophis αεγος λογος (ignava ratio) cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item, si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Medicum ergo adhibere nihil attinet.

§. 229. Fatetur Kantius, argumentationem, qua omnes utimur Philosophi ac Theologi, Scriptores sacri & profani, a rebus contingentibus ad Ens necessarium deductam, tam esse simplicem, & naturalem, ut si ea proferatur, captui hominum: *qualis est illorum communiter*, omnino accommodata sit. *) Et tamen negat postea, Dei existentiam eo argumento satis colligi posse, & ob hanc maxi-

maxime causam negat, quod comprehendi non possit, quæ sit, & cujusmodi sit absoluta existendi necessitas. Cum, inquit, de Ente absolute necessario cunctis temporibus loquerentur homines, non tam id quæsiverunt, egeruntque, ut intelligerent, anne istiusmodi Ens, & qua ratione concipi mente possit, quam ut demonstrarent, id reipsa existere: definitio quidem nominalis difficultatem non habet, facillimumque est dicere, esse Ens tale, cujus non - existentia est impossibilis; at quid inde proficimus? exponi conditiones deberent, ob quas concipere non possimus omnino, illud non existere. Intellectus humanus conditiones quasdam exigit, ob quas, siquid necessarium esse judicat, ejus necessitatem comprehendat. At cum de Ente hoc necessario agitur, ejusque existentia absoluta, quæ a nulla penitus conditione pendeat, ita ex ejus notione abjiciuntur conditiones omnes, ut intelligi jam non possit, utrum in notione Entis absoluti quidpiam relinquatur, quod mente concipiamus, an nihil penitus. **) Quæcunque demum res sit, cujus in mente mea repræsentationem efformem, nunquam existentiam ejusdem rei exhiberi simpliciter necessariam animadverto, neque obstat quidpiam, quo minus eandem non existere cogitem. ***) Si Ens supremum, quod relate ad conceptus meos pro explicandis effectibus mundanis necessarium est, velut Ens in se, quale est citra meos conceptus, expendam, ejus necessitas notione nulla comprehendi potest. Non est ergo illa necessitas, nisi conditio formalis cogitationum, sed quæ non rei cuipiam in se, aut cuidam hypostasi vel naturæ conveniat. ****) Necessitas ergo & contingentia haudquaquam referuntur ad res ipsas, neque

prin-

principia objectiva seu constitutiva sunt, sed subjectiva, pertinentia ad rationis usum, regulativa, heuristica, artificio quodam excogitata. *****)

*) Seite 617. Dieses Argument, ob es gleich in der That transcendental ist, indem es auf der innern Unzulänglichkeit des Zufälligen beruht, ist doch so einfältig und natürlich, dass es dem gemeinsten Menschensinne angemessen ist, so bald dieser nur einmal darauf geführt wird.

**) Seite 620. Man hat zu aller Zeit von dem Absolutnothwendigen geredet, und sich nicht so viel Mühe gegeben, zu verstehen, ob und wie man sich ein Ding von dieser Art auch nur denken könne, als vielmehr dessen Daseyn zu beweisen. Nun ist zwar eine Nomenerklärung von diesem Begriffe ganz leicht, dass es nämlich so etwas sey, dessen Nichtseyn unmöglich ist: aber man wird hierdurch um nichts klüger, in Ansehung der Bedingungen, die es unmöglich machen, das Nichtseyn eines Dinges als schlechterdings undenklich anzusehen, und die eigentlich dasjenige sind, was man wissen will, nämlich ob wir uns durch diesen Begriff überall etwas denken, oder nicht. Denn alle Bedingungen, die der Verstand jederzeit bedarf, um etwas als nothwendig anzusehen, vermittelst des Worts: *Unbedingt*, wegwerfen, macht mir noch lange nicht verständlich, ob ich alsdenn durch einen Begriff eines Unbedingtnothwendigen noch Etwas, oder vielleicht gar Nichts denke.

***) Seite 643. Ich mag einen Begriff von einem Dinge annehmen, welchen ich will, so finde ich, dass sein Daseyn niemals von mir als schlechterdings nothwendig vorgestellt werden könne, und dass mich nichts hindere, es mag existiren, was da wolle, dass Nichtseyn desselben zu denken.

****)

****) Seite 684. Es geht ganz natürlich zu, daſs — ein regulatives Princip in ein conſtitutives verwandelt werde; welche Unterſchiebung ſich dadurch offenbaret, daſs, wenn ich nun dieſes oberſte Weſen, welches reſpectiv auf die Welt ſchlechthin (unbedingt) nothwendig war, als Ding für ſich betrachte, dieſe Nothwendigkeit keines Begriffes fähig iſt, und alſo nur als formale Bedingung des Denkens, nicht aber als materiale, und hypoſtatiſche Bedingung des Daſeyns, in meiner Vernunft anzutreffen geweſen ſeyn müſſe.

*****) Seite 644. Daraus folgt unvermeidlich, daſs Nothwendigkeit und Zufälligkeit nicht die Dinge ſelbſt angehen — — mithin keiner dieſer beyden Grundſätze objectiv ſey, ſondern nur ſubjective Principien der Vernunft — heuriſtiſche, und regulative Grundſätze.

§. 231. Reſpondebo nunc ad iſta, ut lectoribus ſatis me facturum confidam, neque enim recipio, ut Kantio faciam ſatis; qui perpetuo mihi regeret, ſe non concipere, quale ſit, quod abſolute neceſſarium nuncupatur a nobis. Si ſubjicerem: at concipiunt alii, capiuntque, referet mihi: alii de ſola demonſtranda exiſtentia illius Entis ſoliciti ſunt, nec inquirunt, utrumne poſſibile ſit. Ajo ego, quid tum? quoties nos docuit in Critice ſua Kantius, demonſtrata exiſtentia rei, de ejus poſſibilitate non eſſe ambigendum, nec magnopere laborandum; quia quod eſt, profecto poteſt eſſe? Sed his quidem non acquieſcet; ſiquid neceſſarium dicitis, oſtendite conditiones, ob quas neceſſarium eſt. Mira hæc eſt petitio, quas ergo conditiones poſcit de Ente, quod ipſe ab omni conditione liberum eſſe & immune agnoſcit? nunquidnam ultra notionem requirit, cum de abſoluta ne-

ceſſi-

cessitate agitur ? atqui scripsit Kantius hisce verbis : id tantum pro absolute & simpliciter necessario tenet ratio, quod vi notionis necessarium est; *) atque hoc est ipsissimum, quod de Ente necessario, tanquam ultima & sufficientissima rerum omnium causa nos quidem asserimus. In aliis rebus, inquit, siquid necessarium ponitur, conditiones ejus necessitatis ponantur, necesse est. Resp. Distinguo, si de necessitate naturali seu physica agitur; conc. Si de absoluta & metaphysica, nego. Definitio, inquit, nominalis est, necessarium dici illud, cujus oppositum est impossibile. At cur realem non protulit aliam, si suppetebat? Philosophi omnes, nec ipso Kantio excepto, *impossibile* dicunt, quod contradictionem involvit, nempe esse realitatem & realitatis negationem, seu privationem: secus possibile; *necessarium* dein vocant, cujus oppositum est impossibile, *contingens*, cujus oppositum possibile. Scilicet nominales hæ sunt definitiones; quia nomina definiuntur. At nomina significant res, nec tractare inter nos de rebus, nisi nominum & vocabulorum ope possumus. Sentio quid velit Kantius, principium petit: reale nihil est, quod sensus non afficit; vellet ergo Ens necessarium, corporeum sibi exhiberi. Sed, ait, posita re existente quacunque, concipi potest, id non existere; similiter ergo de Ente necessario potest cogitari; at ego respondeo distinguendo: potest id cogitari de Ente necessario, eo videlicet modo, quo *insipiens dixit in corde suo: non est Deus*, Psalm XIII. 1. conc. aliter, nego, ac pernego.

*) Seite 640. Als schlechthin nothwendig erkennt die Vernunft nur dasjenige, was aus seinem Begriffe nothwendig ist.

§. 231.

§. 231. Intereſt, ut quidem arbitror, expendi accuratius kantianum illud: *poſita re quacunque concipi poteſt, eam non exiſtere.* Cum de exiſtentia rerum, ejusque cauſa & origine quæritur, duo ſpectari neceſſe eſt. *Primo*, ſitne id, quod exiſtere ponitur, a ſe, an ab alio. *Secundo*, ſitne idem ab æterno, an productum in tempore. Duo hæc ſeparari a ſe haud poſſunt; illudque etiam certiſſimum eſt: ſiquid eſt, & a ſe non eſt; tum eſt ab alio: item ſi eſt, & ab æterno non eſt; tum eſſe cæpit in tempore. Si ergo ſecundum methodum §. 178. expoſitam omnes poſſibiles caſus ex conjunctione horum binariorum quæramus, inveniuntur ſequentes ſex, in quibus bini aperte pugnant:

1. *Ens A eſt a ſe ipſo. Ens A non eſt a ſe ipſo.*

2. *Ens A eſt ab æterno. Ens A non eſt ab æterno.*

3. *Ens A eſt a ſe ipſo: ſed Ens A non eſt ab æterno.* Hic etiam caſus aperte nullus eſt; nam quod eſt a ſe ipſo, æternum ſit, neceſſe eſt. Quippe, ut inquit Ricardus Victorinus, qui lib. 1. de Trinit. c. 6. & ſeq. rem hanc acutiſſime ſpeculatus eſt, ſcrutatusque, *nihil a ſemet ipſo eſſe poteſt, quod non ſit ab æterno; quidquid enim ex tempore cæpit eſſe; fuit, quando nihil fuit. Sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit, & omnino nihil potuit. Nec ſibi ergo nec alteri dedit, ut eſſet, vel aliquid poſſet. Alioquin dedit, quod non habuit, & fecit, quod non potuit.*

4. *Ens A est a se ipso : & est ab æterno.* Secundum membrum hujus propositionis copulativæ ex hypothesi, quod subsistat primum, ex numero præcedente tanquam certissimum, perspicuumque admitti omnino debet. Primum autem membrum: *Ens aliquod, quod appello A, existit a se ipso*, nec ab ullo alio pendet, tanquam a conditione, est illud ipsum, quod argumento cosmologico conficitur. Nam, ut inquit idem Ricardus c. 8. *Si nihil a semet ipso fuisset, non esset omnino, unde ea existere potuissent, quæ suum esse a semet ipsis non habent, nec habere valent. Convincitur itaque, aliquid esse a semet ipso, & eo ipso, uti jam dictum est, & ab æterno. Alioquin fuit, quando nihil fuit; & tunc quidem futurorum nihil futurum fuit : quia, qui sibi vel aliis initium existendi daret, vel potuisset dare, tunc omnino non fuit.*

5. *Ens A neque est ab æterno : neque est a se ipso.* Verissima hæc est de mundo thesis; idque ipsum quotidie oculis cernimus; nam innumerabilia nascuntur & intereunt.

6. *Ens A est ab æterno, sed non est a se ipso.* Fuere aliqui, quod supra animadverti, qui ab æterno quidpiam potuisse a Deo produci ex nihilo, opinabantur; sed nihil opinio ista Kantii causam adjuvat; quia certissimam sumit causam primam ac necessariam, a qua illud produci debuisset. His ergo evidentissime redarguitur positio kantiana: *Posita re quacunque, concipi potest, eam non existere.* Nam vi argumenti cosmologici sumitur ab ipso Kantio propositio hæc: *existit aliquid, idque conditionatum, seu pendens ab alio :* ergo causa ejusdem (ultima & plene sufficiens) existit a seipsa & ab

ab æterno. Et quemadmodum Kantius analyticam censet propositionem hanc: *Existit conditionatum: ergo existit series conditionum;* ita multo etiam magis analytica est enuntiatio hæc: *existit conditionatum; ergo a se ipso existit Ens absolutum, simpliciter necessarium, æternum, tanquam vera & ultima illius causa.*

§. 232. Eodem plane modo, quem ex Ricardo Victorino recensui, argumentatur Lockius de Int. Hum. lib. 4. c. 10. Initium ducit a sua cujusque existentia hoc themate:

1. *Extra dubium est, homo clare percipit, se existere.* Siquis in dubium vocet, utrum existat, & ipsemet sit aliquid, nec ne, cum eo non magis sermocinari vellem, quam argumentari puro nihilo, aut non-enti demonstrare, ipsum aliquid esse. Qui Scepticus adeo est, ut se existere inficietur, fruatur per me beatitudine ista ingenti, quod ipse nihil sit, usque dum fames aut alius aliquis dolor contrarium docuerit.

2. Nulla manifestior est veritas, quam *ab æterno aliquid extitisse.* In neminem incidi unquam ineptum adeo & absurdum, qui dixerit, tempus fuisse rerum omnium plane inane. Nihil enim magis repugnat, quam ut pure nihilum, sive negatio & absentia entium omnium, quippiam reale unquam produceret, idque non minus repugnat, quam ut pure nihilum duobus angulis rectis æquale esse possit. Siquis nescit, non-ens non posse æquale esse duobus angulis rectis, fieri non potest, ut Euclidis demonstrationem, ullam capiat. Si compertum igitur est, esse ens aliquod reale, atque

 non-

non-ens non posse ens reale producere, evidentissime demonstratur, ens aliquod ab æterno extitisse.

4. Quod ab æterno non extitit, illud initium habuit; quod vero initium habuit, illud ab aliquo alio productum fuisse, necesse est: quod ab alio productum fuit, ab eoque suum esse & initium habuit, illud omnia, quæ habet, ab alio isto mutuari, & omnes, quibus præditum est, facultates ab eodem manare fonte necesse est. Hinc efficitur, ut ab æterno hoc omnis entitatis & realitatis principio omnis potentia, sapientiaque proficiscatur; ut adeo ex nostri ipsorum contemplatione, & eorum, quæ in nobismet ipsi experimur, ratio manifestissimam hanc colligat veritatem: *existit Ens necessarium, æternum, maxima sapientia, potentiaque præditum.*

§. 233. Nova nunc quidem animum incessit cupiditas, lacessendi ignotum illud x, quod purissimo Idealismo obtenditur, sciscitandique ex Kantio sententiam, quam de illo tulit, utrumne a se ipso esse statuat, an ab alio? item, utrum æternum faciat, an productum dicat in tempore? quas item ejus existentiæ conditiones ponat? ait enim, si ab Ente nostro necessario omnes detrahimus conditiones, idque penitus absolutum censemus, tum incertum relinqui, utrum eo vocabulo quidpiam mente concipiamus, an nihil prorsus, quasi vero, si tollitur insufficientia, sive negatio sufficientiæ ad existendum, positivum quid tollatur potius, quam ponatur. Zerus valet in arithmetica, si a numero valente per se ipsum, mutuum accipiat valorem; si ergo numerum ponam, qui valet ipse per se, nihilque accipiat ab ullo alio, sed det

det cunctis aliis; nihilne relinquitur, quod mente concipiam? — Quæ contra argumentum cosmologicum præterea objectat Kantius, præoccupata sunt inde a §. 181. quo antinomia quarta Kantii discussa fuit.

§. 234. Reliquum est argumentum physico-theologicum, ab ordine & pulchritudine mundanarum rerum deductum, quod a kantianis oppositionibus vindicandum mihi est. Callidissimo artificio utitur Kantius, ut quoslibet conceptus mentis nostræ, judicia quoque & ratiocinationes omni veritate reali & objectiva exspoliet, & pro meris partubus humani ingenii, atque inanibus simulacris lectori suo repræsentet. Fingit primo, eas, quas realitate privandas proposuit, mentis operationes *a priori* citra omne adminiculum sensus interni vel externi in nobis provenire. Dein pro certissimo dogmate sumit, veritatem realem & objectivam nullam inesse in repræsentationibus & cognitionibus iis, quæ ad experientiam accommodari, perque eam comprobari non possint. Et quia ideæ rationis, atque Ideale illud transcendentale, quod exposui C. XV. experientiam sensuum non admittunt, illico concludit, in iis non realem veritatem inesse, sed logicam, non constitutiva principia, sed regulativa; eaque omnia non esse expressiones rerum, sed mera schemata, & fictiones heuristicas. Hæc quidem generatim animadversa ad propositum argumentum nunc applicanda sunt. Spatium, inquit, possibilem efficit repræsentationem figurarum, quæ aliud non sunt, nisi certæ determinationes ac limitationes spatii; hinc etsi id mera forma sensuum sit, tamen pro re quapiam simpliciter necessaria, per se

ſubſiſtente, & pro objecto a priori nobis dato repræſentatur. Sic uſuvenit naturaliter, ut idea Entis realiſſimi, ſine qua, tanquam ſuprema cauſa, ſyſtematica unitas naturæ pro experientiæ uſu haberi non poteſt, pro fundamento ponatur, eademque idea dein pro objecto reali & actuali, atque hoc tanquam conditio ſimpliciter ultima vel ſuprema repræſentetur, ac demum principium mere regulativum pro conſtitutivo uſurpetur. *) Quemadmodum ergo ſpatium, cujus repræſentatio a priori, non ab uſu ſenſuum provenit, extra ſenſuum repræſentationem non exiſtit; ita nec idea Entis realiſſimi, quæ pariter provenit a priori, intra mentem ita hæret, ut eidem reſpondens objectum exiſtere reipſa, ullis argumentis theoreticæ rationis demonſtrari valeat. Sit iſta mens & doctrina Kanti; illud tamen velim nobis ediſſerat, cur repræſentationi ſpatii & temporis, etſi meræ formæ ſenſuum ſint, veritatem realem non adimat: ideæ tamen Entis realiſſimi eandem veritatem abjudicet, detrahatque penitus? quia, inquit, repræſentatio ſpatii & temporis poſſibilem facit experientiam ſenſuum; recte id quidem, & convenienter aſſumtæ hypotheſi. At ex doctrina Kantii ſola eſt idea Entis realiſſimi, quæ poſſibilem facit unitatem ſyſtematicam naturæ pro uſu experientiæ, ſenſuumque. Cum igitur par ſit, eademque ratio utraque ex parte, neceſſe eſt, ut veritas realis & objectiva utrinque concedatur, vel utrinque tollatur.

*) Seite 647. Wie der Raum, weil er alle Geſtalten, die lediglich verſchiedene Einſchränkungen deſſelben ſind, urſprünglich möglich macht, ob er gleich nur ein Princip der Sinnlichkeit iſt, dennoch eben darum für ein ſchlechterdings nothwen-

diges

diges, für sich bestehendes Etwas, und einen a priori selbst gegebenen Gegenstand gehalten wird; so geht es auch ganz natürlich zu: dass, da die systematische Einheit der Natur auf keinerley Weise zum Princip des empirischen Gebrauchs unserer Vernunft aufgestellt werden kann, als so fern wir die Idee eines allerrealesten Wesens, als, der obersten Ursache, zum Grunde legen: diese Idee dadurch als ein wirklicher Gegenstand, und dieser wiederum, weil er die oberste Bedingung ist, als nothwendig vorgestellt, mithin ein regulatives Princip in ein constitutives verwandelt werde.

§. 235. Animadversionis præmissæ de calliditate critices kantianæ, etsi illa ad argumentum ontologicum de omnitudinine realitatum, ut loquitur Kantius, videatur pertinere, tamen usum amplissimum faciam loco hoc, quo de argumento physico-theologico est differendum; nam istud quoque ad ontologicum reducit, cujus infirmitatem satis ostendisse se putat. Hæc igitur momenta argumenti physico-theologici recenset. 1. In rebus mundanis manifestus apparet ordo, seu ordinatio aliarum ad alias tanquam certos fines, aptissima singularum ad eosdem fines accommodatio, denique in maxima varietate simplex universarum coagmentatio in unum. 2. Hic ordo consentiens finibus, atque in unum quoddam opus aut systema collineans, non est naturæ rerum proprius per se, & naturalis, sed adventitius, seu accidentarius, sic ut natura rerum tam disparium non posset ipsa per se in definitos fines, velut in eandem metam per vias tam multiplices, at concurrentes tamen, conspirare, nisi a causa superiore rationis participe secundum propositas ideas delecta omnia & constituta fuissent. 3. Existit ergo celsior causa quædam, summeque potens, una vel multiplex, quæ non instar naturæ sine ratione

ulla effectricis rerum fæcunditate naturali, ſed intelligentia, liberaque poteſtate pollens res mundanas diſpoſuerit. 4. Unitas iſtius cauſæ ex unitate mutua & conſentiente partium mundi tanquam membrorum unius artificioſi operis intelligitur a nobis, idque certo judicio, quousque noſtræ mundi obſervationes pertingunt; ultra eam obſervationum veluti ſphæram probabili certe conjectura. Hisce momentis nixo argumento phyſico - theologico quid opponat Kantius, audiamus.

§. 236. Ex ordine rerum & conſenſione finium concluſio fit ad exiſtentiam cauſæ talis, quæ par ſit illi operi efficiendo. Neceſſe eſt autem, ut notio ejus cauſæ fixa ſit, ac determinata, qualis eſſe non poteſt, niſi contineat omnem plane ſapientiam, omnem poſſibilem potentiam, verbo, perfectionem infinitam. Nam prædicata magnæ, maximæque, atque adeo admirandæ ſapientiæ ac potentiæ determinatam, fixamque notionem non exhibent; quia relativa ſunt tantum, reſpiciuntque cognitiones noſtras, aut præſtantiam operis. Quis autem affirmare audeat, ex mundi contemplatione intelligere ſe *infinitam* plane ſapientiam, potentiamque auctoris? Argumentum igitur phyſico - theologicum nullam de artifice mundi determinatam fixamque præbet notionem, qua nimirum eget theologia pro religione fundanda. Abſoluta perfectionis plenitudo colligi ex rebus mundanis nequit: colligi tamen ab iis ſolet, qui eo argumento utuntur; atque hi quidem initium argumentandi ab experientia ducunt, eaque duce ſe progredi putant, ſimulantve; at ab ordine & compoſitione mundi, quam non propriam eſſe naturæ rerum, ſed adventitiam, accidentariam & contin-

gen-

gentem dicunt, procedunt revera ad Ens necessarium, ab hoc dein ad perfectionem summam & infinitam transiliunt, non jam experientiæ ductu, sed notionum ope & metaphysices suæ adminiculo; unde fit, ut ab argumento physico-theologico ad ontologicum transeant, in quo argumenta priora bina unice subsistunt, quodque proin unum ac solum relinquitur ex iis omnibus, quæ a ratione theoretica pro demonstranda Dei existentia proferri possunt. *)

*) Seite 658. So liegt demnach dem physico-theologischen Beweise der cosmologische, diesem aber der ontologische Beweis zum Grunde, und da ausser diesen dreyen Wegen keiner mehr der speculativen Vernunft offen ist, so ist der ontologische Beweis, aus lauter reinen Vernunftbegriffen, der einzige mögliche, wenn überall nur ein Beweis von einer so weit über allen empirischen Verstandesgebrauch erhabenen Sache möglich ist.

§. 237. In hac ipsa congerie propositionum kantianarum jam deprehendet lector calliditatem sophisticam, de qua §. 234. ipsum præmonueram. Ideam Entis realissimi a priori effingit Kantius; quando dein nos cum philosophis ac theologis, hoc est, sapientiæ profanæ & sacræ doctoribus exconcinnitate, consensioneque rerum mundanarum, hoc est, ab experientia seu a posteriori existentiam Entis sapientissimi, potentissimi, providi, atque optimi demonstramus, negat hasce perfectiones, etsi magnæ appareant, maximæque atque adeo admirandæ, exhiberi infinitas, quatenus nempe experientia eas exhibet; hinc deserta experientiæ via recurritur ad ideam Entis realissimi, quam nulla experientia peperit, sed humana ratio efformavit. Hac igitur arbitraria

ria idea reipſa nititur tota vis argumenti phyſico-theologici, quam veram, realem & objectivam eſſe, nulla experientia oſtendit. Reſp. 1. Sit ita ſane, quod experientia, id eſt, explorata mundi concinnitas, perfectioque infinitam prorſus perfectionem artificis immediate non exhibeat; quia nemo, qui mundum contemplatur, etſi ex ſapientia, potentia, providentia, ac bonitate conditoris ſummo afficiatur ſtupore, ita apud ſe cogitat: talia ſunt mundana hæc, ut omnis ejus ſapientia, potentia, providentia, bonitasque plane exhauſta ſit, utque majora, plura, meliora producere nequeat; imo longe majora, plura, melioraque reſervata ſibi in ſedibus beatorum confidit. At ſi tantam perfectionem, quantam experientia exhibet, collegerit animo, facili rationis ductu omnes plane limites ab illa abeſſe intelligit. At, inquit Kantius, ſic experientiæ via deſeritur Reſp. d. in accipiendis primis *ideis* perfectionum Dei experientiæ via deſeritur, n. in *judiciis* efformandis, atque ideis illis perficiendis. c. Ideas a priori, veluti cæco caſu oboriri in nobis, negamus: judicia non tantum a poſteriori, ſed etiam a priori ope idearum experientia obtentarum concedimus. Id fit etiam in re mathematica, quæ e. g. ideam trinæ dimenſionis ab experientia deſumit, eamque abſtractione perficit. Circa hasce dein ideas rationis vi judicia ſua & theoremata a priori efformat, demonſtratque; aut qua experientia demonſtrat Kantius, angulos omnes trianguli rectilinei æquari duobus rectis, & conum eſſe tertiam partem cylindri eandem baſin & altitudinem habentis? In his, quæ notiſſima ſunt tironibus logices, omnia confunduntur, ac præpoſtere aguntur in Critice kantiana.

§. 238

§. 238. Resp. 2. Idea magnæ, maximæque, atque adeo admirandæ sapientiæ, potentiæ &c. (inquit) non est fixa ac determinata, nisi ponatur absolute infinita, de qua tamen non edocemur ab experientia. Quid opus est, ut in contemplatione mundi gradus perfectionum, quæ inde elucent in summo conditore, æstimemus? aut quam mensuram nobis assignabit Kantius? Est, inquam, ita fixa ac determinata, ut ejus existentiam manifestissime agnoscamus, atque in illius admirationem amoremque rapiamur. *Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis — — non habebat ultra spiritum; dixitque ad regem — — beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam?* III. Reg. 10. Putatne Kantius, determinatam satis, fixamque notionem de sapientia Salomonis habuisse reginam? quo graduum instrumento eam dimensa est?

§. 239. Ab argumento physico-theologico transcurritur, inquit Kantius, ad cosmologicum; quia tam in illo compositio rerum tanquam adventitia & contingens spectatur, quam in hoc a contingentibus pervenitur concludendo ad Ens necessarium. Resp. In argumento cosmologico, uti quidem a Kantio fuit propositum, spectatur successio statuum, mutationum, generationum &c. quæ omnia a causis extrinsecis ita pendent, ut nulla locum habeat sufficientia absoluta sine Ente necessario, quod posita ea successione reali & actu, una ponitur, tanquam primum agens, ut ajunt, primum movens, primum determinans; quæ ratio præter absolutam illius Entis necessitatem simul etiam sapientiam ejusdem, & potentiam in agendo, movendo,

vendo, ac determinando cognoſcendam præbet. Et quia res mundanæ ex natura ſua ad nullum certum ſtatum determinatæ ſunt, ſed ad omnem ſtatum extrinſecus determinari debent, ac paſſive determinabiles ſunt: ſine certo autem ſtatu exiſtere nequaquam poſſunt, hinc ex argumento coſmologico recte concluditur, eas quoad ipſam ſubſtantiam contingentes eſſe, atque ad exiſtendum ſimpliciter ab Ente primo, ac per ſe, atque a ſe exiſtente debuiſſe determinari. Alia eſt vis argumenti phyſico - theologici, in quo non res ſingulæ, earumque ad exiſtendum ſimpliciter, vel ad exiſtendum certo ſtatu determinabilitas, ſed univerſarum ordo & coordinatio aliarum ad alias, omniumque in unum coagmentatio ſpectatur, indeque ſummi Artificis admirabilis ſapientia, potentia ac bonitas certiſſimis indiciis demonſtratur. At ſic quidem, ait Kantius, Deum opificem, non Deum creatorem intelligimus. Reſp. Neceſſe non eſt, ut quovis ex argumento quamlibet concluſionem deducamus, ſed aliam ex alio argumento. Deum creatorem rerum omnium ex nihilo productarum præter coſmologicum argumentum rationes aliæ graviſſimæ palam faciunt.

§. 240. Urget denique: Argumentum phyſico - theologicum ſola analogia operum artis nititur, ut nimirum ex naturalium rerum ordine atque ornatu de exiſtentia ac perfectionibus Dei conditoris perinde diſſerere poſſe nos arbitremur, quam ex præſtantia operum artis de artifice judicamus; quo loco ædificia, navigia, horologia commemorans Kantius affirmare non audet, eam concludendi formam adhibito rigore critices tranſcendentalis neceſſario ſuſtinendam, probandamque eſſe. *)

Reſp.

Resp. Hæc concludendi forma non sola analogia operum naturæ & artis nititur, sed generalibus notionibus, principiisque, ut, siquid aptissime atque affabre compositum ornatumque, atque adeo convenienter optimis finibus determinatum videmus, quod determinabile ex se quidem, nullo autem modo ex se ipso determinatum novimus, ejus rei principium determinans, rationemque sufficientem præsto esse, minime dubitemus. Ceterum prætereundum non est hoc loco, præstantissimos Scriptores sacros profanosque in hunc modum fuisse ratiocinatos, quibus imbecillitatem mentis rationisque objectare nemo facile ausus fuerit. Elegans in primis est locus D. Chrysostomi, quem ex Homilia in Psalm. XIII. exscribere non piget: „*Dixit insipiens in corde suo:* „*non est Deus*, non fundamentum, & quonam modo „stat ædificium? non est carina, & quomodo „consistit navigium? non est fabricator navis, & „quonam modo navis comparata est? non est ædi„ficator, & quomodo domus facta est? non est „architectus, & quis urbem condidit? non est agri„cola, & quomodo agri tulere manipulos? non „musicus, & quomodo in mundi lyra apparet con„centus? non est, qui provideat, & quomodo „per omnia pervadit providentia? non est auriga, „& quomodo elementorum quatuor currus agitur? „non est statuarius, & quomodo homines veluti „quædam statuæ in mundo facti sunt? non est for„nicis constructor, & quis tibi cæli fornicem con„struxit? non est aurifex, & quis veluti discum „aureum tanquam in mensa, solem in cælo posuit? „non est, qui ferat lampadem, & quis tibi velut „lampadem argenteam dedit lunam in nocte? non „est, qui illuminet, & quis tibi clara & lucem præ-

„bentia

„bentia dedit luminaria? non eſt, qui faciat ſo„lus magna lumina, & quis accenſos aſtrorum lych„nos tibi in cælo poſuit; quemadmodum dicit pro„pheta: *Qui facit luminaria magna ſolus, ſolem, „ut præſit diei: & lunam, ut præſit nocti.* Non „eſt opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum „teſtatur creatorem? ex magnitudine enim & pul„chritudine creaturarum convenienter earum ge„nitor conſideratur. Sap. XIII. 5.“

*) Seite 654. Die natürliche Vernunft ſchlieſst aus der Analogie einiger Naturproducte mit demjenigen, was menſchliche Kunſt hervorbringt, wenn ſie der Natur Gewalt thut, und ſie nöthigt, nicht nach ihren Zwecken zu verfahren, ſondern ſich in die unſrigen zu ſchmiegen (der Aehnlichkeit derſelben mit Häuſern, Schiffen, Uhren), es werde eben eine ſolche Cauſalität, nämlich Verſtand, und Wille bey ihr zum Grunde liegen; — — welche Schluſsart vielleicht die ſchärfſte tranſcendentale Critik nicht aushalten dürfte.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM KANTIANUM EX RATIONE PRACTICA PETITUM PRO EXISTENTIA DEI.

§. 241. Si expenderit lector ea, quæ firmiſſimis celebribusque argumentis, quibus Dei exiſtentiam demonſtramus, opponuntur a Kantio, infirmitatem illorum atque inanitatem certiſſime animadvertit, opinor, vereque magnas nugas dixerit. Simulat tamen Kantius ita ſe iisdem affici, moverique, ut ratione theoretica nihil plane in negotio graviſſimo confici poſſe concludat. Cum autem perſpiceret animo, ſe improbo ſuſcepto labore in odia hominum, variasque reprehenſiones incurſurum, ad excuſationes con-

confugit primo, dein jacturam veritatis ex ſubverſa theoretica ratione provenientem certiore uſu rationis practicæ ſe compenſaturum ſpondet; quod ſerione dixerit atque ex animo, an ſimulato, & imperitis hominibus illuſurus, affirmare non auſim. Duo igitur disquirenda ſunt hoc loco, ac primo quidem excuſationes kantianæ de accuſata theoretica ratione, atque, ut putat, a ſe labefactata ſunt audiendæ: dein, ex ratione practica quid protulerit melius, certiusque, diſpiciendum eſt. Succincte id faciam, eoquod libro ſecundo exequar uberius, quæ de vi practicæ rationis jactantur a Kantio.

§. 242. Tria ſunt, inquit, quæ aſſequi cupit theoretica ratio, quando omnem ſenſuum experientiam ſpeculatione audet tranſcendere, libertas nempe voluntatis humanæ, immortalitas mentis Dei exiſtentia. Sed perparum ſcilicet intereſſe putat Kantius, utrumne theoreticas iſtas veritates certo cognoſcamus, an ſecus; cum eædem in naturæ inveſtigatione nec uſum nec commodum habeant. *) Nihilne igitur agendum nobis eſt poſitis in hoc mundi theatro, niſi ut naturam corpoream, rerumque naturalium cauſas perpetuo inveſtigemus? nihil de honeſtate noſtrarum actionum, nihil de officiis erga homines alios, nihil de Deo conditore & gubernatore cogitandum? nihil providendum de futura ſorte noſtra? Sit voluntas libera, inquit; ad cauſam volendi intelligibilem (de qua nempe nihil novimus) hoc rejiciendum eſt: at actiones humanæ ſecundum certiſſimas leges, ſine quibus ratio uſum empiricum non habet, non aliter ſpectari poſſunt, quam reliqua naturæ phænomena per im-

immutabiles leges evenientia. Non dicam nunc, hanc kantianam legum immutabilitatem fatum Stoicum sapere; id ajo, falsissimum esse, actiones humanas instar phænomenorum naturalium esse habendas. Quæ enim monitiones, quæ deliberationes, quæ laudes, quæ reprehensiones, quæ præmia, quæ supplicia haberent locum, si actiones hominum instar naturalium eventuum spectaremus, nec penitus exploratum haberemus, in eorum potestate esse, agere quidpiam, aut non agere, aut etiam agere contrarium? Quid juvat, inquit porro, cognitam a nobis esse spiritualem mentis naturam, unaque immortalitatem; cum nulla ejus rei haberi ratio a nobis possit, neque in iis, quæ eveniunt in hac vita, neque de certo futuro statu. Notio enim incorporeæ naturæ penitus negativa est, neque nostram cognitionem auget, aut consecutiones alias præter figmenta admittit, a quibus abhorret philosophia. Quis non indignetur Kantio talia proferenti sine argumento ullo, quæ nec rudissimis hominibus persuaderet? Nihilne igitur prodest homini cognitio, vel attenta potius consideratio hujus dogmatis: *Mens mea naturæ est spiritualis, certissime manebit post corporis interitum*? nihilne, inquam, prodest ad spernenda caduca bona, ad cupiditates cohibendas, ad ferendos fortunæ casus, animosque erigendos immortalitatis spe, atque ad colendam virtutem arduam incitandos? Quid demum commodi, inquit, nobis pareret theoretica demonstratio de existentia supremæ ac divinæ mentis, nisi ut ordinem mundi, ac constitutionem finibus consentaneam generatim comprehenderemus; nec tamen ob eam causam certa providentiæ via atque ordo deduci a nobis,

ac

ac temere inferri posset. Est enim rationis theoreticæ necessaria lex, ut naturales causas ne prætereamus, neque per id, quod incognitum est penitus, discere & declarare ea velimus, quæ ab experientia magistra docendi sumus. Hæc Kantii verba, ni fallor, eo respiciunt, ne quos agnoscamus unquam eventus natura superiores, quos *miracula* nuncupamus. Sed quis nescit, cognitionem Numinis, divinæque providentiæ, veluti basin ac fundamentum esse omnis honestatis, virtutis, religionis, tranquillitatis? quemadmodum ab ipso Kantio tum istud dogma de Deo, tum superiora illa dogmata de libertate, naturaque spirituali & immortali humanæ mentis apertissime habentur. **)

*) Seite 826. In Ansehung aller dreyer ist das bloss speculative Interesse der Vernunft nur sehr gering — — Weil man von allen Entdeckungen, die hierüber zu machen seyn möchten, doch keinen Gebrauch machen kann, der in Concreto, d. i. in der Naturforschung, seinen Nutzen bewiese. Seite 827. Diese drey Sätze bleiben für die speculative Vernunft jederzeit transcendent, und haben gar keinen für Gegenstände der Erfahrung zuläfsigen, mithin für uns auf einige Art nützlichen Gebrauch, sondern sind an sich betrachtet ganz müfsige und dabey noch äusserst schwere Anstrengungen unserer Vernunft.

**) Seite 494. Dafs mein denkendes Selbst einfacher, und daher unverwefslicher Natur, dafs dieses zugleich in seinen willkührlichen Handlungen frey, und über den Naturzwang erhoben sey, und dafs endlich die ganze Ordnung der Dinge, welche die Welt ausmachen, von einem Urwesen abstamme, von welchem alles seine Einheit, und zweckmäfsige Verknüpfung entlehnt. das sind so viele Grundsteine der Moral, und Religion.

§. 243. Progredior ad argumentum rationis practicæ. *Practicum* vocat Kantius, quidquid cum libero arbitrio cohæret, ſive ut ratio & fundamentum illius, ſive ut conſecutio. *) At hoc quidem modo veritates theoretica ratione cognitæ evadent *practicæ*; voluntas enim libera, tanquam potentia cæca, ut omnes inquimus, non agit, niſi prælucente cognitione theoretica objecti; ſuntque adeo ratio poſſibilitatis, cur voluntas agat; atque illæ maxime veritates, de quibus ſupra actum eſt: *mens humana eſt ſpiritualis, & manet poſt corporis interitum: Eſt ſupremum Numen*, fundamentum & ratio ſunt, atque eſſe debent, cur voluntas hoc potius agat, quam aliud oppoſitum. Porro totum momentum rationis theoreticæ & practicæ ſitum eſſe in tribus his quæſtionibus, opinatur Kantius. 1. Quid eſt, quod cognoſci a me poteſt? 2. Quid eſt, quod fieri a me oportet? 3. Quid eſt, quod ſperare mihi licet? **) In his prima quæſtio mere ſpeculativa eſt, de qua nihil certi utramvis in partem comprehendi a nobis poteſt. Altera quæſtio mere practica eſt, & quamvis puræ rationis propria eſſe poſſit, non tamen tranſcendentalis eſt, ſed moralis. Tertia demum quæſtio & practica eſt & theoretica, ſic ut qua practica ad ſolvendam theoreticam quæſtionem ducat, conferatque; ſpes enim felicitatem reſpicit, & quid oporteat fieri, indicat, ut finis poſſibilis ultimus obtineatur. Felicitas in explendis inclinationibus conſiſtit, ſpectata earum varietate, gradu, & duratione. Lex practica *motivo felicitatis nixa*, *pragmatica* a me dicitur, inquit Kantius; ſi vero non aliam habet rationem moventem, *quam ut felicitate dignus quis evadat*, tum *moralis* eſt *lex*. ***)

*)

*) Seite 830. Alles, was mit der freyen Willkühr, es sey als Grund oder Folge, zusammenhängt, heisst practisch.

**) Seite 832. Alles Interesse meiner Vernunft (das speculative sowohl als das praktische) vereiniget sich in folgenden drey Fragen: 1. Was kann ich wissen? 2. Was soll ich thun? 3. Was darf ich hoffen. Die erste Frage ist bloss speculativ. Die zweyte bloss practisch. Sie kann als eine solche zwar der reinen Vernunft angehören, ist aber alsdenn doch nicht transcendental, sondern moralisch. Die dritte Frage ist praktisch und theoretisch zugleich, so, dass das Practische nur als ein Leitfaden zu Beantwortung der theoretischen Frage führet. Denn alles Hoffen geht auf Glückseligkeit — — und läuft zuletzt auf den Schluss hinaus, dass Etwas sey (was den letzten möglichen Zweck bestimmt) weil Etwas geschehen soll.

***) Seite 834. Glückseligkeit ist die Befriedigung aller unserer Neigungen (sowohl extensive, der Mannigfaltigkeit derselben; als intensive, dem Grade, und auch protensive, der Dauer nach) das praktische Gesetz aus dem Bewegungsgrunde der Glückseligkeit, nenne ich pragmatisch (Klugheitsregel), dasjenige aber, wofern ein solches ist, das zum Beweggrund nichts anders hat, als die Würdigkeit, glückselig zu seyn, moralisch (Sittengesetz).

§. 244. Hæc præmittenda fuerunt, ut series argumentationis kantianæ ex ratione practica deductæ intelligeretur. Ejusdem hi sunt veluti articuli: I. *Dantur reipsa leges puræ morales*, a priori citra omne motivum ex felicitate petitum obligantes simpliciter, & absoluta necessitate, nulla habita ratione cujuspiam alterius finis empirici. II. *Cuivis felicitas justa ex causa speranda est ea ratione*, qua

 se

se illa dignum reddidit, ut adeo virtus, felicitasque inter se connexæ sint (at in idea tantum rationis puræ) nec separari omnino possint. Atque hoc est, quod etiam ratione theoretica pro vero sumi necessario debet. III. Hæc dignitatis, felicitatisque conjunctio (ut nempe beatus evadat, qui dignus est) si soli naturæ relinquantur omnia, nulla ratione cognosci, deprehendique, sed tunc tantum sperari potest, si summa quædam mens & ratio, secundum morales leges imperans, ipsi etiam naturæ præficiatur. IV. Idea istiusmodi mentis, cujus optima est voluntas & beatitas summa, a qua omnis provenit, quæ in mundo est, felicitas exacte respondens cujusque meritis seu dignitati, nuncupatur *Ideale summi boni;* estque id summum bonum *originarium:* ipsa autem dignitatis ac felicitatis conjunctio summum bonum *derivativum*, seu mundus quidam *moralis intelligibilis*. V. Docemur ipsa ratione nostra, ad hunc mundum moralem intelligibilem pertinere nos; quem cum sensus præsentem non exhibeant, tanquam futurum speremus necesse est. VI. Igitur ratio cogitur omnino, ut sumat, & agnoscat mentem illam suppremam, ac futurum hominis statum, neque ista duo a legibus & obligationibus per rationem impositis separari possunt; aut certe ipsæ illæ leges & obligationes pro inanibus figmentis haberi debent; neque enim necessaria earum consecutio vi rationis cognita, & cum legibus connexa, locum habet, nisi pro certo sumatur, ponaturque, esse Deum tanquam mundi auctorem, rectoremque, aliamque sortem nobis exspectandam esse. Hæc igitur est kantiani argumenti progressio; Sunt leges morales absolute obligantes — earum observatio dignos felicitate nos reddit, ita, ut

spes

ſpes felicitatis cum dignitate illa per rationem conjungatur — hæc conjunctio non a natura, ſed naturæ auctore provenit — efficitque ſtatum ſeu mundum moralem intelligibilem — hic ſtatus ſeu mundus non præſens eſt, ſed futurus exſpectatur — ergo exiſtit naturæ auctor, & ſtatus quidam futurus nos manet. Hujus argumentationis partes ſingulæ nunc examinandæ ſunt.

§. 245. I. *Dantur reipſa leges morales, abſolute & ſimpliciter obligantes.* Ineſſe in hominibus regulas practicas honeſti rectique, & e contrario turpis & pravi, tam perſpicuum eſt, ac quod idea ſolis & lunæ, ſi ſenſibus pollent, in iisdem inſit. At quod illæ regulæ veram propriamque obligandi vim habeant, ac neceſſitatem iis parendi imponant, nulla prælucente cognitione Dei imperantis, ac futuri ſtatus, cujus ſors ab illis regulis aut obſervatis aut neglectis pendeat, nullo probabili argumento aſſeritur; ac fatetur ipſe Kantius, non poſito Deo, ac futuro ſtatu regulas illas approbationem quidem noſtram atque adeo admirationem habere; at non habere incitamenta, ob quæ illas arripiamus, & ſequamur opere factisque. *) Igitur ex præcedente Dei, futurique ſtatus cognitione inferenda eſt obligatio ac vis regularum, non e contrario ex obligatione ac vi regularum ſumenda velut per hypotheſin eſt exiſtentia Dei, futurique ſtatus. Addit Kantius, regulas illas inſtar *præceptorum* haberi; qualia non eſſent, niſi conſecutiones haberent cum norma ſua a priori connexas, promiſſiones ſcilicet, ac minas. **) Prior igitur eſſe debet cognitio ejus, quod conſecutiones a priori annectit illis regulis.

 *)

*) Seit- 841. Ohne einen Gott, und eine für uns itzt nicht sichtbare, aber gehoffte Welt, sind die herrlichen Ideen der Sittlichkeit zwar Gegenstände des Beyfalles, und der Bewunderung, aber nicht Triebfedern des Vorsatzes, und der Ausübung.

**) Seite 839. Jedermann sieht die moralische Gesetze als Gebothe an; welches sie aber nicht seyn könnten, wenn sie nicht a priori angemessene Folgen mit ihrer Regel verknüpften, und also Verheissungen und Drohungen bey sich führten.

§. 246. Non dissimulabo, scriptores non paucos, philosophos ac theologos eadem prope, quo Kantius, forma argumentari. *Evidens est*, inquiunt, *quod vera virtus præmium, ac scelus supplicium mereatur. Igitur evidens quoque est, quod existat supremus quidam legislator, ac judex, qui utrique suum pro meritis tribuat.* Ponitur igitur primo virtus, ac scelus, proinde etiam regulæ practicæ, seu præcedentia dictamina, & judicia de honesto, & expetendo, & e contrario de pravo, & vitando. Dein sumitur dignitas præmii & supplicii, quæ virtuti ac sceleri debentur: denique tacite sumitur, per ipsam naturam, & naturales caussas bonos & malos non discerni, nec illis præmia, nec istis supplicia, uti oportet, constitui; ex quibus omnibus existentia supremi legislatoris ac judicis infertur. Dico, concedi hanc argumentandi formam aliis omnibus posse: Kantio & sectatoribus Kantii non posse, nec debere. Nam esse aliquid, quod virtus aut vitium, honestum aut turpe appellatur, sumi potest, velut concessum ab omnibus, etiam atheis, qui & ipsi docent, hominis finem esse, honeste ac socialiter vivere. Quæ autem earum regularum vis sit & obligatio, aut unde

de necessitas moralis proveniat iisdem parendi, non disquiritur in sumta illa hypothesi; etsi dein re discussa, vim illam & necessitatem a sola voluntate, justitia, potentia, omniscientia, verbo, a providentia gubernatrice divina & ratione provenire velut a priori demonstretur, & ipsis conscientiæ morsibus sceleri propriis colligatur a posteriore. At Kantium argumentari in hunc modum non posse, patet ex eo, 1. quia sensum communem & consensionem humani generis, qua in sumendo honesto, ac turpi nituntur ii scriptores, Kantius locis aliis explodit: hoc solo loco, cum omnibus destituatur firmamentis generis alterius, ad eam provocat. 2. Quia iidem Scriptores solas honestatis regulas tanquam passim receptas & approbatas ab omnibus commemorant: Kantius veram obligandi vim, & simplicem, absolutamque earum necessitatem ponit nullo penitus argumento, nisi doctorum, rudiumque consensu; cum iidem docti & rudes necessitatem regularum ac vim a Deo derivent maxime. 3. Quia alii Scriptores judiciis rationis legitima forma conclusis veritatem realem, & objectivam tribuunt: at Kantius, cum ex rebus contingentibus de necessitate causæ primæ differentes audit, totum exsibilat dicendo: *est ea necessitas judicii, non necessitas rei.* Neque dicat: hoc pertinere tantum ad rationem theoreticam; nunc agi de ratione practica. Distinctio hæc inanis est, nulla veri specie nixa, meraque petitio principii. Dein quod caput est, enuntiatio hæc: *Leges morales simpliciter, & absoluta necessitate obligant;* nonne theoretica est? Aut quid faciendum, fugiendumve enuntiat; quod propositionum practicarum proprium est?

§. 247. Sumo, seu pono, inquit Kantius, dari leges morales a priori simpliciter obligantes; sed istud *sumo*, *pono*, meram hypothesin sapit, quæ nullam continet veritatem realem & objectivam. Dein fieri posse ait, ut hisce legibus actiones hominum conformentur, proindeque experientia illis respondeat; ex quo veritatem earum, ac realitatem infert. *) Nova hæc est de legibus morum disserendi ratio. Quot, obsecro, pravæ morum regulæ, ipsique naturali juri repugnantes circumferuntur, quibus actiones suas conformant homines; num idcirco veritatem illis & realitatem attribuet Kantius? Sed ne sola hypotheseos kantianæ reprehensione fatigem lectorem, ostendam ego, qua via uti debuisset Kantius, si judicio rationis a priori deducto leges morales necessario obligantes conficere voluisset. Sic igitur aio: *Certissima, constantique experientia rerum omnium in mundo existentium certus constitutus est ordo, certique propositi sunt fines. — Dubium ergo non est, quin ipsi etiam naturæ intelligenti certus quidam ac determinatus finis sit præstitutus, — — qui obtineri non potest, nisi per certas actiones fini consentaneas. — — Natura hæc intelligens (teste itidem indubitata experientia) nulla vi, nulla necessitate agitur, sed ipsa movere sese in finem, ac regere debet cognitionis ope. — — Ergo necesse est, ut vi naturali cogitandi assequi mens & natura intelligens possit, quid fini conforme & rectum, quid disforme ac pravum sit; atque id, quod cogitando sequi omnino debeat ad propositum nempe finem obtinendum.* Hac quidem concludendi ratione ipsa regularum existentia & obligandi vis non ab experientia, sive a posteriore evincitur; sed præstructis

ctis aliis veritatibus experientia cognitis, legitimo rationis judicio a priori concluditur. At hæc ipsa ratione conclusa, cognitaque veritas, eo deducit philosophum solertem, ut porro indaget, anne natura intelligens regulas morales, per quas ipsa se regat, atque actiones suas in finem dirigat, reipsa semper & ubique perspexerit; ac invento dein communi sensu & consensu humani generis in iis agnoscendis regulis novum theoriæ suæ, firmissimumque argumentum comparat ea propemodum methodo, qua in Physica neutoniana, uti supra animadverti, analysis naturæ ad theoriam condendam, & theoria condita ad nova capienda experimenta nos ducit; quorum dein cum theoria consensus eandem plurimum & confirmat, & illustrat.

*) Seite 835. Die reine Vernunft enthält alfo, zwar nicht in ihrem fpeculativen, aber doch in einem gewiffen praktifchen, nämlich dem moralifchen Gebrauche, Principien der Möglichkeit der Erfahrung, nämlich folcher Handlungen, die den fittlichen Vorfchriften gemäfs in der Gefchichte des Menfchen anzutreffen feyn können. Denn da fie gebiethen, dafs folche gefchehen follen, fo müffen fie auch gefchehen können. — — Demnach haben die Principien der reinen Vernunft in ihrem pracktifchen, namentlich aber dem moralifchen Gebrauche, objective Realität.

§. 248. Alter articulus kantianæ argumentationis continet spem felicitatis, cujusque dignitati respondentem, conjunctionemque individuam felicitatis, dignitatisque; speranda est felicitas, uti quisque dignus est: hæc copulata sunt, (sed in idea tantum) etiam vi theoreticæ rationis. Sed animadverto 1. cur de sola felicitate loquitur Kantius, nihil de miseria, quæ perinde improbos ma-

net, ut illa probos ? 2. Ideas rationis puræ omni veritate reali exſpoliarat ; cur nunc veras eſſe, & reales ſtatuit ? Enuntiatio hæc : *ut quisque dignus eſt felicitate , ita illa potietur ,* theoretica eſt; nec, quæ futura ſunt, experientia comprobari poſſunt : experientia tamen , doctore Kantio , una eſt veritatis theoreticæ nota. 3. Si exiſtentia Dei jam ante demonſtrata eſt, uti ſane luculentiſſime demonſtrari poteſt ; tum certe & ex naturali appetitu felicitatis, & ex neceſſitate illa, ut cuique pro meritis tribuatur, ſtatus futuræ vitæ reſpondens vitæ præſenti tuto infertur. At nullo præmonſtrato Deo legislatore & judice, quid de felicitate, quæ virtuti reſpondeat, ſecundum Kantii principia diſſeri poteſt?

§. 249. Sequitur tertium , quartum & quintum argumenti kantiani membrum : conjunctio felicitatis, dignitatisque effici ab ipſa natura non poteſt, ſed mente ſuperiore indiget, & mundo alio intelligibili morali , quem futurum exſpectamus. Hanc nempe indigentiam humana ratio ſentit. Cuivis philoſopho ſic diſſerenti omnia hæc aſſentiar lubenter, præterquam Kantio, qui nimirum ita docet, realitatem objectivam cujuspiam ideæ ea ex cauſa minime comprobatam eſſe, quod ratio illa indigeat. *) Alium etiam errorem adjungit, quem libro ſecundo verbis pluribus caſtigabo, ſcilicet adverſari virtuti illum, qui eam contemplatione felicitatis conſequendæ colit. Conjunctæ ſunt, inquit, felicitas dignitasque, ſic ut dignitas felicitatis participes facere debeat, non ut felicitas rationem colendæ virtutis contineat, ſecus enim hæc deficeret a decore & honeſtate ſua. **)

*)

*) 620. Die objective Realität einer blofsen Idee ist dadurch, dafs die Vernunft ihrer bedarf, noch lange nicht bewiesen.

**) Seite 8?. In der praktifchen Idee find beyde Stüke (Würdigkeit und Glückfeligkeit) wefentlich verbunden, obzwar fo, dafs die moralifche Gefinnung, als Bedingung, den Antheil der Glückfeligkeit, und nicht umgekehrt die Ausficht auf Glückfeligkeit die moralifche Gefinnung zuerft möglich mache. Denn im letztern Falle wäre fie nicht moralifch.

§. 250. Ex hoc velut antecedente argumentationis confequi vult Kantius veritates graviffimas, quas ipfe fundamenta ac bafes honeftatis, religionisque nuncupat: *Eft fupremum Numen. Poft corporis interitum alius ftatus nos manet.* Serione Kantius ita concludit, convictus ipfe argumento fuo, idemque perfuafurus aliis? Sufpectam ejus fidem maxime reddunt principia, quæ præmiferat, tanquam indubitato afleverans: *ideæ rationis carent veritate reali: rationis indigentia indicio non eft, illud effe reipfa, quo ratio pro concipienda unitate cogitationum fuarum indiget: neceffitas affentiendi, quam fentit ratio, principia regulativa evincit, non conftitutiva.* Nifi admittatur, inquit, effe fupremum Numen, & ftatum futurum, leges morales non funt, nifi figmenta, & entia rationis. Anne Kantius pro talibus habere non debet leges morales, pofteaquam omnia easdem confirmandi argumenta, ac veluti fulcra fubvertit? ac communem fenfum humani generis explodit paffim: auctoritatem fcriptorum locis aliis nihili ducit; omnesque ad tribunal fuæ critices vocat, qui metaphyficam in numero fcientiarum habuerint, quæ nulla eft. Ex perfectionibus divinis, providentia nimirum,

rum, sanctitate, justitia legem moralem deduci non sinet; cum illas perfectiones ex lege morali prius intelligi debere doceat. Quid Hobbesius existimaverit de morali lege, exploratum est eruditis; atqui amplectitur Kantius dogma Hobbesii praecipuum: *Satus hominum naturalis est bellum omnium in omnes.* Haec positio, inquit Kantius, alium errorem non habet, nisi quod pro *bello omnium in omnes*, *status belli* omnium in omnes exprimi debuisset. Etsi enim homines cum hominibus non perpetuo belligerent, tamen eorum status juridicus, id est, ratio jurium, qua res acquirere, seseque conservare possunt, is est, in quo suo quisque arbitrio judicioque sibi & tranquillitati suae consulit, neque praeter vim & violentiam aliud securitatis genus habet, aliisque hominibus praestat; qui profecto perpetuus status belli omnium in omnes est. *) Qui ita sentit, nescio, qui discriminis inter morales leges, & figmenta rationis relinquat.

*) Kant von der Religion innerhalb der Gränzen der blosen Vernunft. Seite 126. Hobbes Satz: *Status hominum naturalis est bellum omnium in omnes,* hat weiter keinen Fehler, als dass es heissen sollte: *est status belli* &c. Denn wenn man gleich nicht einräumt, dass zwischen Menschen, die nicht unter äussern, und öffentlichen Gesetzen stehen, jederzeit wirkliche Feindseligkeiten herrschen: so ist doch der Zustand derselben (status juridicus) d. i. das Verhältniss, in- und durch welches sie der Rechte (ihres Erwerbs und Erhaltung nach) fähig sind, ein solcher Zustand, in welchem ein Jeder selbst Richter über das seyn will, was ihm gegen Andere Ruhe sey, aber auch für dieses keine Sicherheit von Andern hat, oder ihnen giebt, als jedes seine eigene Gewalt; welches ein Kriegszustand ist, mit dem Jedermann gegen Jedermann beständig gerichtet seyn muss.

§. 251.

§. 251. Unum addam de usu theoreticæ rationis; in priore negat Kantius, inesse veritatem in posteriore affirmat. Quid ergo interest inter utramque? quam notionem, quod objectum, quos limites habet utraque? Ait is quidem, ut supra memoravi, practicum esse id omne, quod libertatis humanæ fundamentum est, aut consecutio. At hoc quidem modo veritates theoreticæ pleræque omnes, quæ prælucent liberæ electioni, atque hæc in primis dogmata: *Est supremum Numen*: *post hanc mortalem vitam alius futurus status nos manet*, ad practicam rationem referendæ erunt; quia consiliorum, actionumque honestissimarum fundamentum sunt, & fons uberrimus; quemadmodum lib. 2. §. 67. & seq. ostendam. Si ergo hæc ipsa dogmata in numero practicorum sunt; non theoreticum, uti vult Kantius, sed practicum ex practico deducit. Alii quidem philosophi duce Aristotele lib. 6. Ethic. c. 1. & 2. rationem *theoreticam* vocant, quæ contemplatur ea, quorum principia aliter se habere non possunt; eoquod non sint in nostra potestate: *practicam* vero, quæ contemplatur ea, quorum principia aliter se habere possunt; eo quod sint in nostra potestate. Versatur igitur practica ratio in deliberationibus, consultationibus, rebus futuris mutabilibus, quæque in nostra potestate sunt. Hæc satis acurata, fixaque & passim recepta notio (kantiana enim definitio theoreticum & practicum non satis distinguit) hæc, inquam, recepta notio si adhibeatur ad particulas singulas argumentationis kantianæ, de qua disserimus in præsenti, velim mihi ostendat quispiam, quid in iis practicum insit, & non penitus ad theoreticam rationem referri debeat. Anne practica est assertio generalis: *Ex-*

tant

tant morales leges absolute obligantes? Anne hoc: *cum virtute, qua se dignum quis præbet felicitate, felicitas conjuncta est, ejusque spes*? Aut illud forte, *felicitas virtuti respondens non a natura, sed naturæ auctore rectoreque, nec in præsenti, sed futuro vitæ statu expectari potest*? Si omnia hæc theoretica dogmata sunt, nulli experientiæ obnoxia, & si affirmante Kantio, theoretica dogmata veritate reali & objectiva carent; quomodo ratione practica existentiam Dei, & futurum statum probat? aut si hæc dogmata sic quidem satis probari contendit, quo jure theoreticam rationem iis probandis imparem arbitratur?

CONCLUSIO
DISQUISITIONUM LIBRI I.

§. 252. Satis & abunde, nisi vehementer fallar, ostensa a me est infirmitas argumenti ejus, quod in locum theoreticarum demonstrationum ex ratione practica suffecit Kantius; ac si id obtineret aliquando a viris doctis; ut circa præcipua dogmamata religionis naturalis nihil confici theoretica ratione posse assentirent, tum veluti versa acie cito inferret: atqui isto jam dato, nec practica ratio, si fulcris theoreticis careat, vim ullam habere potest; est enim hæc naturæ intelligentis certissima lex, ut practica omnis cognitio theoreticæ veritatis velut prælucente ductu regatur, subsistatque; secus imprudens, temerarius, cæcus est usus omnis practicæ rationis.

§. 253. Nominavi *dogmata naturalis religionis*; quod profiteri ausus non est Kantius, dum me-

metaphysicis scientiis, tanquam nihil eædem ad religionem pertinerent, bellum movit. At si de initio & creatione rerum, si de finibus mundi quantumvis protensis, at certis tamen, & a conditore constitutis, si de libertate hominum, de spirituali mentium natura, si de causa prima, atque Ente necessario, ac perfectissimo agitur, quid est, nisi naturalis religionis gravissima dogmata tractare utramvis in partem, sive impugnentur eadem, sive confirmentur? Defensores horum dogmatum *Dogmaticos* vocat Kantius, eorumque causam spectata theoria dogmatum nihilo meliorem esse putat, quam adversariorum, quos habent magno numero scilicet Materialistarum, Fatalistarum, Atheorum, Incredulorum, Fanaticorum; quia utrorumque rationes, & ajentium, & negantium, æqualis ponderis esse, ac pares judicat, ut adeo, judice Kantio, mens humana necessario in scopulos incurrat, si argumentis theoreticis ad easdem asserendas veritates uti velit; nec eo contentus, criticem suam maxime commendandam illa ex causa opinatur, quod, ostensa rationum pro utraque parte pugnantium æqualitate vel potius æquilibritate, ipsum *Materialismum*, *Fatalismum*, *Atheismum*, *licentiam sentienti quodlibet*, imo & *Fanatismum* ac *Superstitionem*, a quibus periculum publicum imminere potest, cum *Idealismo* ac *Scepticismo*, qui scholis potius, quam vulgo hominum infesti sunt, radicitus exstirparit. *) Enim vero pari jure de naturali religione, cujus fundamenta in dogmate, ac theoretica veritate consistunt, radicitus exstirpata gloriari poterat.

*) In der Vorrede zur zweyten Auflage S. XXXIV. Durch sie (die Critik) kann nun allein dem Materialism, Fatalism, Atheism, dem freygeisterischen Unglauben, der Schwärmerey und Aberglauben, die allgemein schädlich werden können, zuletzt auch dem Idealism, und Scepticism, die mehr den Schulen gefährlich sind, und schwerlich ins Publicum übergehen können, selbst die Wurzel abgeschnitten werden.

§. 254. At vindicanda dogmata naturalis ipsius, nedum Christianæ religionis inde a medio superiore seculo per totam ætatem nostram a viris doctissimis omnium Europæ nationum multa præclarissime scripta, editaque sunt, in quibus præcipua illa dogmata de creatione rerum ex nihilo, & principio mundi, de sapientissimis finibus a conditore per omnem naturam constitutis, de amabili ejusdem providentia, de animorum immortalitate, ac demonstranda existentia Summi Dei &c. admirabiliter exposita, validissime confirmata, perspicueque illustrata fuere. Cum igitur nefarii conatus hominum impiorum quaquaversus retunderentur, novum belli genus excogitavit Kantius, ut scilicet non naturalem religionem, sed omnem metaphysicam, ex qua scilicet de rebus a sensu remotis, si ratione agitur, argumenta depromi unice possunt, impugnare se diceret, idque velut armamentarium ad defensionem ejus religionis comparatum funditus evertere conaretur. Quapropter accusat primo metaphysicam, quæ se in scientiarum chorum insereret, cujus nominis dignitatem tueri non posset, utpote expers omnis certæ perspicuæque theorematum suorum demonstrationis: quæ nullos longissimis temporibus fecisset progressus, cum aliæ artes, scientiæque lætissime efflore-

sce-

ſcerent: quæque lites agitaret interminatas, quibus univerſum perturbaretur humanum genus. *) Dein etſi fateatur, homines naturali quadam mentis diſpoſitione ultra ſenſus progredi cogitando, unde naturalis exiſteret Metaphyſica, qualis qualis ſit; tamen velut capitale proponit problema hoc: *fierine poteſt, ut ſit Metaphyſica, quæ Scientiæ nomen mereatur*? **)

*) Vorrede zur zweyten Auflage der Critik Seite XIV. Der Metaphyſik einer ganz iſolirten Vernunfterkenntniſs, die ſich gänzlich über Erfahrungsbelehrung erhebt, und zwar durch bloſse Begriffe, wo alſo Vernunft ſelbſt ihr eigener Schüler ſeyn ſoll, iſt das Schickſal bisher ſo günſtig nicht geweſen, daſs ſie den ſichern Gang einer Wiſſenſchaft einzuſchlagen vermocht hätte. Prolegomena zu einer jeden künſtigen Metaphyſik. Seite 15. Es ſcheint beynahe belachenswerth, indeſſen daſs jede andere Wiſſenſchaft unaufhörlich fortrückt, ſich in dieſer, die doch die Weisheit ſelbſt ſeyn will, deren Orakel jeder Menſch befrägt, beſtändig auf derſelben Stelle herumzudrehen, ohne einen Schritt weiter zu kommen. — — Es iſt aber eben nicht ſo was unerhörtes, daſs nach langer Bearbeitung einer Wiſſenſchaft, wenn man Wunder denkt, wie weit man ſchon darinn gekommen ſey, endlich ſich Jemand die Frage einfallen läſst, ob, und wie überhaupt eine ſolche Wiſſenſchaft möglich ſey. — — Ebend. S. 9. Um ſo viel endloſe, und verfolgende Streitigkeiten, die das Menſchengeſchlecht verwirren, aufzuheben.

**) Critik Seite 21. 22. Metaphyſik iſt, wenn gleich nicht als Wiſſenſchaft, doch als Naturanlage (Metaphyſica naturalis) wirklich. Denn die menſchliche Vernunft geht unaufhaltſam, ohne

ohne dafs blofse Eitelkeit des Vielwiffens fie dazu bewegt, durch eigenes Bedürfnifs getrieben bis zu folchen Fragen fort, die durch keinen Erfahrungsgebrauch der Vernunft, und daher entlehnte Principien beantwortet werden können. —— Da fich aber bey allen bisherigen Verfuchen, diefe natürlichen Fragen, z. B. ob die Welt einen Anfang habe, oder von Ewigkeit her fey, u. f. w. zu beantworten, jederzeit unvermeidliche Widerfprüche gefunden haben; fo kann man es nicht bey der blofsen Naturanlage zur Metaphyfik bewenden laffen, fondern es mufs möglich feyn, mit ihr es zur Gewifsheit zu bringen, entweder im Wiffen, oder Nichtwiffen der Gegenftände. — — Die letzte Frage — würde mit Recht diefe feyn: *Wie ift Metaphyfik als Wiffenfchaft möglich*?

§. 255. Hoc propofito problemate, ex quo omnis fortuna, & quafi falus Metaphyfices pendeat, hisce ad eam labefactandam, atque ad incitas redigendam armis & adjumentis utitur. I. Eam provocat, ut quæftiones controverfas fibi proprias non aliqua fpecie veritatis expediat, fed certas, immotasque oftendat, aut fcientiæ nomen abdicet. Progreffu dein operis quæftiones controverfas Metaphyfices proprias triplicis effe generis docet, quæ nempe attingant ideas pfychologicas, cosmologicas & theologicas; omnibusque, ut quidem jactat, diligentiffime difcuffis ita definit, ut in pfychologicis ideis & quæftionibus meri paralogifmi infint, in cofmologicis antinomiæ, rationesque pugnantes, quæ ipfæ fe evertant, in theologicis nihil, nifi idealitas fine objecto, conceptus fine re, fictiones fine veritate. Rectene definiat Kantius, an fecus, ex iis dijudicabit lector, quæ de triplici illo idearum

gene-

genere commentatus sum. Quod vero quæstiones metaphysicas non expediri quoquo modo, sed ad certitudinem, immotamque firmitatem perduci vult, consentientem me habet, hoc tamen pacto, ne ipse illius certitudinis judex & arbiter sit (confer dicta §. 228.) quidquid enim argumenti protuleris, quo teneri debeat, semper paratum habebit effugium ex veritate logica, non reali, ex principiis regulativis, non constitutivis, ex necessitate judicii, non rei ipsius repetitum.

§. 256. II. Ut argumentis suis, quæ opponere Dogmaticorum argumentis cogitabat, novam quandam vim & velut singularem auctoritatem conciliaret, longum, vastumque opus molitus est Kantius, quasi verborum multitudine res conficeretur: inscripsit eidem *Criticen rationis*, qua novitate maxime allici deberent, qui ratione recte uti gestirent: definitiones vocum locis plurimis novavit, fixit notiones, refixitque: novas excogitavit divisiones: formas sensuum, & formas intellectus confinxit: disseruit locis pluribus de Idealismo suo transcendentali; quæque plana methodo receptoque communiter sermone tironibus philosophiæ in annos singulos explanari solent, ea novis vocabulorum involucris contexit, obscuravitque; quasi meliora essent, sanioraque, quæ obscuriora. Hac dein apparatuum hypothesi omnia implicavit argumenta, quæ argumentis dogmaticorum quasi paria, & æqualis ponderis objectabat, incredibili plane confidentia, jactantiaque, nequis scilicet, etsi non attingeret mentem Kantii, ejus verba vocare in dubium auderet, quæ tanta asseveratione proferri cognosceret.

§. 257. III. Quemadmodum hypotheses suas Kantius per omnem Critices tractationem ita diffudit, innexuitque, ut in præcedentibus sumeret ea, quæ postea dicturus erat, & posteriora ex præcedentibus comprobaret, ita ubique velut indubitatum sumit, nihil veritatis realis & objectivæ contineri iis cognitionibus, quæ affectionem & testimonium sensuum non haberent. At nosse vellem, istuc ipsum assertum, quali affectione & testimonio sensuum nitatur, evincique possit. Novi equidem omne id, quod sensus afficit, percellitque, ut reipsa existat, necesse esse; at fœdissimum conversionis sophisma est, siquis ita concludat: igitur omne, quod existit, ut sensus afficiat, percellatque, necesse est. Fieri sane non potest, ut hoc suum principale assertum ab experientia comprobet Kantius; ergo ex ratione pura & a priori conficere argumentum cogitur; quod ipsum, ut alia omnia a priori collecta, carebit veritate reali & objectiva, & in hypothesium kantianarum numero cubabit perpetuo. Præviderat homo acutus, quantas molestias causæ suæ allatura essent theoremata Geometrarum, & Analystarum supputationes, quibus ultra omnes sensus longissime provehimur demonstrando. Quapropter totam Geometriæ atque Algebræ scientiam ad intuitionem sensuum revocat; eoque solo, quasi plena disparitatis data ratione, secure deinceps acquiescit. At vero quid habemus ex sensibus in mathematicis disciplinis, nisi primam demensionis repræsentationem, simplicemque ideam unitatis? Sic quidem prima omnium idearum stamina sensibus accepimus, quæ dein discernendo, abstrahendo, componendo refe-

referendoque alteram ideam ad alteram vi intellectus variis multisque modis perficiuntur, aptanturque ad cognitionem rerum præstantissimarum. Non de ideis quæstio est, sed data earum realitate de judiciis agitur, eorumque veritate, utrumne verum sit nullum, nisi experimentale; quodsi affirmat Kantius, perinde mathematicas disciplinas, uti metaphysicam abjicere, atque ex scientiarum numero eximere debebit.

§. 258. Conqueri dein audet, interminatis litibus Metaphysicorum universum perturbari humanum genus. (Not. 1. §. 255.) Quid ergo? perturbatur scilicet humanum genus, si ex metaphysicis principiis, argumentisque rejiciuntur Materialistæ & Epicurei tanquam stupidi: si profligantur, damnanturque Athei, tanquam insani, impiique: si exploduntur Sceptici, tanquam turbatæ mentis, parumque sobrii & sicci: si deridentur Idealistæ, tanquam fanatici: si increduli homuli & quodlibet sentientes tanquam importuni & in gravissimis rebus ludificantes, nugantesque compescuntur? Hoc quidem modo turbari humanum genus affirmat Kantius, nec aliter pacem & tranquillitatem posse restitui opinatur, nisi ut hi omnes pari cum dogmaticis conditione & honore habeantur. O justum, sapientemque pacificatorem!

§. 259. Finem imponam disquisitionibus libri primi, monendo, atque etiam rogando prudentes Lectores, ut diligenter etiam atque etiam expendant, quanti intersit hac ætate nostra ad omnem tuendam veram scientiam, honestatem, reli-

gionemque, ut accurata constantique opera, & recta solidaque methodo ad philosophicas disciplinas adhibeantur, informenturque adolescentum animi, qui ad graviores subin scientias cogitant progredi. Hac enim una ratione ac via discent ipsi & quodammodo sentient, quid inter fucatam quandam veritatis speciem, quæ maximis etiam erroribus solet prætendi, & veri nominis demonstrationem, plenamque ostensionem veri, discriminis intercedat. Res ipsa momenti summi est his maxime temporibus, quibus rationem, rationisque conclusiones jactitant & extollunt: sacram vero auctoritatem, nisi obstrepenti rationi satisfactum sit, quantum res patitur, non reverentur, ut par est. Quodsi ergo naturalis quoque religionis dogmata impune convelli patimur, quid reliquum est, nisi ut in turpissimum Atheismum, & Spinozismum plurimi demum prolabantur? Non habet religio illa, atque universa Metaphysica, quod a Critice Kantiana timeat, idque, nisi fallor, plenissime comprobatum a me fuit his ipsis disquisitionibus, aut certe quidem viris sapientioribus patefacta via est, animusque additus, id ipsum uberius, aptiusque comprobandi. Metam veritatis certissima fidei lux nobis præmonstrat; viam eodem perveniendi, his quidem in disputationibus, ipsa per se ratio inveniet, perinde uti errores inveniet, si recte eadem uti laboremus; ut adeo satisfieri omnino possit, debeatque sapientissimo decreto concilii Lateranensis V. contra Philosophos quosdam seculi XV. edito, hisce verbis concepto: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, distri-*

strictius inhibemus. Omnesque hujusmodi erroneis assertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore, decernimus.

Insuper omnibus & singulis Philosophis in universitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus districte percipimus, ut cum Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, ex authoribus suis legerint, seu explicaverint (quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate & mundi æternitate, ac alia hujusmodi) teneantur eisdem veritatem religionis christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo (pro posse) docere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta (cum omnia solubilia existant) pro viribus excludere, atque resolvere.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX
LOCORUM MEMORABILIUM.

Numerus paginam denotat.

A.

Aeternitas Dei quomodo concipienda. 206. 307.
Analogiae kantianae. 203. feq.
Analytica propofitio. Vid. *Propofitio.*
Anima humana non eft phaenomenon. 111. 250. Eft fimplex. 258. 290. fpiritualis. 270.
Animadverfio quid fit. 208.
Antinomiae Kantii. 274.
Apperceptio pura Kantii. 120. 246.
Argumentationum triplex genus. 244.

C.

Categoriae Veterum. 130. Kantii. 132. Ejus tabula imperfecta. 223.
Caufae notio an per experientiam acquiri poffit. 12. 154. 156. Caufae & principii notioni non neceffario adhaeret prioritas temporis. 224. 226. Caufa libera admittenda eft neceffario in mundo. 291. 292.
Cogitare quid fit Kantio. 55. 58. 182.
Complexae ideae. 122.
Compofitum quodcunque conftat ex fimplicibus. 286.
Conceptus & intuitus lineae an differant. 26.
Conditionatum infert feriem conditionum. 341.

Con-

Contingentis notio. 166. Contingentia qua cum necessitate possit conjungi. 316.
Contradictionis principium. Vid. *Principium.*
Conus est tertia pars cylindri ejusdem altitudinis & baseos. 31.
Creatio rerum extra Deum ex nihilo. 343. Creatæ res, quo sensu sint participatio divinæ essentiæ. ibid.

D.

Dei notionem ex falsa origine derivat Kantius. 339. Dei invisibilis cognitio quomodo acquiratur. 339. Dei existentia quibus argumentis demonstrari possit opinione Kantii. 345. Demonstratio Dei quasi a priori ex notione Entis perfectissimi 359. seq. Ex contingentia rerum. 377. Ex ordine & pulchritudine mundi. 389. Ex practica ratione quomodo demonstretur existentia Dei a Kantio. 403. Hujus demonstrationis disquisitio. 405. Demonstratio ex necessitate præmii & supplicii. 406.
Distinctio formalis. 246.
Duratio & variatio quomodo concipiantur. 205. 209. 213.

E.

Existentia rerum, an solis sensibus innotescat. 51. Existentiæ notio 165. est simplex. 369. an distinguatur a possibilitate. 366. 371.
Experientia quid sit Kantio. 134. 222. 224. seq. Experientiam feliciter transiliit Neutonus in Astronomia physica. 327.

F.

Fallacia petitionis principii. 250. 253. 295. 301. Accidentis. 250. Figuræ dictionis. 255. Ignorationis elenchi. 295. Amphibologiæ & incompletæ disjunctionis. 301.
Figuræ & extenſionis conceptus. 186.
Formæ kantianæ ventilantur. 63. 136. 139. 174. 221.

I.

Idea quid Kantio ſignificet, quid aliis. 47. 252. 293. quid Platonicis 336. Idearum ortus varie explicatur. 5. Intereſt, eum exquirere. 48. 174.
Idealismus tranſcendentalis. 75. 101. 107. 220. 241. 249. 266.
Infiniti notio. 283. Categorematicum in quantitate repugnat. 278. Quid ſyncategorematicum. 282. Quid interſit inter utrumque. 285. In infinitum progreſſus rectilineus & curvilineus. 326.
Intellectus quid vulgo denotet, quid Kantio. 2. 55.
Intenſiva quantitas in phænomenis. 193. ſeq.
Intuitiva & ſymbolica cognitio. 27. 38. 127.
Judicii definitio kantiana. 55. 57. Diviſio. 163. 171.

K.

Kantius ad obſcuranda dogmata de Deo & humana mente per anfractus & ſubdole incedit. 4. 118. 132. 138. 215. 227. 243. 389. 393. Multis annis deſudat in opere ſuo, ut nempe res planas implicet, & rectas pervertat. 20. Præſtructo duplici & capitali errore, de confictis

fictis prioritatibus & veritate solis sensibus affixa 339. quæstionem de infinita perfectione Dei in medio relinquendam putat. 379. Dogmata de Deo & humana mente vocat fundamenta honestatis. 354. Et tamen nihil referre ait, utrum eadem cognoscamus. 339. Rationem humanam perpetuæ & naturalis illusionis accusat. 9. Corrumpit doctrinam Lockii de diversitate judiciorum. 41. Falsam doctrinam affingit philosophis de spatio & tempore 98. cum Berkelejo idealista argumentatur 114. ipse Phantasiasta transcendentalis 78. argumenta Philosophorum & Theologorum pro demonstranda existentia Dei vocat impossibilia & nulla. 358. Leges morales, quas verbis adstruit, re tollere videtur. 411. 414. Metaphysicam, quatenus exponit prima dogmata religionis, ex numero scientiarum vult expungere. 417. seq. Miraculum non aliter definit, ac Spinoza 317. vane gloriatur de exhausto a se intellectu humano 132. de emendatis Veterum categoriis. 173. Præpostero ordine res tractat. 12. Idola phantasiæ vocat intuitus puros 64. ludit verbis distinguendo inter deductionem conceptuum, & illustrationem 145. inter fluxum & ordinem temporis. 226. Nominum significationem pro arbitrio mutat contra philosophicas & theologicas rationes. 210. Nova etiam vocabula confingit ad obscurandam scilicet veritatem. 333. Inepte distinguit inter naturalem & theoreticam rationem. 348. Nec apte theoreticam distinguit a practica. 402. 413. Sophisma committit in conversione propositio-

tionum 232. 243. a contradictoriis progrediendo ad contraria. 236. Probando axioma intuitionis peccat in materia & forma. 191. Ponit thesin & antithesin, nempe propositiones contradictorias, quarum utraque falsa esse potest. 308. Antinomias suas ex idealismo, & idealismum ex antinomiis probat. 321. Et alias amat ambulare in circulo. 367.
Mathemata ad sensus detorquet. 16. 31. 37.

L.

Legum moralium obligatio. 406. Earum existentia quomodo demonstretur a priori. 408.
Libertas practica & transcendentalis. 294.
Limitationis idea. 151. Ex limitatione rerum & perfectionum creatarum infertur ens infinitum, nullos habens limites. 335. 337.

M.

Mathematicæ cognitiones an semper intuitivæ sint. 22. 24. Non possunt adscribi sensibus. 33. 87. Sunt analyticæ, non syntheticæ. 28. 37. 164.
Multitudinis idea. 147.
Mundus non est infinitus, nec ab æterno. 278.

N.

Necessitatis notio. 158. 166.
Negationis quæ idea sit. 149. 162. Alia privationis. 238.
Neutonus experientiam transiliit. 327. 350.
Nihilorum tabula kantiana, plena contradictionis seu nihili. 238.

Notio-

Notiones complexæ. 122. Quomodo formentur. 129. Generales. 24. 124. 127. relativæ. 154. Notio inanis quæ? 137. In notionibus qualis necessitas & universalitas insit. 9. 159.
Noumena Kantii nihil sunt fatente ipsomet. 238.
Numerorum ideæ. 147. 148.

O.

Obligatio legum moralium unde proveniat. 405.

P.

Phænomena quid denotent Kantio. 61. Contineantne materiam & formam. 61. 64. 74.
Philosophia recte exposita maximi momenti est hac ætate. 421.
Possibilis & impossibilis notio. 163. 359.
Possibilitas logica & objectiva. 233. 360. Ab existentia an distinguatur. 366. 371.
Postulatum quid sit Mathematicis, quid Kantio. 231.
Principium contradictionis quem usum habeat. 100. quomodo explicetur a Kantio. 150. An sit mere logicum. 362. Principium rationis sufficientis, sive ut Kantius inquit, dato conditionato datur summa totalis conditionum. 293. 341.
A Priori cognitio an detur? 2. seq. 394. Inepta nomenclatio. 64. 74. 137. Synthetica judicia qualia dentur? 41.
Propositiones analyticæ & syntheticæ. 17. Utrum possibiles sint syntheticæ a priori, obscure quærit Kantius. 21. Utrum syntheticæ sint pro-

propoſitiones omnes, quæ affirmant exiſtentiam ſubjecti. 364. Vid. *Judicium.*
Pſychologia rationalis quæ ſit? 257.

R.

Ratio ignava quæ ſit. 322. Recte progreditur a ſenſibilibus ad inſenſibilia. 52. 240. 341. Theoretica & practica. 402. 413.
Realitas ſive cognoſcibilitas. 366. Ejus conceptus. 149.

S.

Senſuum apparentia & veritas quomodo explicetur a Philoſophis. 71. Senſus internus. 92. Senſus communis naturæ 351. exquiri debet ſecundum rectam methodum. 353. Sentiendi facultas non mere paſſiva eſt. 50. 182.
Spatium non eſt forma ſenſus externi. 69. 80. 183.
Status mundani tres ſunt inter ſe differentes, non plures. 296.
Subſtantiæ notio. 115. 152. Perduratio. 204. quantitas utrum conſtans ſit in mundo. 210. nimis abſtracte ſolet concipi. 115. 230. 263. Subſtantiæ tribuitur a Kantio perpetua & neceſſaria exiſtentia. 215. Subſtantiæ primæ & ſecundæ. 268.
Symbolica cognitio. 127. Vid. *Intuitiva.*
Syntheſis kantiana. 119.
Syntheticæ propoſitiones. Vid. *Propoſitiones.*

T.

Transscendentalis philosophia. 18.
Tempus non est forma sensus interni. 89. Ejus idea unde proveniat ib. consistit in successione. 106. A Kantio quomodo concipiatur. 207. Utrum possit animadverti. 208. Kantiana unitas temporis. 217. Est reale vel possibile. 306. 308.

U.

Unitatis idea. 146.

X.

X ignotum Kantii excutitur. 79. 102. 185. 238. 241. 263. 347. 388. Fortassis spinozisticum. 107. 211. 216. 217.

ERRATA.

Pag.	Linea		Menda	Lege.
34	9		generantis	generantis rectanguli
36	2		opinior	opinor
41	11		Sieh §.	Sieh §. 2. c.
75	22		qui	quæ
87	22		adeſt	abeſt.
107	22		extero	externo
114	3	retro.	afficient	afficiet.
116	8	retro.	in ſubſtantia	*deleatur.*
145	20		non	nobis
159	6	retro.	negat	urget
166	18		negatione poſſibilis	negatione, tum poſſibilis
188	13		anguſtias	ultra ſenſuum anguſtias
190	2		afficit.	non afficit.
201	12	retro.	exſivam	extenſivam
211	22		qualitate	quantitate
216	12		infinita extenſionis	infinitæ cogitationis, corpora in modificatione infinitæ exteuſionis.
218	7		connexionis contingunt.	connexionis cauſarum atque effectuum contingunt
224	19		effectibus.	cum effectibus.
226	3		und den Ablauf	und nicht den Ablauf
279	22		tollerat.	tollat.
291	24		non eſt	non ſola eſt
330	8	retro.	maglina	maligna
336	7		faciemque	ſpeciemque,
372	19		& eſſentia	& exiſtentia
390	12		ita nec	ita &
408	5	retro.	cogitando ſequi	cogitando aſſequitur, agendo ſequi
413	1		theoreticæ rationis	theoreticæ & practicæ rationis

DISQUISITIONUM
PHILOSOPHIAE
KANTIANAE
LIBRI DUO,

QUORUM PRIMUS CRITICEN RATIONIS PURAE,
ALTER SIC DICTAM FUNDATIONEM META-
PHYSICES MORUM EXAMINAT.

Elucubratus eſt
JACOBUS ANTONIUS ZALLINGER
AD TURRIM,
SS. Theologiæ, & J. U. Doctor, Juris Eccleſiaſtici
Profeſſor ordinarius publicus, p. t. Studiorum, & Collegii
S. Salvatoris Rector, & Examinator ſynodalis.

LIBER II.

Discutitur ſic dicta fundatio Metaphyſices morum.

AUGUSTAE VINDELICORUM.
IN OFFICINA LIBRARIA
IGNAT. VEITH - & MICH. RIEGERIANA.
MDCCXCIX.

Quæ volunt, ſapiunt ; & nolunt ſapere, quæ vera ſunt. *S. Hilarius lib.* 8. *de Trinitate, poſt principium.*

PRAEFATIO.

In magno numero operum & opuſculorum, quæ inde a medio ſeculo, quod decurrit, in lucem protruſit Kantius, duo ſunt peritorum judicio explorandæ ſcriptoris menti maxime idonea, in quibus novæ philoſophiæ jeciſſe ſemina, & munimentorum, quibus oppugnare divinam religionem meditabatur, poſuiſſe fundamenta creditur. In his unum inſcripſit: *Criticen rationis puræ*, alterum *fundationem Metaphyſices morum* nuncupavit; atque hoc quidem ad moralem ſeu practicam refertur philoſophiam, illud ad theoreticam; ſi theoretica philoſo-

losophia existimari potest ea, quæ omnem vim indagatricem rationis, inveniendæ veritati imparem pronuntiat, mundique eventus, & mutationes motusque rerum in solis repræsentationibus collocat, nequé alia ex causa latissimum Idealismum tuetur, nisi ut homines sanæ mentis, quibus persuaderi is nunquam poterit, saltem dubitare de rebus omnibus maximeque perspicuis doceat. De qua theoretica parte satis me respondisse Kantio in priore libro confido, illudque una ostendisse, non ab sola veritate, sed ab omni veritatis inquirendæ recta via, genuinaque philosophandi methodo longissime ipsum abesse, qui de natura rerum, ipsarumque facultatum humanæ mentis non naturæ ductu ac magisterio, sed ex præconceptis phantasmatum umbris differere soleat.

De practica philosophia cum ipse Kantius angustius, breviusque scripserit, minorem etiam respondendi laborem fecit. Cum autem rationi contemplatrici vim omnem afferendæ

dæ certæ veritatis jam ademiſſe ſe opinetur, totumque ad practicam rationem, ſeu, ut ait, voluntatem referat, quam imperatricem, legumque rationis latricem cenſet, aptior epigraphe, quæ præſenti ſcriptioni meæ affigatur, excogitari nulla poteſt, quam ſententia ſapientiſſimi viri, Hilarii Pictavienſis, qui multis ipſe certaminibus laboribusque pro tuenda divina veritate perfunctus eſt, qua de magiſtris errorum ſui ævi in hunc modum pronuntiavit: *Quæ volunt, ſapiunt; ac nolunt ſapere, quæ vera ſunt*, voluntarios ſcilicet notans errores, quorum prima origo in pravitate animi, non ſolis anguſtiis humanæ mentis, vel ignorantia inquirenda ſit. Cum enim voluntas noſtra veritatis cognitione in primis regi debeat, quæ poteſt eſſe major animi pravitas, quam intendere vires ingenii ſui, ut rationis lumen diminuatur modis omnibus, incertumque reddatur, & divinæ revelationis lux tanquam ſupervacua rejiciatur, atque adeo totum negotium inſtituendæ vitæ, ſalutisque ſempiternæ curandæ ad propenſiones cæcæ voluntatis refera-

feratur; de quo hominum genere dici vere potest: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* *) Itemque illud: *Dixerunt Deo: recede a nobis. — Scientiam viarum tuarum nolumus.* **)

*) Psalm. 35, 4.

**) Job. 21, 14.

IN-

INDEX
CAPITUM.

Pag.

I. Propositum Kantianum construendi novam partem disciplinæ moralis, ejusque jaciendi fundamenta. - - 1.

II. Inconstantia Kantii in designando principio legis moralis : anceps distinctio inter legem & regulam, seu principium objectivum & subjectivum : deductio principii moralis. - - 19.

III. Voluntas bona, quæ sit ex mente Kantii ? - - - 25.

IV. Voluntas bona Kantiana an sit summum bonum ? - - 36.

V. Officii notio rectene a Kantio definita fuerit ? - - 50.

VI. Kantianum principium cognoscendæ legis moralis. - - 60.

VII.

VII. Judicium Kantii de principiis aliorum. 77.

VIII. Principium theologicum cur rejectum sit a Kantio? - - 95.

IX. Kantius immutata iterum principii notione, inquirit in vim legis, qua voluntas necessario determinetur. - 123

X. Susceptus labor explicandi vim legis implicatur novis molestiis & difficultatibus ob notiones confusas libertatis humanae. - - 147.

XI. Disquiritur demum jactitata a Kantio necessitas constituendi fundamenta Metaphysices morum. - 168.

CA-

Caput I.

Propositum construendi novam partem disciplinae moralis, ejusque jaciendi fundamenta.

§. 1. Novum disciplinæ moralis opus, idque ab iis omnibus, quæ adhuc prolata sunt in eo genere, plane diversum moliturus Kantius, quærit ex hominibus doctis, utrumne non videant ipsimet, esse extreme necessarium, ut tandem philosophiæ morum *puræ* elucubrandæ adhibeatur opera; quæ scilicet expurgata sit omni eo, quod ad experientiam atque sensus hominum, non rationem pertinet, quæque unice puræ rationis momentis, non humani tantum generis propriis, sed cujusvis naturæ, quæ quidem rationis particeps sit, communibus nitatur. Esse quampiam istiusmodi scientiam, per se se elucere ait vel ex solis ideis, quas & de lege morali, & de legibus sensuum quisque animo suo informavit. Nam

a) Lex moralis, quæ est obligationis atque officii principium, absolutam continet necessitatem.

b) Præceptum non mentiendi non solos afficit homines, quasi aliæ naturæ, quæ ratione pollent, nihil ad se id pertinere, existimare possent;

cumque similiter de qualibet morali lege judicandum sit, consequens esse docet, ut principium obligationis nequaquam in natura hominis, aut statu, quem tenet in mundo, inquiri debeat, sed a priori ex ideis rationis puræ exsculpendum sit, utque præscripta omnia, principiis experientiæ nixa, aut quæ vel unicum ab experientia deductum actionis incitamentum continent, appellari quidem *regulæ practicæ* possint, *leges* autem *morales* non possint.

c) Nisi doctrina morum a primis, supremisque principiis repetatur, facile iidem, variisque modis depravari poterunt; ut enim bona sit actio (moraliter) satis non est, eandem ad leges conformari, nisi etiam legis causa & ratione fiat; secus enim fortuita, & incerta erit illa conformitas; quia principium, quod a moralitate abhorret, *) etsi aliquando actiones gignat consentaneas legi, tamen sæpe etiam contrarias eidem efficit. Necesse est autem, ut lex moralis non mutabilem vim quandam, sed apodictice practicam firmitatem habeat.

*) Der unsittliche Grund.

§. 2. Ex his concludit Kantius, legem generalem morum, quæ genuina & pura esset, in Philosophia rationis puræ exquiri debere; cui præmitti debeat *Metaphysica morum*, sine qua nulla esset philosophia moralis, eoque nomine plane indigna, quando empirica admisceret, atque ob hanc ipsam causam detraheret de honestate & puritate morum, ipsiusque philosophiæ finem everteret. Priusquam autem hanc novam exponeret metaphysicam morum, ejus fundamenta ponenda censuit in libro, quem inscripsit *Fundationem Metaphy-*

taphy-

taphysices morum. (*Grundlegung zur Metaphysik der Sitten.*) Quis non crederet, cum talia præstantem legit Kantium, ejusmodi philosophiæ, & metaphysices morum principia, fundamentaque positurum, per quæ humanas mentes corpori illigatas penitus avocet a sensibus, & prope a semetipsis abstractas ad ipsam deducat Divinitatem, aut tanquam alter Socrates philosophiam e cælo devocet. Atqui tantum abest, ut homines ad superna sensa, atque ad Deum conetur adducere, ut potius inter opiniones plurimas, quæ de primis principiis morum excogitatæ sunt, principium, quod vocat *theologicum*, a divinis perfectionibus, Deique voluntate, justitia, sanctitate, omnipotentia, justissimoque Dei timore, aut cælestibus præmiis repetitum, præ aliis dicat repudiandum, atque adeo virtuti & honestati maxime adversum censeat. *) Philosophiam poscit *puram*, ex *puræ rationis* fontibus a priori haustam, quod centies repetit, quæ nullo uspiam e terra cælove mutuato adminiculo egeat. De qua re, quemadmodum de universa ratione novæ disciplinæ kantianæ, & jactata necessitate Metaphysices moralis, cum judicare lectores, nisi totius tractationis perceptis capitibus, haud possint, in præsenti mihi respondendum non est. Illud potius primo loco agendum mihi video, ut, quas supra proposui, legis moralis conditiones, affectionesve disquiram.

*) Der unsittliche Grund.

§. 3. Tria ad legem moralem requiri, docet Kantius; ut sit

a) *Absoluta*, nulli affixa conditioni, ejusque formula sit *categorica*, non hypothetica. E. g. Ne

mentiaris, præcisa etiam conditione: ni dedecus velis incurrere, aut fidem amittere. Formulas, præcepta rationis exprimentes, *Imperativos* vocat; quam apte, adcurateque sic vocitet, dicam loco suo. *)

b) *Propria cujusvis naturæ rationalis.* Quidquid proin rationem, ac fundamentum in singulari naturæ humanæ constitutione, in propensionibus aut statibus hominum habet, regulam quidem operandi præbere potest, sed legem moralem non efficit. Quia vis, & principium obligationis ratione pura exquiri, non repeti ex natura hominis debet. **)

c) *Apodictice-practice necessaria.* Istiusmodi ideas certe quidem de lege morali homines vulgo habent, etsi ejus necessitatis ratio reddi non possit. ***)

*) In der Vorrede: Jedermann weiss, dass ein Gesetz, wenn es moralisch, d. i. als Grund einer Verbündlichkeit gelten soll, absolute Nothwendigkeit bey sich führen müsse. Dass hiemit der Grund der Verbündlichkeit hier nicht in der Natur des Menschen, oder den Umständen in der Welt, darinn er gesetzt ist, gesucht werden müsse, sondern a priori lediglich in den Begriffen der reinen Vernunft.

**) Grundl. zur Methaph. der Sitten. Seit. 28. Wenn man dem Begriffe von Sittlichkeit nicht gar alle Wahrheit und Beziehung auf irgend ein mögliches Object bestreiten will, so kann man nicht in Abrede ziehen, dass sein Gesezt von so ausgebreiteter Bedeutung sey, dass es nicht bloss für Menschen, sondern alle vernünftige Wesen, nicht bloss unter zufälligen Bedingungen, und mit Ausnah-

nahmen, sondern schlechterdings nothwendig gelten müsse.

***) Ebend. Seite 40. Der categorische Imperativ, der die Handlung ohne Beziehung auf irgend eine Absicht, das ist, auch ohne irgend einen anderen Zweck für sich als objectiv nothwendig erklärt, gilt als apodictisch (practisches) Princip. Seite 95. Warum er nothwendig sey, ist eine Frage, deren Auflösung nimmer binnen den Grenzen der Metaphysik der Sitten liegt. Auch haben wir seine Wahrheit hier nicht behauptet, vielweniger vorgegeben, einen Beweis derselben in unserer Gewalt zu haben. Wir zeigten nur durch Entwikelung des einmal allgemein im Schwange gehenden Begriffes der Sittlichkeit &c.

§. 4. *Estne igitur lex moralis absoluta?* Respondeo

I. Negando suppositum kantianum, quod pro omni actu humano, de cujus moralitate judicari debet, ejusmodi lex præsto sit, qua is actus absolute imperatur, ita, ut ipsius legis causa & ratione fieri possit, debeatque. Est ea quidem lex generalis *negativa*, ne quid mali, contra fidem & conscientiam fiat. Dein alia generalis lex, ut quidvis ex fine honesto & consentaneo naturæ intelligenti fiat, ac ne circumstantiis vitietur actio. Sed ex his consequens non est, ut, quod a voluntate decernitur re ipsa, agiturque, id lege ipsa definitum, atque absolute præceptum sit. *Nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius.* Cicero lib. I. c. 3. de Offic. Multa sunt, quæ commendantur, suadenturque tanquam honestiora, & a viris probis suscipiuntur reipsa, nec tamen legis necessitati subjacent, ceu facta illustria

fortitudinis, clementiæ, liberalitatis, grati animi. Similiter ex Evangelii doctrina discimus, esse alium actum alio meliorem, statumque alterum altero perfectiorem, sic tamen, ut dici debeat: *præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* I. Cor. VII. 25. Fit etiam sæpenumero, ut rationis præcepta generalia sint, quibus satisfieri non uno modo potest, quin lex absolute definiat modum quempiam. Ita docente Kantio præceptum rationis est, ut homo facultates excolat a natura acceptas, nec eas torpescere, atque instar inculti agri desides jacere sinat; utrum vero agriculturæ applicare se quis debeat, an opificiis, artibus, scientiæ, militiæ, id lege definitum non est, sed fere ab hominum consilio, arbitrioque pendet. Errat igitur Kantius, cum doctrinam moralem alio incitamento non egere scribit, quam ipsa lege absolute præcipiente, cum quod a lege non proficiscitur, ita deficere ait ab honestate, ut is defectus nulla ratione alia compensari possit. *) Errat vehementer, cum propositionem hanc: quod necessarium (moraliter) idem bonum, honestumque est, perperam ita convertit: quod bonum, honestumque, idem & (moraliter) necessarium. **) Errat denique, dum consilia prudentiæ, & præcepta rationis, regulas practicas & leges morales sic discriminat inter sese, quasi non etiam in priora illa ratio moralitatis caderet. Est quidem alia prudentiæ, alia honesti, justique notio, ac vis; sed ab iis etiam, quæ prudenter atque utiliter geruntur, moralitas abesse non potest, atque adeo quibusvis consiliis prudentiæ, seu politicæ privatæ, publicæve prior esse justi atque injusti notitia debet.

*)

*) In der Vorrede über Religion innerhalb der Grenzen der reinen Vernunft: Die Moral bedarf keiner anderen Triebfeder, als des Gesetzes selbst. — Was nicht aus ihm entspringt, giebt keinen Ersatz für den Mangel seiner Moralität.

**) In der Grundl. Seite 36. Was die Vernunft, unabhängig von der Neigung, als practisch nothwendig, d. i. als gut erkennt. Seit 39. weil jedes practische Gesetz eine mögliche Handlung als gut, und darum für ein durch die Vernunft practisch bestimmbares Subject, als nothwendig vorstellt, &c.

§. 5. Quid autem, si pro dato casu lex moralis præsto sit, quæ actum imperet; eritne ea lex absoluta, nulli affixa conditioni? Respondeo

II. Vulgo dicitur: lex negativa obligat semper: at lex affirmativa involvit conditionem temporis, facultatis, virium, occasionis; cujusmodi est lex succurrendi iis, qui in periculo mortis versantur: lex opitulandi egentibus. Jus quidem absolutum & hypotheticum distinguunt omnes, pro vario nempe hominum statu naturali vel adventitio, quemadmodum mox indicabo. Si præcise, adcurateque, ut in disciplinis præscribitur, differendum est, lex moralis pro eo nempe casu, statuque rerum & personarum, quem respicit, obligat, præcipitque absolute; id quod distincte exponitur, cum de immutabilitate Juris naturalis disputatur. Depositum reddere, lex jubet absolute, sic tamen, ut, si *gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens: reddere peccatum sit; non reddere, officium. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddesn, depositum? Non credo: facies enim contra rempube*

 licam-

licam, quæ debet esse carissima. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus (ob mutatas circumstantias) *fiunt non honesta.* Cic. lib. 3. Offic. c. 25. Sed ex his nequaquam conficio, conditionatam esse naturæ legem, quæ jubet depositum reddere. Illud ausim contendere, recte sensisse, sed non recte locutos eos esse, qui cum ejusmodi casus respicerent, quorum uno valeret lex, altero non valeret, eam conditionatam appellarunt. At enim non ita generatim vim exerunt naturales leges, quemadmodum verbis generalibus exprimi a nobis solent: *depositum redde*; sed referuntur sane dictante ipsa ratione ad certas circumstantiarum complexiones; quæ etsi plurimum differant, non tamen differentibus vocabulis ob ipsam linguæ inopiam concipiuntur, unde fit, ut sæpe major vocum, quam rei controversia existat.

§. 6. Si igitur absolute præcipit moralis lex, pro casu nempe, ad quem unice referri debet, eritne ejus formula categorica, sive, ut kantiano barbarismo utar, ejus imperativus categoricus? Respondeo

III. Quia lex moralis fertur homini, qui libertate pollet, ratione regitur, & in tantis illecebris vitiorum, ac virtutis labore satis validis rationum momentis & obligationis vinculis adstringi ad legem debet, idcirco istius vim *absolutam* non tollit conditio ex ipsa humanæ naturæ conditione pendens, & cum lege, atque actione necessario connexa; qualis est hæc: si vis beatus esse post hanc vitam: aut nisi extremam miseriam velis incurrere. Manet ergo vis absoluta legis, etsi hac formula hypothetica exprimatur: *serva legem, si velis æternum beatus esse: abstine a sta-*

flagitiis, nisi extremos cruciatus subire velis. Istiusmodi conditiones & necessariæ sunt, & cum natura hominis connexæ, nec eas sana ratio contemnere potest. Profecto humanis etiam juribus declaratum habemus, per conditiones intrinsecas & necessarias dispositionem quamlibet non fieri proprie conditionatam, sed manere puram & absolutam. L. *Si pupillus.* 9. §. 1. D. de Novat. ibi: qui sub conditione stipulatur, quæ *omnimodo exstatura est*, *pure* videtur stipulari.

§. 7. Alterum, quod pro lege morali requirit Kantius, est, ne ea soli accomodetur naturæ humanæ, sed omni naturæ, quæ quidem ratione pollet, communis censeatur. *) At ego scire in primis vellem, quas naturas rationis participes designet criticus Philosophus, qui in critice sua negat, subesse cognitionibus nostris veritatem realem & objectivam, nisi eædem revocari ad experientiam possint. Quo igitur sensu notitiam hausit de naturis illis, in quas lex moralis cadere debeat? Rationis quidem solius vi objectum quodpiam, ejusve affectionem negat reperiri posse in ipsa Metaphysices fundatione. **) Voluntatem perfecte bonam, inde ut humanam, quæ talis non est, subjacere docet legi morali, sed quia eadem ob internam affectionem suam determinetur repræsentatione boni, obligationi & imperativis obnoxia non censetur: cujusmodi est divina, & quævis voluntas sancta; ***) qualis tribuitur beatis angelis consensu omnium, qui eorum notitiam acceperunt. Restant igitur dæmones. Hisne igitur communem esse vult moralem legem? ne scilicet mentiantur, & mendaciorum, hæresumque parentes sint: ne alter

alterum circumveniat promissis falsis, ne ipsi violentas sibi manus inferant, ne indigentes destituant, ut facultates naturales excolant, nec segniter negligant ; talia enim exempla affert Kantius, cûm suas de morali lege doctrinas illustrare conatur. Sed, inquit, quod a ratione proficiscitur, id omni naturæ, quæ ratione pollet, commune esse debet ; quasi vero, cum a ratione proficiscatur lex hæc: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Genes. IV. 7. Et *post concupiscentias tuas non eas.* Eccli. XVIII. 30. idcirco omnis natura, quæ ratione pollet, appetitui peccati, & concupiscentiæ subjaceret. Leges morales ex natura profluunt (utique complete spectata) atque ad naturam accomodatæ sunt penitus ; estque hæc generalis lex, ut convenienter naturæ quisque vivat, eamque approbabit omnis sana ratio, quæ inest etiam in natura plurimum discrepante ab hominum imbecillitate. Si nullam agnoscit Kantius moralem legem, nisi quæ communis sit omni naturæ rationali, quamtumvis ab humana differenti ; ac si totum rejicit, quod ex variis naturæ humanæ statibus derivatur, quam modica relinquetur legum moralium particula ? abjiciendum erit jus universum sociale privatum & publicum, utpote ex adventitio hominum statu dimanans, nec omnibus hominibus, nedum naturis ratione præditis commune.

*) Confer notam §. 3.

**) Seite 122. Da die Vernunft für sich allein weder ein Object des Willens, noch ein besonderes ihm zu Grund liegendes Gefühl ohne Erfahrung ausfindig machen kann.

***)

***) Grundl. der Metaph. Seite 39. Ein vollkommen guter Wille würde also eben sowohl unter objectiven Gesetzen (des Guten) stehen; aber nicht dadurch zu gesetzmäßigen Handlungen genöthigt vorgestellt werden können, weil er von selbst nach seiner subjectiven Beschaffenheit, nur durch die Vorstellung des Guten bestimmt werden kann. Daher gelten für einen heiligen Willen keine Imperativen.

§. 8. Restat proprietas tertia legi morali attributa a Kantio, ut ea *practice-apodictica* sit, & *apodictice necessaria*. Sed ut supra animadverti in §. 3. ejus necessitatis rationem a nobis comprehendi non posse ait, cumque in sua Metaphysices moralis fundatione animos legentium diu suspendisset, demum delusa ipsorum exspectatione ita concludit: usus theoreticus humanæ rationis, dum mundum contemplatur, ad agnoscendam absolutam necessitatem primæ supremæque rerum causæ nos deducit: usus vero ejusdem practicus in iis, quæ a libertate pendent, ad absolutam pariter necessitatem non operationum, sed legum operandi nos ducit, quibus natura quævis ratione prædita, uti talis est, obstringitur. — Sed sunt hæ necessariæ angustiæ, sive ut ait, essentialis limitatio rationis nostræ, ut neque necessitatem ejus, quod existit, aut fit, neque ejus, quod vi legum fieri oportet, perspicere queat, nisi data conditione quadam instar principii, sub qua quidpiam aut existit necessario, aut fit, aut fieri oportet. Hanc conditionem dum perpetuo inquirit ratio, nunquam acquiescere atque expleri potest. Quapropter non cessat exquirere necessitatem absolutam, quæ ulteriore conditione careat; cogiturque talem assumere, quin viam inveniat, modumve, quo illa comprehendi possit. *)

*) Grundl. Seite 127. Der speculative Gebrauch der Vernunft, in Ansehung der Natur, führt auf absolute Nothwendigkeit irgend einer obersten Ursache der Welt; der practische Gebrauch der Vernunft in Absicht auf Freyheit, führt auch auf absolute Nothwendigkeit, aber nur der Gesetze der Handlungen eines vernünftigen Wesens, als eines solchen. — — Es ist aber eine wesentliche Einschränkung eben derselben Vernunft, dass sie weder die Nothwendigkeit dessen, was da ist, oder was geschieht, noch dessen, was geschehen soll, einsehen kann, wenn nicht eine Bedingung, unter der es da ist, oder geschieht, oder geschehen soll, zum Grunde gelegt wird. Auf diese Weise aber wird durch die beständige Nachfrage nach der Bedingung, die Befriedigung der Vernunft nur immer weiter aufgeschoben. Daher sucht sie rastlos das Unbedingtnothwendige, und sieht sich genöthigt, es anzunehmen, ohne irgend ein Mittel, es sich begreiflich zu machen.

§. 9. Ad id nunc, quod Kantius ait, comprehendi a nobis haud posse necessitatem absolutam ejus, quod existit, aut fit, aut fieri per leges debet, generatim primo respondebo cum Lactantio, qui libro III. Institutionum divinarum de falsa sapientia Philosophorum c. 6. in hunc modum scripsit contra Academicos & Physicos. „Nusquamne igitur sapientia est? imo vero inter ipsos fuit, sed nemo vidit. Alii putaverunt, sciri posse omnia; hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil; ne hi quidem sapientes fuerunt: illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus: utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? ut neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquod medium, quod sit homi-

„minis, id eſt, ſcientia cum ignoratione conjuncta „& temperata. — — Academici contra Phyſicos „ex rebus obſcuris argumentati ſunt, nullam eſſe „ſcientiam, & exemplis paucarum rerum incompre- „henſibilium contenti, amplexi ſunt ignorantiam; „tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in par- „te ſuſtulerant. Phyſici contra ex iis, quæ aper- „ta ſunt, argumentum trahebant, omnia ſciri poſ- „ſe, contentique perſpicuis, retinebant ſcientiam; „tanquam totam defendiſſent, quia ex parte defen- „derant. Itaque neque hi clara, neque illi obſcu- „ra viderunt: ſed utrique, dum ſolam ſcientiam „conſertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non „viderunt, in medio conſtitutam fore, quæ illos ad „ſapientiam transmitteret.“

§. 10. His univerſe prænotatis haud ægre ſa-tisfaciam objectis Kantii, niſi quis ſceptica perver-ſitate lucem ſtudio reſpuat, & titubare velit inſtar ebrii, cum ſiccus ſit, & firmo talo poſſit inſiſtere. Si de neceſſitate agitur, ait Kantius, conditionem exquirit ratio, cur quippiam ſit, aut fiat, aut fie-ri debeat. Reſpondeo diſt. Quando id, de cujus neceſſitate quæritur, in ſe aut per ſe ſe non con-tinet rationem ſufficientem, cur ſit, aut eſſe de-beat c. Secus n. Poſſibilitas quidem, & eſſentia rerum eſt ipſa ratio formalis earundem, uti veteres ſcholaſtici loquebantur; eaque poſita, jam ratio ultra progredi non poteſt; quia quodlibet eſt, quod eſt; & *neceſſario* quidem eſt, quod eſt. Unde eſ-ſentiæ rerum neceſſariæ, immutabiles, æternæ di-cuntur. Exiſtentia cauſæ primæ, etſi ea ſecundum eſſentiæ plenitudinem, & infinitam veluti abyſſum comprehendi a nobis haud poſſit; tamen quia con-tin-

tingens non eſt, nec eſſe poteſt, eo ipſo, quod omnium contingentium in ſe rationem contineat: quia eſt Ens a ſe, plenamque exiſtendi rationem in ipſa eſſentia & poſſibilitate ſua habet, ita per ſe neceſſaria intelligitur, ut hac quidem ex parte penitiſſime acquieſcat, expleaturque noſtra ratio, nec abſolutam illam neceſſitatem quaſi per hypotheſin, aut deſperatione veritatis aliter inveniendæ aſſumit (quemadmodum indicare videtur Kantius) uti nemo, qui quidem ſana mente ſit, ſe hominem idealem tantum & hypotheticum cogitare poteſt. Sane qui ratione utitur, a ſua ipſius exiſtentia, quæ contingens eſt quidem, cuivis tamen metaphyſice explorata certaque, facili labore trium duntaxat idearum ope ad abſolutam exiſtentiam cauſæ primæ ſupremæque perducitur. Eſt enim 1. ens, quod productum eſt, non producens (quia ultimum ſumitur in ſerie) 2. Eſt dein, quod productum eſt, & producens. 3. Eſt denique, quod producens, ſed nullo pacto productum eſt, verum a ſe exiſtit neceſſario. Aliæ omnes ideæ, quæ inſunt in ejusmodi entibus, vel ineſſe poſſunt, retentis tribus illis, abjiciuntur, nec ad rem pertinent perinde, ut in geometria retentis ideis extenſionis in longum, in longum & latum, in longum, latum & profundum, ceteræ ideæ denſitatis, raritatis, coloris &c. animo ſegregantur. Similiter rerum omnium mutabilium ſumitur ſtatus quidam præſens & ultimus, a quo alius poſterior non pendet, ſed qui pendet a priore, dein ſtatus medius, qui & ab alio pendet, & a quo pendet alius, denique ſtatus primus, a quo alius pendet poſterior, ſed qui non a priori ſtatu quodam pendet, verum a cauſa extrinſeca & prima definitus eſt. Falſum igitur eſt, quod Kantius

tius ait, absolutam necessitatem comprehendi a nobis haudquaquam posse, aut quadam tantum hypothesi assumi.

§. 11. De necessitate legis moralis plura sunt, quæ distingui oportet diligenter, quæque confusa & intacta sunt relicta a Kantio. Multiplex enim in hoc genere necessitas exquiri, & investigari potest. Ac

I. Judicia rationis practicæ, quæ legem moralem exhibent e.g. *nefas est mentiri*, *insontem occidere: necesse est, egenti subvenire, facultates naturæ excolere &c.* sunt pronuntiata veritatis æternæ & necessariæ, sive ut Logici differunt, propositiones in materia necessaria. Sed unde provenit, aut concludi debet ista necessitas?

Resp. Omnia judicia rationis practicæ pertinentia ad regendas actiones, quatenus morales sunt, imo quævis alia dictata practicæ rationis, quæ a Kantio nuncupantur *Imperativi technici & pragmatici*, sive regulæ dexteritatis, artisve, aut consilia prudentiæ, non aliam habent originem, neque aliam vim, nisi ex ratione theoretica, ita ut propositio quævis practica, quæ enuntiat, quid fieri a nobis honeste & jure possit, aut debeat, solum ob necessarium nexum cum theoreticis in materia necessaria constituatur; quod pluribus verbis explicari hoc loco non debet.

II. Unde fit, ut talia judicia in homine rationis compote, neque repentina perturbatione prævento oboriantur necessario, ac invitis etiam obversentur, præsertim cum agere contra legem cogitant?

Resp.

Resp. Cum poſt primam infantiam ratio humana paulatim efflorefcit, fit deinceps ipſo uſu vitæ, ut homo iſtiusmodi veritates perſpiciat, menteque conceptas teneat, quin data opera iis inveniendis incumbat. Certe iſtiusmodi judicia ſenſus communis de honeſto, turpi, conceſſo, vetito, recto & pravo libera non ſunt, ſed a ratione proveniunt neceſſario, atque idcirco *naturæ voces* a veteribus ſunt dictæ. Tota expoſitio eo referenda eſt, quod de ortu & progreſſu cognitionis humanæ diſputari ſolet.

III. Judicia rationis humanæ de exiſtentia legis, aut facultate morali nequaquam lex ſunt (ſenſu proprio) aut facultas a natura conceſſa. Illa enim judicia ad intellectum & rationem pertinent: lex ad voluntatem: de illis quæritur, verane ſint, an falſa: de hac, utrum juſta, honeſta, utilis. Ac oſtendemus, quantumvis reſiſtat Kantius, legem moralem in voluntate ſummi creatoris, æternique gubernatoris Dei ſitam eſſe. Sed, cum ea ſit, diciturque voluntas Dei *neceſſaria*, quæſtio exiſtit, quid ſit id, quod ſummo Deo neceſſitatem impoſuerit, præſcribendi, ſanciendique iſtiusmodi leges naturæ hominis conſentaneas; ejusque neceſſitatis ratio ex divinis ipſis perfectionibus, & hypotheſi creationis rerum, quæ in liberrima fuit poteſtate Dei, facile intelligitur.

IV. Alia exoritur *neceſſitatis* quæſtio, quando lex moralis *ſubjective* ſpectatur, uti in homine tanquam ſubjecto vi naturæ ineſt neceſſario, ita ut diſtingui debeant alii actus, qui dicuntur *naturales*, qui mechanica ſtructura corporis organici proveniunt,

niunt, nec ad mores pertinent, quales sunt respiratio, circulatio sanguinis: alii actus *hominis* recepta in disciplinis denominatione, qui ab homine vi cogitandi, atque appetendi prædito, sine advertentia rationis ad regulam honestatis, & absque deliberatione proveniunt, cujusmodi sunt motus primo-primi, & indeliberatæ commotiones appetitus sensitivi: denique alii *actus humani*, qui fiunt cum advertentia rationis ad regulam morum, sive ad id, quod honestum, præceptum, vetitum, vel natura concessum est. Unde est ergo illa necessitas, ob quam homo legi morali subjacet, sic ut in ejus actus humanos cadat imputatio tum facti tum juris, ad laudem scilicet vel reprehensionem, præmium aut pœnam proprie dictam? Ac responderi debet, esse hanc proprietatem, quæ ex natura hominis ratione ac libertate præditi, perinde ut alia rerum attributa ex essentia earundem, tanquam rationatum ex ratione sufficiente dimanat, ut adeo ex ipso statu physico hominis complete sumto status moralis necessario consequatur. *Non illa parva vis naturæ est, rationisque* (Cicero de offic. lib. 1. c. 4.) *quod hoc unum animal* (homo) *sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat; in factis dictisque, qui modus. Itaque eorum ipsorum, quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem constantiam, ordinem in consiliis, factisque conservandum putat, cavetque, ne quid indecore, effeminateve faciat: tum in omnibus & opinionibus & factis nequid libidinose aut faciat, aut cogitet, quibus ex rebus conflatur & efficitur id, quod quærimus, honestum.*

Sed addere debuerat Cicero : hoc unum animal eſt, quod de Deo cogitat, ejusque æternitate, de animorum origine & immortalitate, de fine creatarum rerum & hominis, cujus commodo creata ſunt omnia, de caducitate bonorum corporis & fortunæ : quod a Deo tanquam unico & inexhauſto fonte derivat totum id, quod eſſe ſe, quod habere, quod poſſe etiam habere intelligit : quod temporalia bona omnia facile contemni a ſe poſſe videt, ut infinito ac ſempiterno bono cognoſcendo, amandoque fruatur. Talis cum ſit natura hominis, non poteſt non legi morali ſubjacere, ſi modo complete ſumatur natura illa, neque præcipua ſui parte, qua ad Deum refertur, mutilata.

V. Supereſt aliud, ac præcipuum quidem neceſſitatis genus, quod in lege morali ineſt, qua nempe homo ratione pollens ac voluntate nulli coactioni obnoxia, tanquam vinculo ſatis valido, ſed naturæ accommodato, proindeque ſalva libertate ita adſtringatur ad legem, ut eam omnibus contrariis incitamentis, illecebris, & quibusvis propoſitis bonis malisque, ipſi etiam mortali vitæ præferat. Ac in tali neceſſitate ipſa legis vis & obligatio ſita eſt, nec ea repeti aliunde poteſt, quam a voluntate Dei, creatoris, ſupremique legislatoris, qui propoſitis præmiis ac ſuppliciis, præſertim futuræ vitæ, prohibet ea, quæ naturæ hominis, ejusque finibus repugnant, quoad divinas ipſas perfectiones attingunt; ac contra præcipit, quæ ad eos conſequendos fines ita ſunt neceſſaria, ut iis prætermiſſis tolli divina perfectio videatur. Satis hoc quidem loco (frequens enim erit opportunitas) de neceſſitate legis moralis, tanquam re graviſſima, & univerſe de ejus proprietatibus contra Kantium diſputaſſe videor.

CA-

CAPUT III.

INCONSTANTIA KANTII IN DESIGNANDO PRINCIPIO LEGIS MORALIS: ANCEPS DISTINCTIO INTER LEGEM ET REGULAM, SEU PRINCIPIUM OBJECTIVUM, ET SUBJECTIVUM: DEDUCTIO PRINCIPII MORALIS.

§. 12. Confilium, quod cepit Kantius, fundandæ Metaphyfices moralis, totum eo fpectare docet, ut fupremum moralitatis (virtutis & honeftatis) principium inquiratur a fe, conftituaturque. *) Sed contigit fortaffis non advertenti, ut alio atque alio fignificatu acciperet principii vocem; quæ inconftantia perturbat lectorem, magnisque tenebris implicat. Nunc enim principium denotat id, quod voluntas legi obtemperans pro motivo, vel ut ajunt, pro objecto formali affumere debet, ftatuiturque, legem folius legis caufa, ejusque reverentia & obfervantia fequendam effe. Dein poft paulo non jam id fignificat principium, quo voluntas, fed quo lex ipfa determinatur, cognofciturque rationis vi, ut fcilicet id pro conceffo, præcepto, vetito habeamus, quod velle poffumus, ut omnibus pariter conceffum, præceptum, vetitum fit. Denique eo refertur principii vox, ut vim, ac virtutem legis exprimat, qua voluntas libera & contrariis affecta appetitionibus ad eandem adftringatur, atque in officio contineatur; idque in dignitate naturæ humanæ, qua fibi quæque, & aliis naturis ratione præditis leges fert univerfales, & in prærogativa, qua homo rerum aliarum ipfe finis fit, denique in eminenti ordine illo, quo is in naturarum intelligentium claffe conftituitur, fitum effe vult Kantius.

*) In der Vorrede: Gegenwärtige Grundlegung ist nichts mehr, als die Auffuchung und Festsetzung des obersten Princips der Moralität, welche allein ein, in seiner Absicht, ganzes und von aller anderen sittlichen Untersuchung abzusondernedes Geschäft ausmacht.

§. 13. Aeque anceps distinctio est inter legem, & regulam operandi (die Maxime). *Lex*, aut *lex practica*, seu *principium objectivum* est, secundum quod homo & quævis natura rationis particeps operari debet, & operaretur reipsa, si ratio plene dominaretur appetitui. At *regula*, *regula practica* vel *principium subjectivum* est, secundum quod, sive ex quo operatur homo, idque determinatur per rationem convenienter affectioni, inclinationi, aliquando etiam ignorantiæ subjecti operantis. *) Regula quidem moralitatis objectiva & formalis vel *subjectiva* passim distinguitur in disciplinis moralibus; tum quod objectiva referatur ad voluntatem Dei, in qua lex sita est reipsa: subjectiva ad judicium rationis legem exhibens, uti in homine inest, tanquam in subjecto; tum quod lex vel regula objectiva nuncupetur ea, quæ actionem in se, sive ex objecto suo, nulla habita ratione intentionis, consilii, finis, aut circumstantiarum, bonam, malam indifferentem, id est præceptam, vetitam, concessam exhibet. Ejusmodi lex perinde inest in omnibus, qui ratione utuntur. Quid ergo singulare habet principium subjectivum, sive *regula*, quam vocat Kantius? Respondeo, etsi omnes pariter cognoscant, quid præceptum, vetitum, concessum sitdato casu; tamen diversæ sunt in diversis, qui operantur, animorum affectiones, quando legem observant aut, transgrediuntur, aut quando mera facul-

facultate utuntur per naturam conceſſa: diverſa itidem ſunt motiva ſeu rationes formales, ob quas agunt: diverſæ intentiones ſeu conſilia aut propoſiti fines. Denique circumſtantiæ, quæ ex parte actus ſe tenent, admodum diverſæ ſunt, nempe clarior aut minus clara cognitio honeſtatis aut turpitudinis actionum, varia efficacitas voluntatis, varia intenſio, duratio actus, varius concurſus phantaſiæ ex memoria actuum præteritorum. Recte ergo diſtinguitur *lex vel regula objectiva* exhibens actionem in ſe cum circumſtantiis ad ipſam actionem & objectum pertinentibus: ac *regula ſubjectiva*, quæ affectiones operantis, conſilia & fines agendi complectitur; eſtque recepta ab omnibus doctrina, moralitatem complete ſumtam ex objecto, & ex fine, & ex circumſtantiis dijudicandam eſſe. At Kantius quæ uno loco diſtinguit, altero confundit. Sic pag. 13. in fundatione Metaphyſices moralis ait: decus & laus actionis non ex conſilio & intentione aut propoſito fine quidpiam conſequendi pendet, ſed ex *regula*, qua decernitur actio. **) Atqui intentio, & conſilium, quidpiam aſſequendi per actionem non ad legem objectivam ſpectat; quomodo ergo laus actionis non ex conſilio & intentione agentis metienda eſt, ſed ex regula; ſi conſilia & intentiones agentium in regula & principio ſubjectivo continentur, eoque unice referenda ſunt? Simili inconſtantia pag. 37. ib. ait: Repræſentatio legis objectivæ, quæ obligationem continet, eſt præceptum rationis: formula talis præcepti Imperativus. Hic ergo aliud non exprimit, niſi legem objectivam. Poſtea dein pag. 51. docet, imperativum præter legem etiam neceſſita-

 tem

tem regulæ complecti, convenienter eidem legi operandi. ***)

*) Grundl. Seite 51. Maxime, ist das subjective Princip zu handeln, und muss vom objectiven Princip, nämlich dem practischen Gesetze unterschieden werden. Jene enthält die practische Regel, welche die Vernunft den Bedingungen des Subjects gemäss (öfters der Unwissenheit oder auch den Neigungen desselben) bestimmt, und ist also der Grundsatz, nach welchem das Subject handelt; das Gesetz aber ist das objective Princip, gültig für jedes vernünftige Wesen, und der Grundsatz, nach dem es handeln soll, d. i. der Imperativ.

**) Ebendas. Seite 13. Eine Handlung aus Pflicht hat ihren moralischen Werth nicht in der Absicht, welche dadurch erreicht werden soll, sondern in der Maxime, nach der sie beschlossen wird.

***) Der Imperativ enthält ausser dem Gesetze nur die Nothwendigkeit der Maxime, diesem Gesetze gemäss zu seyn.

§. 14. Principium igitur legis moralis perquisiturus Kantius his veluti gradibus procedit.

a) Voluntas bona sola est in mundo, quæ vere nuncupari bonum potest, non id quidem *unicum & perfectum* (nam exspectari beatitas potest cum dignitate voluntatis conjungenda aliquando) sed tamen *summum* bonum, quo uno tanquam necessaria conditione dignum beatitate se præbet homo. Cæteræ, inquit, animi corporisque dotes, aut quæ vocamus fortunæ bona, ipsa etiam vitæ prosperitas, absolute bona non sunt, imo pessima existimari debent, nisi bona sit voluntas, quæ illis utitur. *)

b)

b) Eſt autem *voluntas bona*, quæ abſolute adhæret legi citra ullam conditionem inclinationis animi, commodi, felicitatis, reive ullius, quam agendo quis ſpectat inſtar propoſiti finis, aut per actionem efficit, obtinetque reipſa. In actione morali ratio movens non *materia* illius ſeu objectum eſſe debet, ſed *forma* legis, id eſt, conformitas ejusdem cum lege. (Die Geſetzmaſsigkeit **)

c) Ex his effici, ait, ut officium (die Pflicht) aliud non ſit, niſi neceſſitas moralis agendi ex pura reverentia ſeu obſervantia legis; (aus Achtung) ut adeo moralis actio, quæ nempe fit ex officio, nequaquam ex certo propoſito fine aut effectu, nec ex animi inclinatione, nec ex rei, quæ agendo perficitur, magnitudine vel præſtantia, ſed ex ſola voluntate aut principio agendi *ſubjectivo*, dijudicanda ſit, id eſt, ex regula, quæ in agente tanquam ſubjecto ineſt, eumque permovet, ut in ſe ac per ſe bona ejus ſit voluntas.

d) Hæc de morali bonitate judicandi norma patet omnibus, & lucet ipſa per ſe, quamvis eam diſertis verbis exprimere non ſoleant homines; qui proinde nulla virtutis inſtitutione videntur egere, ſed admonendi ſunt tantum, ut hoc rationis ſuæ præceptum ſequantur, ſi bene, ſi honeſte, ſi ſapienter atque ex virtute velint vivere.

*) Eingang der Grundleg. Es iſt überall nichts in der Welt, ja überhaupt auch auſser derſelben zu denken möglich, was ohne Einſchränkung für gut könnte gehalten werden, als allein ein guter Wille.

**) Ebendas. Seite 15. Es kann daher nichts anders, als die Vorstellung des Gesetzes an sich selbst, die freylich nur in vernünftigen Wesen statt findet, so fern sie, nicht aber die verhoffte Wirkung, der Bestimmungsgrund des Willens ist, das so vorzügliche Gute, welches wir sittlich nennen, ausmachen.

§. 15. Hæc doctrinæ deductio palam facit, *principii* nomine designari hoc loco aut *vim legis*, qua sola adversus omnes sensuum illecebras, difficultates virtutis, perturbationum contrarios impetus voluntas in officio contineatur, nempe legis æstimatione, observantia, reverentiaque, quæ præponderari omnibus contrariis incitamentis debeat; qua de re infra disseram; aut potius *motivum aut objectum formale* actionis moralis, quæ nulla alia ex causa, nulla ratione movente, nullo alio fine obiri debeat, nisi quia lege proposita est. Non ergo hoc loco principium inveniendi, cognoscendique officii aut moralis legis in mente habuit Kantius; antequam enim legem legis causa sequamur, necesse est, ut eam exquiramus ratione, forte ex natura hominis, ejusque finibus. Similiter Stoicum loquentem inducit Cicero lib. 2. de Finib. c. 22. *id volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium.* Sed ut idem dein animadvertit, officii inveniendi causa ipsos etiam Stoicos ad naturam reverti debuisse. Ib. lib. IV. c. 17. Hisce animadversis tria nunc disquirenda sunt: *Primo.* Quæ sit ex mente Kantii voluntas bona? *Secundo.* Eane summum bonum contineat? *Tertio.* Officii notio rectene a Kantio definita fuerit?

CA-

Caput III.

Voluntas bona, quae sit ex mente Kantii.

§. 16. Voluntas bona, inquit, & bona quidem ſimpliciter ea eſt, quæ abſolute adhæret, paretque legi. *) Ita Stoici virtutem in voluntate conſtante ac perpetua collocarunt ſequendi id, quod honeſtum eſt, ut virtus ſe ipſa contenta aliud omnino nihil ſpectet. Si honeſtatem proponeret Kantius, quæ in rebus omnibus proſequendis, fugiendisve, quæ in propoſitis finibus & conſiliis agendi, quæ in ſuſcipiendis laboribus quidpiam nanciſcendi aut efficiendi per actionem ſpectari debet, ac per ſe intendi, ut loquuntur doctores rei moralis; diceret ſane, quod nemo non aſſentiretur; ſed id novum minime foret. Nunc vero, cum ab actione morali & ipſum objectum, & finem agenti propoſitum excludit, ipſam actionem humanam tollit, quæ ex objecto ejusque adjunctis, & ex finibus tum intrinſecis, tum ab agente aſſumtis unice pendet, judicarique poteſt. Cum præterea non generatim *honeſtatem*, ſed *legem* nominat, cui ſcilicet vera obligatio, agendique neceſſitas eſt adjuncta, tollit maxima quidem parte virtutem, quam confirmare vult. Nam, quæ plurimum commendantur, fortitudinis, clementiæ, liberalitatis facta nulla fere legis neceſſitate ſolent edi, virtutisque conſilia, non præcepta ſunt.

*) Ein dem Geſetze unbedingt gehorchender Wille. — Der gute Wille iſt nicht durch Das, was er bewirkt, oder ausrichtet; nicht durch ſeine Tauglichkeit zu Erreichung irgend eines vorge-

setzten Zweckes, sondern allein durch das Wollen, d. i. an sich gut, und für sich selbst betrachtet. Seite 3.

§. 17. Sed excutienda sunt exempla, quibus Kantius declarare vult id, quod de officio voluntate bona, atque ex observantia legis implendo docuit. Mercator, inquit, æquo pretio vendit merces, cavetque, ne imperito etiam & infanti emtori justo carius vendat: non propensione quadam voluntatis in emtores; quod in hoc genere hominum sumi non potest, sed videlicet, ut famæ & nomini suo consulat; quippe audire vult, bene apud se emi; at vero, si ita affectus est animo, non officium explet, sed propriæ utilitati studet. Respondeo. Utilitas *propria* in deteriorem partem solet accipi, rectoque *sui amori*, & justo sibimet providendi studio opponitur. Quid igitur sibi vult Stoicus noster? Mercimonia exercere, justoque comparato lucro sustentare vitam suam, familiæque, & civilia ferre onera, contra mores bonos, officiumque esse dicet? Id si affirmare non audet, illud honestati censebit adversum, ut mercator viri boni justique nomen comparet, eaque re attrahat emtores, certe non absterreat, ut neminem circumveniat emtorem, ne imperitum quidem. Hæc scilicet erit labes propriæ utilitatis? atque ita omnes opifices, artifices, famuli, agricolæ ab honestatis laude perpetuo erunt excludendi, tanquam ignominiosæ servituti utilitatis propriæ addicti.

§. 18. Aliud, quod profert exemplum, hujusmodi est. Ut vitæ conservandæ studeamus, officii est; atque in hoc ipsum vehementer propendemus omnes. Neque vero laudabilis est solicitudo

do anxia, qua valetudinem plerique curant. At, ſi res adverſa, & incumbentes calamitates & ſpem melioris fortunæ & vitæ amorem eripuerunt, tum vero ſiquis tam forti eſt animo, ut mortem exoptet quidem, at vitam, quam minime amat, tamen ſuſtentet, toleretque non afflicto abjectoque animo, nulla propenſione voluntatis, nullo mortis timore, tum, inquit, ſtudium conſervandæ vitæ laudem virtutis habet. Simile eſt, quod ſubjungit. Benefacere aliis bonitate naturæ & commiſeratione, quid in hoc præclarum eſt, & admiratione dignum? At ſi homo tam bonus & facilis gravibus ipſe ærumnis premitur, ſi alienas calamitates aut non perſentiſcit magnopere, aut, cum ipſe patienter ferat fortunam, ſimiliter ferri & poſſe & debere ab aliis ſibi perſuadeat: facultate tamen polleat opitulandi miſeris; tum profecto, ſi detracta omni propenſione hanc ſuam velut ἀναισθησίαν ita vincat, ut officio beneficientiæ minime deſit: multo illuſtrior emicabit virtus, quam ſiquis facilitate indolis, naturæque bonitate faceret bene.

§. 19. Hæc quidem apathiam ſtoicam vehementer olent, qui negant ſapientem miſereri oportere; *quippe qui falſæ virtutis ſpecie capti* (ut ait Lactantius lib. VI. div. inſtit. c. 10.) *miſericordiam de homine ſuſtulerunt, & dum volunt ſanare, vitiaverunt. Et cum iidem plerumque fateantur, ſocietatis humanæ conditionem eſſe retinendam, ab ea plane ſeipſos inhumanæ ſuæ virtutis rigore diſſociant.* Et c. 14. *Si in homine præclarum & excellens eſt bonum miſericordia, idque divinis teſtimoniis, & bonorum malorumque conſenſu optimum judicatur: apparet, philoſophos longe abfuiſſe ab humano*

no bono, qui neque præceperunt ejusmodi quidquam, neque fecerunt; sed virtutem, quæ in homine propemodum singularis est, pro vitio semper habuerunt. Si virtutis decus, officiique vim sola animi ad bonum malumque æquabilitate, aut contraria omnino ad vitium propensione metiri cogimur, admonendi erunt officiorum cultores, studiosique virtutum, ne agere ex virtute, ipsa colenda virtute assuescant. Istiusmodi enim assuetudo id efficeret, ut proclivi animo, ut facile & cito, ut citra repugnantiam laboremque officia tueantur. Illud non stoicum modo, sed honestati plane contrarium est, quod amorem hominis in hominem non *pathologicum* cum animi affectione, commotioneque conjunctum, sed *practicum* tantummodo esse præceptum docet; quia, ut ait, animorum propensiones in hominis potestate non sunt; quod quidem a vero abhorret longissime; cum mens nostra propensionibus, motibusque suis rationis vi aut cohibendis, aut excitandis præsideat tanquam gubernatrix, iisque imperet. Amor, inquit, in voluntate consistit, non in sensu, in principiis rationis, non ægritudine, qua alienam miseriam collacrimemus. Ita cum neget, alienis casibus diffluere nos debere, & velut feminea imbecillitate frangi ac tabescere; eo progreditur, ut affectionem omnem excludat, solumque poscat externum opus. Est hoc familiare sophisma Kantii, ut duo ponat plane contraria, eorumque uno rejecto, quod facile concedent omnes, alterum assumat, tanquam nihil inter ea medium esset. Ita supra, cum anxiam vitæ tuendæ solicitudinem improbasset, continuo omnem plane naturæ propensionem a studio conservandæ vitæ removendam infert; nec uno loco

inter

inter id, quod rationi consentaneum est quoquo modo, & inter sensuum appetitiones nulli rei mediæ, pariter honestæ aut honestiori dat locum, quasi sic concluderem: non est album; ergo est nigrum. *) Dein quis non majore in pretio habet benefacta, quæ promte, quæ animo benevolo, quæ cum testificatione amoris aut commiserationis, quam quæ frigide, quæ duriter, sine ulla mentis teneritudine impenduntur? Sane sympathiam nobis ingeneravit natura, quæ, nisi quid obstet, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus nos monet; ac Doctor gentium hortatur Corinthios suos, ut indigentibus largiantur animo volente, *non ex tristitia, & necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* II. Cor. IX. 7. vult itidem Romanos suos *præesse in solicitudine, misereri in hilaritate.* Rom. XII. 8. Si anxia solicitudo conservandæ vitæ, quæ hominem sanum medice cogit vivere, & a labore retrahit, in vitio est; non continuo justæ moderatæque propensioni, qua incolumitati nostræ consulimus, obniti ac refragari cogimur, ut sola legis observantia in causa sit, ne violentas nobis manus inferamus. Qui egestatem parentum & miseratur & sublevat, duplicis virtutis laudem habet, & misericordiæ & pietatis. Si autem ob solam rationem reverentiamque legis agenda sint omnia, fugiendave, virtutum differentia, ac velut universus earum chorus tollitur. Sed innumerabilia sunt, quibus kantiana hæc philosophia reprehendi, confutarique potest.

*) In Ecclesia quidem catholica, quæ divino spiritu regitur, tanquam damnatæ habentur theses hæ, ab Innocentio P. XI. proscriptæ, n. 10. Non tenemur proximum diligere actu interno formali. n. 11.

Præ-

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Sed aliter sacras scripturas interpretatur Kantius in der Grundleg. Seite 13, So sind ohne Zweifel auch die Schriftstellen zu verstehen, darinn gebothen wird, seinen Nächsten, selbst unsern Feind zu lieben. Denn Liebe aus Neigung kann nicht gebothen werden, aber Wohlthun aus Pflicht, selbst wenn dazu gleich keine Neigung treibt, ja gar natürliche und unbezwingliche Abneigung widersteht, ist practische, und nicht pathologische Liebe, die im Willen liegt, und nicht im Hange der Empfindung, in Grundsätzen der Handlung, und nicht schmelzender Theilnehmung; jene aber allein kann gebothen werden.

§. 20. Ut bona sit voluntas, omnia agendi incitamenta, rationesque eidem se abstulisse ait Kantius, sola relicta observantia legis. Sed quæro, quo jure ademerit, quam vere, & convenienter principiis morum? Quid? si hominem ex homine sustulerit tali modo, novumque ementitus sit naturæ genus, quod non extat omnino, nec unquam extitit? Est hoc proprium humanæ naturæ, ut prælucente rerum cognitione, propositisque finibus ipse se homo in fines agat; cum res aliæ expertes rationis agantur in fines naturæ necessitate, aut impulsibus externis: naturæ autem, quæ ratione regitur, res quæpiam, sive ut Kantius vocat, *materia* cognitionis appetitionisque primo objicitur; atque in hoc ipso objecto, quatenus attingitur per actionem, inest honestas vel turpitudo, ex qua actionis lex elucet: & virtutis, vitiique differentia repetitur. Est enim alia atque alia virtus, si voluntas bona sit, recteque affecta erga Deum & superos, erga patriam & parentes, erga homines alios, amicos, indigentes, exteros: aliud item delictum, si alie-

nam

nam bestiam ex petulantia necaverit, aliud si hominem, si patrem, si Principem, si latronem. Similiter ex objecto distinguuntur furtum, sacrilegium, peculatus. Magnopere dein ad laudem, vel reprehensionem, ad virtutem, vitiumque interest, quo proposito fine, quo animo consilioque fecerit quis, dixerit, prætermiserit. At, inquit, virtus non ex eventu metienda est, neque ex eo, quod agendo effecerit, sed ex voluntate; illa extra hominem sunt: hæc in animo sedem habet & domicilium. Respondeo: sint illa, quæ agendo efficiuntur, plane externa; at consilium, finisque propositus eadem efficiendi, actionisque ad eadem efficienda accommodatio insunt profecto in ipsa actione, eamque intrinsecus constituunt, eamque bonam malamve, laude vel reprehensione dignam reddunt, quod dudum animadvertit S. Thomas admirabili vir ingenio, ac sapientiæ magister, qui 1. 2. Q. 18. Art. 4. ad 2. in hunc modum scripsit: *Quamvis sit causa extrinseca* (quæ *finalis* nuncupatur) *tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inhæret actioni.* Et ibidem Art. 2. ad 3. *quamvis bonitas actionis non causetur ex bonitate effectus; tamen ex hoc dicitur actio bona, quod bonum effectum inducere potest: & ita ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius.* Quis hominum, si compos sit mentis, sic operatur, quemadmodum Kantius vult, ut nec objectum actionis, neque propositum finem quempiam, effectumve spectet agendo, sed solam legem, nempe *formam* ut ait, non *materiam.* At hoc quidem modo, cum actionum forma hæc eadem sit perpetuo, recoctum habebimus Stoicorum errorem: *omnia peccata æqualia sunt:*

om-

omnes virtutes pares. De qua re Cicero in Paradoxis n. 3.

§. 21. In præfatione libri, quem *de religione intra limites rationis puræ* inscripsit, eadem disserit Kantius de absoluta voluntatis ad legem adhæsione, ut bona sit, & officium recte colat. Homo nauci est, inquit, qui legitime interrogatus a judice, aliis præter legem incitamentis eget, ut verum fateatur, aut quando depositum reposcitur, non ipsa necessitate legis permovetur, ut reddat. Hæc quidem tam callide excogitata sunt, ut facile quemvis assentientem habiturus videatur Kantius. Sed expendat, obsecro, lector, neminem ita depravatum natura aut moribus esse, qui, cum nulla ab officio retrahit commodi spes, nullus incommodi metus, non id aliquando observaturus sit. Si interrogatus a judice testis non habeat, quod confessione veri aut timeat aut speret, & simili conditione sit is, qui rogatur depositum restituere, haud dubie officiosus erit uterque. Quid autem? si, quem judex interrogat, fatendo quod res est, incidere in maximas calamitates, & privari fortunis omnibus cogatur: si, qui depositum est redditurus, ipse in suspicionem criminis incurrat? num ita promte ob solam legis aut honestatis cogitationem parebunt? Interrogabant crudelissimi judices præsidesque pios Christi cultores de professione cultuque numinis: expromebant immania supplicia, tormentaque in eos, qui se Christum Deum colere confitebantur; nulla tum scilicet alia cogitatione se armare debebant, quam parendum esse judici legitime interroganti; aut, siquid aliud præter legis necessitatem induxissent

ſent in animum, bonam ſcilicet voluntatem amiſiſſent? *Pone ergo* (appoſite commentatur S. Ambroſius in Pſal. 118. Octonario 21.) *martyrem inter pericula conſtitutum, cum inde immanitas beſtiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde ſtridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exæſtuet; ex parte alia perſonent tractus gravium catenarum, hinc carnifex cruentus adſiſtat: pone, inquam, circumſpectantem omnia plena ſuppliciis: deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis ærumnam, trepidare corde, ne, dum præſentibus cedat, perpetuis ſe dedat exitiis; perturbari animo, dum futuri judicii rhomphæam illam terribilem, quadam conſpectus ſpecie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri conſtantis, æqualis in eundem effectum concurrit confidentia cupientis æterna, & divina trepidantis?* Philoſophia quidem kantiana iſtiusmodi heroibus noſtris virtutis decus, bonæque voluntatis laudem haud tribuet; quippe qui ſpe cæleſtium præmiorum, metuque cruciatuum, non ſola legis forma ad ferenda ſupplicia ſeſe obarmarant. Nihil virtuti magis adverſum cenſet Kantius, ac timorem æterni judicis.

§. 22. Sed penitius inſpicienda eſt jactitata illa voluntas bona. Quæ eſt igitur tibi, o Kanti, voluntas bona? Quæ, inquis, abſolute adhæret legi, nullo alio propoſito commodo, nullo adhibito vel admiſſo incitamento. At cui legi vis adhærere voluntatem? Divinæ fortaſſis, tanquam ſanctiſſimæ, ſummaque potentia juſtitiaque munitæ? minime, reſpondet Kantius; iſta enim repræſen-

tatio divinæ potentiæ, juſtitiæque, indeque profluens timor repugnat plane virtuti. Nulli igitur alteri legi adhærere voluntas debet, niſi quam ipſa tulit? *) Cur autem ſuæmet legi tam adhæreat firmiter, ut potius carere bonis omnibus malit, omniaque ſubire mala, quam deſciſcere a lege ſua? Quia hæc eſt dignitas naturæ hominis, utpote ratione præditi, ut ipſum ſe eſſe finem in hoc orbe noſcat, & conſortem regni finium, quod naturæ rationis participes conſtituunt; quæ ſola idea & reverentiam legi conciliat, & præſcriptum legis ſine excuſatione ulla ſequi cogit. At natura incitat ſæpe homines, ut aliud agant, ac rationis lex præſcribit. Hæc ipſa, inquit, eſt hominis præſtantia, ut ab iſtiusmodi incitamentis non pendeat; ſecus enim humanam naturam tanquam ſubjectam indigentiæ legibus cogitare deberemus. **) Quid ergo? naturam hominis maxime indigam inopemque, quæ minime ſufficiat ſibi, ſed quæ extra ſe quærere debet, quo ſatisfaciat & corporis neceſſitatibus, & animi tranquillitati, non agnoſcis? At ego ſolius divinitatis eſſe contendo, ut re nulla egeat, ipſaque ſibi ſufficientiſſima ſit. At homo quam inops natura eſt, quam imbecillus, quam egens & corporis, & animi ſubſidiis? Non commemorabo longam infantiam, quæ aliena ope ſuſtentari debet, non quæ pellendæ fami, ſitique, quæ tegendo corpori, quæ habitationi ſunt neceſſaria; nec informationem doctrinæ, artium, opificiorum narrabo; ſupremi Numinis gubernatione, gratia, legibus, ductuque perpetuo nonne egemus omnes? Non eſt, o Kanti, non eſt profecto bona voluntas hæc, quæ ſibimet adſcribit ſapientiæ leges, quæ a Deo optimo maximo unice profluunt: non eſt bona vo-

lun-

luntas, quæ in ſui ipſius dignitate, præſtantiaque acquieſcit, neſcio, an ſuperbit? non eſt bona voluntas, quæ ſemet rerum conditarum finem ſtatuit, nec cur ipſa creata ſit, quemque habeat præfixum finem, animo volvit: non eſt bona voluntas, quæ omnipotentis Dei ac gubernatoris timorem excutit: quæ nulli parere legi vult, niſi quam ipſa tulerit: quæ virtute ſua confidit, ſeque ipſam ſibimet ſufficere opinatur. Non bona eſt hæc, ſed temeraria, ſed cæca, ſed ſtolida, rationi, naturæque repugnans hominis voluntas.

*) Grundl. Seite 64. Der Menſch, und überhaupt jedes vernünftige Weſen exiſtirt als Zweck an ſich ſelbſt. — Seite 70. Das Subject aller Zwecke iſt jedes vernünftige Weſen, als Zweck an ſich ſelbſt. — — Hieraus folgt die Idee des Willens jedes vernünftigen Weſens, als eines allgemein geſetzgebenden Willens. Seite 76. Die Vernunft bezieht jede Maxime des Willens als allgemein geſetzgebend auf jeden anderen Willen, und auch auf jede Handlung gegen ſich ſelbſt, und dieſs zwar nicht, um irgend eines anderen practiſchen Bewegungsgrundes, oder künftigen Vortheils willen, ſondern aus der Idee der Würde eines vernünftigen Weſens, das keinem Geſetze gehorcht, als dem, das es zugleich ſelbſt giebt.

**) Seite 84. Und hierinn liegt eben das Paradoxon daſs bloſs die Würde der Menſchheit, als vernünftiger Natur, ohne irgend einen anderen, dadurch zu erreichenden Zweck, mithin die Achtung für eine bloſse Idee, dennoch zur unnachläſslichen Vorſchrift des Willens dienen ſollte, und daſs gerade in dieſer Unabhängigkeit der Maxime von allen ſolchen Triebfedern die Erhabenheit derſelben beſtehe, und die Würdigkeit eines jeden vernünftigen Subjects, ein geſetzgebendes Glied im Reiche

Reiche der Zwecke zu feyn; denn fonft würde es nur dem Naturgefetze feiner Bedürfnifs unterworfen vorgeftellt werden müffen.

CAPUT IV.

Voluntas bona kantiana an sit *summum bonum.*

§. 23. Voluntas bona, docente Kantio, bonum eft fimpliciter & abfolute, non id unicum quidem, expletumque, fed tamen *fummum bonum*, quod, ut alia cenfeantur bona, & beatitas ipfa recte expectetur, inftar conditionis neceffariæ requiritur. Si illam ftatuiffet voluntatem hominis bonam, quæ in divina voluntate fixa eft, & conditori fuo, ac gubernatori perpetuo probari vult unice, & obfequi; tum vero præclare fuafiffet de omni virtute, & virtutis, naturæque noftræ perfectione; eft enim ea fummæ & perfectiffimæ mentis voluntas, ex fe ipfa neceffario & immutabiliter bona, & jufta, & fancta, & fumme verenda, totoque amplectenda animo, qua una præftabilius incitamentum agendi voluntas humana invenire, atque affumere non poteft. At enim novimus jam, quæ fit Kantio bona voluntas, quæ legi fola ratione adinventæ adhæret, quæ nulli legi paret, nifi quam ipfa hominis voluntas tulerit, quæ in hoc ipfo celfitatem naturæ fuæ, ac dignitatem collocat, quæ ob hanc ipfam dignitatem agit omnia, ad eam refert omnia, in ea conquiefcit. Inter fectas Philofophorum veterum, nempe in tenebris fuperftitionis, quas poftmodum divina Evangelii lux difpulit, nulla majore contentione quæftio agitata eft, quam de fummo bono, five de finibus bonorum ac malorum, quam

quam in hunc modum explicat Cicero de Finib. I. 4. *Quid eſt in vita tantopere quærendum, quam cum omnia in Philoſophia, tum id, quod his libris quæritur, quid ſit finis, quid extremum, quid ultimum, quo ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda? quid ſequatur natura ut ſummum in rebus expetendis, quid fugiat, ut extremum malorum?* Et ib. c. 9. *Quærimus igitur, quid ſit extremum, quid ultimum bonorum; quod omnium philoſophorum ſententia tale debet eſſe, ut ad id omnia referri oporteat, ipſum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate poſuit, quod ſummum bonum eſſe vult, ſummumque malum, dolorem.* Græci iſtud ſummum bonum, vel ultimum, vel extremum τελος nominarunt; quod ipſum nullam ad aliam rem: ad id autem res referantur omnes, uti teſtatur Tullius ib. c. 12.

§. 24. Hoc igitur modo bonorum finem, ſive ſummum bonum Kantius in voluntate poſuit, quæ legi legis ipſius cauſa adhæret, nulla habita ratione rei, quæ agentibus objecta eſt, nulla propenſionis, quæ vel ab ipſa natura provenit, nulla finis aut conſilii, quod agendo ſpectatur, nulla effectus, qui actione progignitur, nulla ipſius etiam felicitatis, quæ non finis, ſed conſecutio voluntatis bonæ, virtutisque eſſe debet. Ita Kantius docet verbis paulo aliter, ac Stoici, re ſimiliter. Et quemadmodum a Stoicis diſſenſerunt ſectæ aliæ, vel tota ſententia, vel addendo quidpiam ad virtutem; ſic Kantiani ſpem habent nullam, ut, rejecta hoc modo Evangelii doctrina, ſoli dominaturi ſint. Eveniet fortaſſis brevi, ut impudentior aliquis Epicu-

rum revocet, quem pars magna hominum ætatis nostræ jam dudum vita & moribus affectatur.

§. 25. Sed discutiendum est tandem hoc summum bonum. Quis, obsecro, in tanta Evangelii luce post oblatam nobis divinam fidem gratiamque, quæ tot jam seculis toto orbe emicat, voluntatem illam kantianam, virtutemque stoicam audeat summum bonum appellare, quod vel pueri & mulierculæ unica sententia explodant: *Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Matth. V. 47. Quam vere & eleganter rem totam definivit Augustinus Sermone XIII. de verbis Apostoli: *Dicebat Epicurus: mihi frui carne, bonum est. Dicebat Stoicus: mihi frui mea mente, bonum est. Dicebat Apostolus: mihi autem adhærere Deo, bonum est. Dicebat Epicurus: beatus, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus: imo beatus, cujus est in fructu virtus animi ejus. Dicebat Apostolus: beatus, cujus est nomen Domini spes ejus. Errat Epicurus: falsum est enim, esse hominem beatum, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur & Stoicus: falsum est enim, & omnino mendosissimum, beatum esse hominem, cujus est in fructu virtus animi ejus. Beatus ergo, cujus est nomen Domini spes ejus. Quia illi vani sunt, & mentiuntur; non respexit, inquit, in vanitates & insanias mendaces.* Duas tantum Philosophorum sectas, earumque de summo bono maxime differentes sententias commemorat S. Doctor; quia, ut idem narrat Epistola 56. ad Dioscorum, errores Gentium, quamvis essent multi atque multiplices, in his tamen maxime duabus sectis eminebant, & usque in christiana tempora perdura-

runt.

runt. Sed addit : *Quos tamen* (errores) *jam certe nostra ætate sic obmutuisse conspicimus, ut vix jam in scholis rhetorum commoneretur tantum, quæ fuerint illorum sententiæ : certamina tamen etiam de loquacissimis græcorum gymnasiis eradicata atque compressa sunt, ita, ut siqua nunc erroris secta contra veritatem, hoc est, contra Ecclesiam Christi emerserit, nisi nomine cooperta christiano, ad pugnandum prosilire non audeat.* Adeo nempe progrediente illis temporibus divina religione elanguit philosophia, atque obmutuit demum, ut nec comparere in publico auderet habitu suo, sed christianum nomen præ se ferre, & ementiri cogeretur. Sed est hæc labes nostrorum temporum, ut deficiente divina religione, & pene emoriente in animis hominum, sua iterum forma in publicum prodeat, exquisitam honestatem affectans, sed plena vanitatis ac superbiæ, qua nihil divinæ religioni fideique infestius esse potest. *Cum se ipso sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est* ; uti S. Augustinus loco eodem animadvertit. Talis est kantiana philosophia, quæ ita inquit : mihi adhærere legi rationis meæ, summum bonum est : hæc est dignitas mentis meæ, non subjacere ulli legi, nisi quam voluntas mea tulerit : in hoc unico fine acquiescere potest ratio mea. *) At qui non plane refragari velit divinæ luci, dicere sane debet : mihi adhærere Deo summum bonum est ; quia satis demonstratum est a Doctoribus nostris, in statu etiam naturali summum hominis bonum aliud non esse, nisi in cognitione, & voluntate, & amore Dei acquiescere. Voluntate illa bona, quam Kantius commendat tanquam summum bonum, infinities præstantiora, majorisque pretii sunt opera, quæ

 fide

fide divina per charitatem operante fiunt. Non igitur in voluntate illa kantiana summum hominis bonum constitui potest. Neque enim ultra naturam progreditur differens de voluntate bona.

*) In der Grundl. Seite 7. Die Vernunft, die ihre höchste practische Bestimmung in der Gründung eines guten Willens erkennt, ist bey Erreichung dieser Absicht einer Zufriedenheit nach ihrer eignen Art, nämlich aus der Erfüllung eines Zweckes, den wiederum die Vernunft bestimmt, fähig.

§. 26. Novi, quid oggerant Kantiani, non oportere mercenariam esse virtutem, quæ propter se expetenda est, non lucri gratia. Quid ergo? Ne beatitas quidem vitæ alterius spectari potest, & desiderari, & exquiri colenda virtute, frangendis cupiditatibus, tolerandis ærumnis, laboribusque gravissimis? Illa, inquiunt, exspectari potest, estque consecutio virtutis, non propositus finis. Videant, quæso, qui incaute ex nostris sequuntur Kantium, ne in errorem a SS. Ecclesia damnatum incidant, quasi aut metu gehennæ, aut spe præmii cælestis operari bonum, bonum haud esset, nec laudabile, nec præmio dignum. Sed illud Kantii, felicitas consecutio est, non finis rectorum operum, & per se putidum est, & a naturali agendi ratione plane abhorrens, perinde ac si dicerem: arandum est, sed spectari non debet messis: navigandum, sed non respici portus: currendum, sed meta non habenda præ oculis: peregrinandum; sed de patria & quiete cogitari non debet; sunt enim ista, consecutio laboris, non propositus finis. At qui nullo proposito fine agit, nugas agit: est hoc maxime naturale, propriumque naturæ intelligen-

tis,

tis, ut proposito fine agat. Kantius tamen vult, ut legem legis causa sequamur nulla habita finium ratione; atqui lex ipsa fines habet propositos naturæ intelligenti accommodatos. Si bona est lex, quemadmodum docet, & lex fines suos habet; cur amplectendo legem, legis fines amplecti, & consectari non liceat?

§. 27. Virtutem intueri, qualis ipsa est in se, inquit Kantius, non est aliud, quam repræsentare animo honestatem sine admixtione ulla eorum, quæ ad sensus pertinent, demtoque ornatu spurio mercedis, amorisque in se ipsum. *) Præteribo nunc falsam Kantii hypothesin, qua totum id, quod de beatitate cogitari potest vel disseri, ad sensus, sensuumque oblectationem refert. Illud quæro, si de honestate detrahendus est ornatus mercedis, ut, qualis in se est, virtutem conspiciamus, auferetur ne illud etiam virtuti præmium, quod post hanc vitam nos manet, qui virtutem colimus, sic ut, salva virtute, virtutis præmium cogitare, desiderare, persequi agendo, patiendoque haud possimus? Videtur sane hæc esse mens Kantii. Philosophiam enim, quæ virtutis magistra est, nullo omnino in terris, cælisve nixam sustentaculo esse docet. *) At virtus infestas habet cupiditates, libidinem, intemperantiam, iracundiam, ambitionem, avaritiam; atque in his maxime frænandis, cohibendis, exsuperandisque sita est. Eadem molestias & dolores corporis acres sæpenumero & diuturnos, fædosque morbos, & acerbissimam mortem ferre constanter, patienterque debet: vexatur itidem invidia hominum, contemtu improborum, violentia potentum. Quod eandem maxime oppugnat, ægritudo ani-

mi est, fastidium rerum omnium, quæ circumstant, tristitiaque mentis sibimet quodammodo infensæ, frustraque desiderantis bona, quæ expetit, & incassum declinantis mala, quibus premitur.

*) Grundl. Seite 61. Die Tugend in ihrer eigentlichen Gestalt erblicken, ist nichts anders, als die Sittlichkeit, von aller Beymischung des Sinnlichen, und allem unächten Schumuck des Lohnes, oder der Selbstliebe entkleidet, darzustellen.

**) Ebendas. Seite 60. Die Philosophie auf einen Standpunct gestellet, der fest seyn soll, unerachtet er weder im Himmel, noch auf der Erde an etwas gehängt, oder woran gestützet wird.

§. 28. Hoc constituta loco virtus in hoc quidem mortali vita sane fulcris eget, quibus nitatur, erigatur, teneatur. Est hæc natura mentis nostræ, ut ratione se regat, cupiditates ratione moderetur, infirmitati ratione succurrat, fallacia bona ratione aspernetur, mala, dolores, agritudinem ratione perferat. Rationis argumenta eo majora gravorisque ponderis esse debent, quo juncundiores apparent illecebræ vitiorum, quas aspernari debet, magisque ardui labores, quos suscipere ac sustinere cogitur. Quia Natura expetimus bonum, & natura fugimus malum, nemo aspernatur propositum sibi atque arridens bonum, nisi majoris obtinendi boni, aut consecuturæ molestiæ declinandæ causa: neque amplexamur malum, dolores, molestias, nisi ut graviores evitemus, aut insigni quopiam potiamur bono. Quas igitur rationes kantiana philosophia nos docet? quæ argumenta virtuti præbet, ut perpetuos labores arduosque constanter suscipiat, feratque, & oblectamenta scelerum asper-

aspernetur? Homo, inquit, rationis vi hanc sibimet legem fert, ut legem sequatur legis causa, & quia communis lex est cujusvis naturæ ratione præditæ: pura repræsentatio legis detracto quovis additamento, quod ab experientia provenire potest, multo majorem in animis hominum vim habet (idque solo rationis ductu, quæ actuosam se esse hoc modo intelligit) quam incitamenta quævis a sensibus profecta, ut mens conscia dignitatis suæ hæc aspernari valeat, iisque paulatim fiat superior. *) At mens nostra bonum expetit, quo fruatur, quo libera sit a molestiis, in quo secura conquiescat: in semet ipsa, in dignitate sua, in virtute, quæ laboriosa est, & plena molestiæ, id bonum non obtinet. Nemo molestiam molestiæ caussa suscipit, nisi aliud spectet præterea: nec quod delectat, refugit, ut in sola molestia conquiescat. Si virtutis laboribus ingens bonum, præmiumque paratum non est confecto ejusdem, vitæque curriculo, nec flagitiis supplicium, miseriaque est præstituta: dicendum erit cum Carneade, qui virtutem colit, sapiens dicatur, at stultus est, qui vim sibi infert coercendis cupiditatibus, bonus nuncupetur, at miser est & voluntarie insipiens. In quam sententiam scriptum est ab Apostolo I. Cor. IV. 32. *Si in hac vita tantum laborantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus; & si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi; quid mihi prodest? — — Manducemus & bibamus; cras enim moriemur.*

*) Grundl. Seite 33. Die reine, und mit keinem fremden Zusatze von empirischen Anreitzen vermischte Vorstellung der Pflicht, und überhaupt des sittlichen Gesetzes, hat auf das menschliche

liche Herz durch den Weg der Vernunft allein (die hiebey zu erst inne wird, das sie für sich selbst auch practisch seyn kann) einen viel mächtigern Einfluss, als alle andere Triebfedern, die man aus dem empirischen Felde aufbieten mag, dass sie in Bewusstseyn ihrer Würde die letztern verachtet, und nach und nach ihr Meister werden kann.

§. 29. Equidem facile prævideo, necdum acquieturos Kantianos: regerent enim, quod perpetuo in ore habent; utcunque sint ista, aliam tamen virtutem non præbent, nisi mercenariam, & præmiorum mercedibus evocatam. Qui enim hoc quidem modo a flagitiis se abstinent, & virtutem sequuntur, præmium & beatitatem spectant, nempe mercedem, nec exiguam, sed plane æternam: atqui nobilius est, celsiorisque animi, gratuito & liberaliter esse bonum & honestum virum. Repetent fortassis illud, in quo vim magnam ponere videtur Kantius: homo nauci est & contemtu dignus, qui, nisi accepta mercede, depositum non restituet, nec testimonium impertietur innocentiæ. Ut igitur a capite res arcessatur, sciscitemur ex philosopho Kantiano primum, qua mente virtuti studeat; tum & Christianum audiamus philosophum, qui non caduca hæc quidem, sed cælestia tamen præmia spectet in omni vita, & consequi a Deo petat, speretque, & nancisci modis omnibus contendat.

§. 30. Quid est Philosophe Kantiane, cum ardua sit virtus; mens autem hominis imbecilla, & proclivis ad malum; imbecillitati humanæ, quam non diffiteris, qua via succurres, & propensioni ad vitia quo pacto medeberis? Firmo, in-

inquit, & immutabili propoſito colendi virtutem ſuimet cauſa; aliunde enim petere atque exſpectare auxilium, imbellem animum & ignavum denotat. *) — Quid eſt autem, quod animum ſic obfirmare cogit, & vim perpetuam inferre naturæ? — Lex rationis, quam unice ſequendam ſtatui. — Pulchra eſt ſane hæc rationis lex, & honeſta per ſe, & humano generi maxime ſalutaris; ſed dura eſt, & naturæ ſæpe adverſa, cur eidem pares? quis te illi ſubjecit, ut eam violare nefas ſit? — Egomet illam ſancivi & mihi & omni naturæ, quæ ratione pollet. — Sed lex iſta ſæpe invitis nobis obverſatur, & obſtrepit, quando cupiditatem avemus ſequi. Videtur igitur vel ipſa eſſe natura, non voluntas noſtra, aut potius ſuperior vis quædam perpetuo nobis invigilans, quæ illam legem etiam nolentibus ponit ob oculos. — Haud quaquam, docet Kantius. Neque enim affirmari poteſt, philoſophiam, rationemque humanam non eſſe, niſi præconem legum ſuarum, quaſi inſitus quidam naturæ ſenſus, aut neſcio quæ tutoria auctoritas eas inſpiraret. Talia enim non forent principia dictata per rationem, quæ a priori originem ſuam, & dictatoriam poteſtatem ita obtineant, ut nihil propenſioni, ſed totum ſupremæ illi legis poteſtati, debitæque erga eam obſervantiæ adſcribi debeat; aut ſi id dicatur, neceſſe erit, ut ipſe ſe homo contemnere, penitusque averſari cogatur. **) — Verum quæquæ ſit iſtius legis cauſa & origo, manet tamen, eſſe illam difficilem & duram, quæ graves labores nobis imponit, & cupiditatibus perpetuo obſiſtit, & iræ impetus cohibet, & omnes plane hominum propenſiones coercet, moderaturque. Igitur moleſta nobis

nobis atque infesta est lex ista. Quid adstrictos eidem nos tenet, quid, ut pareamus, movet? — Cogito, inquit Kantianus philosophus, dignitatem mentis meæ, ejusque conscius obsequor legi, quam mihimet tuli. — Quem ergo finem spectas difficilis & longi certaminis, lege hac tibi impositi? — Nullum, inquit, extra me, nullum plane. — At finem propositum habent, quicunque agunt sana mente, & tum maxime, si difficile negotium agunt, & vires suas intendunt, & vim sibimet inferunt, atque ad ardua eluctantur. — Respondet Kantianus, finem mihi præfigo nullum; ipse enim finis sum, & sic dego in hoc mundo, non ut rerum aliarum sim instrumentum, iisque inserviam, sed ut cuncta referri ad me, tanquam finem suum debeant; idque proprium est cujusvis naturæ, quæ ratione est exornata. — At velis nolis, beatus esse, certe quidem particulam beatitatis agendo consequi vis; neque id inficiari omnino potes, nisi hominem exueris, aut esse te negaveris. Quid est ergo id, in quo acquiescis agendo quidpiam, & inquirendo sistis, tibique & animo tuo facere satis soles? — Nihil, inquit, extra me quæro; atque hæc ipsa est dignitas mea, nihil ut aliud expetam, nisi agere ex dignitate mea, obsequi legi rationis & voluntatis meæ, atque in me ipso, cum finis sim, conquiescere. Satis est, beatitate dignum ut me reddam: eandem consequi, mei muneris non est, nec virium mearum.

*) In der Abhandlung von der Religion innerhalb den Grænzen der blossen Vernunft. Seite 62. Den Muth auffodern, ist schon zur Helfte so viel, als ihn einflössen; dagegen die faule, sich selbst gänzlich misstrauende, und auf äussere Hülfe harrende

rende kleinmüthige Denkungsart (in Moral und Religion) alle Kräften des Menschen abspannt, und ihn dieser Hülfe selbst unwürdig macht.

*) Grundl. Seite 60. Die Philosophie — als Selbsthalterinn ihrer Gesetze, nicht als Herold derjenigen, welche ihr ein eingepflanzter Sinn, oder wer weiss welche, vormundschaftliche Natur einflüstert, die insgesammt, sie mögen immer besser seyn, als gar Nichts, doch niemals Grundsætze abgeben können, welche die Vernunft dictirt, und die durchaus völlig a priori ihre Quell, und hiemit zugleich ihr gebiethendes Ansehen haben müssen: nichts von der Neigung des Menschen, sondern alles von der Obergewalt des Gesetzes, und der schuldigen Achtung für dasselbe zu erwarten, oder den Menschen widrigenfalls zur Selbstverachtung, und innern Abscheu zu verurtheilen.

§. 31. Hæc est summa doctrinæ, quam ita extollunt Kantiani, quasi virtutem, qualis esset re ipsa, quemadmodum recte coleretur, Kantius primum ipsos docuisset, eamque perfectiorem, quam Dei filius ex sinu patris detulisset in terras. Nuncupavi doctrinæ summam: neque enim crediderim, vel ipsos, qui eam profitentur, vel quemquam alium ita exercere virtutem, ut nulla habita ratione propositi finis, aut propensionis, aut rei, quam gerunt, solam rationis legem habeant præ oculis. Fuit hæc veterum etiam Philosophorum sors, quemadmodum Lactantius lib. 3. Div. Inst. c. 16. animadvertit, ut nec ipsi decretis suis obtemperarent, nec quisquam per tot secula esset inventus, qui eorum legibus viveret. Cum igitur virtutem sequitur kantianæ sectæ philosophus, nihil se spectare aliud affirmat, nisi ut legi suæ pareat,

reat, ut ex dignitate ſua agat: in ſemet ſe conquieſcere: ſe eſſe rerum finem, ad quem referri alia debeant: ſe latorem eſſe legum virtutis: eam eſſe præſtantiam naturæ intelligentis, nulli ut legi ſit obnoxia, quam non ipſa conſtituerit: virtutis vim animi firmitati atque conſtantiæ eſſe adſcribendam.

§. 32. Quam multo aliter affectus is eſt philoſophus, qui Evangelium non erubeſcit, qui & ipſe præſtantiſſimum rationis donum, quod accepit a divino Numine, plurimi facit, diligenterque ſtudet excolere; ſed agnoſcit is divinam legem, cum rationis legem cogitat, & quemadmodum non eſſe ſe a ſe ipſo, nec a ſe ullas habere facultates, corporisque aut animi vires novit; ſic dictata illa rationis non ſua a voluntate, non a dignitate, non auctoritate ſua, ſed a ſummo conditore & gubernatore rerum proficiſci intelligit: ſiquid a ſe laudabiliter honeſteque factum meminit, non id tam bonæ voluntati ſuæ, quam Dei bonitati atque virtuti attribuit. Neque vero in ſemet acquieſcit: hominem ſe ſcit, qui in ſemet beatus eſſe minime poteſt; hoc enim ſolius divinitatis proprium eſt. Extra ſe ergo quærit, quo & ſibi & naturali propenſioni faciat ſatis: nec tamen hæc terrena atque infima ita amplectitur, ut iis acquieſcat ulla ratione, animumve ſuum, aut virtutem iisdem affigat: ſed totum, quo frui, quo beatus eſſe queat, in bono infinito habere ſe, certiſſime ſibi perſuadet: id cognoſcere, id vereri, colere, amare ſummum bonum eſſe, minime dubitat: hoc uno explere animi deſideria ſatagit, ac confidit, fore, ut ea penitiſſime atque æternum explenda ſint, non ſi ex ſua voluntate, ſed ex divi-

na

na transegerit vitæ suæ curriculum. Illud maxime cogitat, mentem creatam essentialiter pendere a Deo essentialiter Deo subjici, neque beatitatis participem esse posse, nisi quæ in cognoscendo atque amando infinito bono sita sit. Ab hoc uno tanquam uberrimo fonte eoque inexhausto provenire novit bona omnia, ac recte utentibus in hac vita Dei donis multo majora esse præmia præparata atque æterna, uti e contrario improbis supplicia sempiterna & atrocissima: cumque penitissime se divinæ potestati, justitiæque subjacere cogitat, cujus e manibus eripi nemo possit, nihil rationi, conditionique creatæ mentis magis consentaneum esse agnoscit, quam vereri supremum Numen, adorare majestatem, extimescere infinitam potentiam, justitiamque: cum & dæmones credant, ac contremiscant. Nimiæ levitatis est, stultissimæque temeritatis, æternæ miseriæ discrimen non expendere animo, aut contemnere.

§. 33. Peto nunc, ut dirimatur lis inter Christianum philosophum & Kantianum, uter utro sui amantior, & rationum suarum, ac gloriolæ censeri debeat studiosior? Scilicet mercenaria erit virtus Christiani, qui naturalis suæ atque essentialis inopiæ & dependentiæ a summo conditore conscius, ac semper memor gloriam Deo dat, eidemque in acceptis refert omnia: qui totus in eo admirando, laudando atque amando hæret, eoque se beatum fore cogitat; eoquod tum quidem eveniet, ut in cognitione atque amore infiniti boni figatur totus, & quodammodo absorbeatur in immensæ bonitatis pelago veluti oblitus sui; uti fit in iis, qui admiratione atque amore pulchritudinis & perfectio-

nis cujusdam abrepti, defixique sunt. Talis cum sit philosophus Christianus, quomodo comparari cum Kantiano queat, qui mendacissima vanitate tumidus se unum intuetur, se admiratur, sese amat: qui se verum finem, & legum virtutis auctorem circumspicit: qui a virtute, & dignitate sua alienum putat, vereri infinitum Numen, ejusque magis, quam suæ voluntati obsequi: qui in se ponit omnia, in se acquiescit: verbo, qui summum bonum in sua voluntate bona collocat? Non est profecto, non est hoc rationis legem ex ratione pura a priori colligere: neque hæc rationis documenta, sed vanissimæ imaginationis deliramenta sunt: non est hoc summum bonum, sed si dici oportet, quod res est, summa stultitia est; qua *summum bonum non in summo, sed in imo quæritur;* quemadmodum de philosophis cæcæ superstitionis acute animadvertit Lactantius L. III. de falsa Sapientia. c. 12. Finem imponam huic diquisitioni verbis S. Augustini, quibus tractatum de Epicureis & Stoicis conclusit: *Hæc est doctrina Christianorum, non plane conferenda, sed incomparabiliter præferenda doctrinis philosophorum, immunditiæ Epicureorum, superbiæ Stoicorum.*

CAPUT V.

Officii notio rectene a Kantio definita fuerit?

§. 34. Officium, inquit, est necessitas actionis ex observantia legis. *) Necessitas hæc, si de moribus agitur & natura illa, quæ libertate pollet utramvis in partem semet determinandi, aliter intelligi

telligi non poteſt, niſi in hanc ſententiam, ut, qui aliter ageret, aliudve, ac lex proponit, is in legem peccaret, piaculum committeret, conſcientiæ ſtimulis & conviciis ſubjaceret. At vulgo præter officia neceſſitatis, alia officia *decori* & *convenientiæ* ſolent diſtingui : quo modo Cicero de officiis lib. 1. c. 2. ſcripſit : *Latiſſime patere videntur ea, quæ de officiis tradita a philoſophis & præcepta ſunt. Nulla enim vitæ pars, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus ; neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt : in eoque colendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.* In his certe rebus omnibus multa continentur officia, quæ nulla legis neceſſitate expleri poſſunt, ſolentque. Vitio vertitur noſtris Scriptoribus, ſiquid in tradenda philoſophia morum, aut explicanda jurisprudentia naturali de divina auctoritate, aut publica, & antiquiſſima Eccleſiæ doctrina commemoratur : confundi, inquiunt, diſciplinas, perturbari fines ſcientiarum : ſacra & humana miſceri. At ego confuſionem maximam eſſe, eamque valde pernicioſam arbitror, ſi honeſta omnia, perfectionisque conſilia cum vera, ſtrictaque legis neceſſitate miſceantur. Viro bono conſcientiæ ſuæ rationem eſſe habendam, ipſa ratio docet. *Demens, quid tibi prodeſt, non habere conſcium, habenti conſcientiam*, inquit Seneca apud Lactantium lib. 6. c. 24. At vero admiſſa confuſione illa honeſtatis cum neceſſitate, ac virtutis cujusvis cum lege, quot laquei injiciuntur conſcientiis hominum ? Eſt ſane perturbatio illa officiorum, & exæquatio maxime aliena a veritate rei ipſius. Lex enim rationis, quæ affirmativa dicitur, actionemque, non meram omiſſionem

præscribit, multa relinquit indefinita. Docet Kantius, legem rationis præcipere, ut homo facultates excolat a natura datas, utque indigentibus opituletur. At quid, quantum, qua via modoque præstari id debeat, non definit: in pluribus, quibus id efficiatur, inest honestas par, aut major in altero præ altero. Si quid ergo ex paribus arripitur, si quid præfertur aut relinquitur ex imparibus; quæ legis necessitas, quæ observantia fingi potest.

*) Grundl. Seite 14. Pflicht ist Nothwendigkeit einer Handlung aus Achtung fürs Gesetz.

§. 35. Ut officio satisfiat, satis non est Kantio, servare legem, nisi id legis causa fiat. (Aus Achtung fürs Gesetz) Doctores quidem rerum moralium vulgo tradunt, ut lex impleatur, non requiri positivam intentionem implendi legem; quia, inquiunt, non intentio, sed actio præscripta est. Sed utcunque istuc habeat, Kantius *de observantia* illa sua inquirit, qualis ea sit mentis affectio, aitque *primo.* Si in sensu consistit (in einem Gefühl) certe non extrinsecus commovetur, sed intus ex idea rationis puræ progignitur, proindeque specie differt ab affectionibus motibusque iis, qui a sensibus proveniunt, & generatim inclinationem vel aversationem continent. Respondeo. Totum hoc, quod de observantia legis novis vocabulis, formulisque involvitur, reipsa pertinet ad vim conscientiæ *antecedentis*, quæ movet, hortatur, absterret, impellit, retrahit. Ea conscientia haudquaquam in sola notione quadam aut idea, sed in judicio sita est, quo, quid deceat, aut contra, quid

quid rectum ſit, aut pravum, dijudicamus. Iſtiusmodi judicium, aut veritas propoſita fere vim quandam & motionem exerit in voluntatem, eamque, ut agat quidpiam, aut defugiat, non ſegniter ſolicitat, ciet, impellit, agitat, & mentis æquabilitatem ſeu inertiam interturbat. Sic animum cupiditate, odio, metu vacuum ipſa explorata æquitas rei vehementer impellit, ut eam ſequatur; & qui maxime pellicitur ad patrandum flagitium, ſi nondum ad honeſtatem obduruit, refugit turpitudinem, luctatur, & quodammodo vim inferre ſibi cogitur, ut flagitioſus ſit. Atque in his obſervantia illa kantiana ſita eſt. Et quamvis veritas prælucens actioni, quidque honeſtum aut turpe ſit, exhibens, haud pendeat a ſenſibus, ſed ratione innoteſcat, tamen inclinationem voluntatis aut averſationem procreat, atque adeo motus externos ſæpe efficit, uti patet in verecundia, erubeſcentia, hæſitatione, trepidatione &c, cujusmodi affectiones non tantum ex impreſſionibus ſenſu acceptis exoriuntur in animo, quemadmodum Kantius ſumit; ſed ex cogitationibus animi ratione collectis ſæpenumero erumpunt in corpus, nedum in voluntatem, ejusque motiones tum inclinationis, tum averſationis. Iſtiusmodi motus, quos ipſa rationis non depravatæ vis citra voluntatem, datamque operam ciere ſolet, ab antiquis Philoſophis, qui naturam ſcrutati ſunt, cum de virtute diſſererent, dicta ſunt *ſemina* & tanquam *elementa, ſimulacra* item virtutis, & *primæ adumbrationes*. Exſcribam ex Ciceronis libris de finibus locos illuſtres quosdam, qui palam faciant aberrationes Kantii; qui quidem inclinationes ſolis ſenſibus adſcribit, quaſi uni earum, ac primi ſemper motores exiſterent; quamquam philoſophi paſſim

 nunc

nunc ipsa etiam τα παθη, quas passiones vocamus, alia vocant *prævenientia*, quæ ex sensibus influunt in animos, alia *reflexa*, quæ ex animo prorumpunt in corpus. Sic igitur Tullius ex animadversionibus philosophorum lib. 5. c. 15. de Finib. scribit. *Est natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta esse videatur; ob eamque causam Parvi* (pueri teneræ ætatis) *virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur. Sunt enim prima elementa naturæ; quibus auctis virtutis quasi carmen efficitur. Nam cum ita nati factique simus, ut & agendi aliquid, diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinemque aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos, non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutis quasi scintillulas videmus.* Eodem lib. 5. c. 22. sic ait: *Hæc honesta, quæ dico, præterquam quod nos ipsi diligamus, præterea suapte natura per se esse expetenda, indicant pueri, in quibus, ut in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? ut illi efferuntur lætitia, cum vicerint? ut pudet victos? ut se accusari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes sint! — — Sed hæc in pueris. In iis vero ætatibus, quæ jam confirmatæ sunt, quis tam dissimilis homini, qui non moveatur & offensione turpitudinis & comprobatione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam & protervam adolescentiam? quis contra in illa ætate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat?* Adeo nempe proposita honestas

&

& turpitudo, æquitas rei vel iniquitas voluntatem naturaliter commovet: nec ii motus cognitioni ſenſuum, aut ipſis ſenſibus, ſed rationi, ejusque ideis adſcribendi ſunt; quod ipſum loco alio fatetur Kantius, etſi neſcio quam obſcuritatem naturæ ea in re latitare dicat. *)

*) Grundl. Seite 122. Um das zu wollen, wozu die Vernunft allein dem ſinnlich - afficirten vernünftigen Weſen das Sollen vorſchreibt, dazu gehört freylich ein Vermögen der Vernunft, ein Gefühl der Luſt oder des Wohlgefallens an der Erfüllung der Pflicht (an der Pflicht ſelbſt, wäre beſſer geſagt) einzuflöſsen, mithin eine Cauſalität derſelben, die Sinnlichkeit ihren principien gemäſs zu beſtimmen. Es iſt aber gänzlich unmöglich einzuſehen, das iſt, a priori begreiflich zu machen, wie ein bloſser Gedanke, der ſelbſt nichts ſinnliches in ſich enthält, eine Empfindung der Luſt oder Unluſt hervorbringe.

§. 36. Ait *ſecundo*: obſervantia legis intelligitur tum, quando voluntas immediate per legem determinatur: ejusque determinationis ſibi conſcia eſt. — — Objectum obſervantiæ eſt lex ipſa ſimpliciter, & ea quidem lex, quam ipſi nobis impoſuimus, neceſſario tamen. Huic legi obnoxii, ſubjectique ſumus, quia lex eſt, nulla amoris proprii habita ratione: quatenus vero eandem ipſi nobis impoſuimus, tanquam voluntatis noſtræ conſecutio ſpectari debet; ob quam cauſam timoris ſimilitudinem continet, qua lex eſt; & propenſionis, qua parte eſt noſtra lex. *) Dicimur agere ex *inclinatione*, quando appetitio vel appetendi facultas a perceptione (ſenſatione) pendet: agere, quia noſtra *intereſſe* credimus, quando voluntas, quæ in utramvis partem poteſt decernere dependet a

 prin-

principiis rationis. **) Quodcunque a nobis fit ob eam causam, quia ratione honestatis nostra interesse credimus, ut fiat, id fieri ex observantia legis censetur. ***)

*) Grundl. Seite 16. Die unmittelbare Bestimmung des Willens durchs Gesetz, und das Bewusstseyn derselben heisst Achtung. — — Der Gegenstand der Achtung ist lediglich das Gesetz, und zwar dasjenige, das wir uns selbst, und doch als an sich nothwendig auferlegen. Als Gesetz sind wir ihm unterworfen, ohne die Selbstliebe zu befragen; als uns von uns selbst auferlegt, ist es doch eine Folge unsers Willens; und hat in der ersten Rücksicht Analogie mit Furcht, in der zweyten mit Neigung.

**) Seite 38. Die Abhängigkeit des Begehrungsvermögens von Empfindungen heisst Neigung. — — Die Abhängigkeit eines zufällig bestimmbaren Willens von Principien der Vernunft heisst Interesse.

***) Seite 17. Alles moralische so genannte Interesse besteht lediglich in der Achtung fürs Gesetz.

§. 37. Ad has vocum definitiones necesse est non segniter respondere; sunt enim, qui eo acutius cogitata, animadversaque putant, quo obscuriora sunt, quæ proferuntur, magisque remota a communi sentiendi, loquendique more. Lex homini obversatur, ejusque voluntatem stimulat, atque impellit eo etiam tempore, quo illam maxime violat. Quapropter falsum est, quod observantia legis (die Achtung) intelligatur tum, quando voluntas per eam determinatur, ejusque determinationis sibi conscia est. Illa legis & cognitio & existimatio præcedit electionem, decretumque volun-

luntatis humanæ. *) Multo etiam magis falſum eſt, quod voluntas ipſa ſibi eam legem imponat. Nam judicia mentis noſtræ, quæ legem exhibent, vi rationis proveniunt neceſſario, neque a voluntate pendent omnino: quæ dein conſequuntur impulſiones, ſuaſionesque de ſequenda lege, non magis voluntati ad laudem imputari poſſunt, quam indeliberati concupiſcentiæ motus ad reprehenſionem & peccatum. Equidem crediderim, Kantium in ea hæreſi eſſe, ut pravos motus concupiſcentiæ in veris, propriisque peccatis numeret, ſed iſtuc dudum manifeſtoque profligatum eſt a Theologis noſtris. Dein rationem puram jactitans in explicanda virtute delectationem quamlibet, inclinationem animi, propenſionemque voluntatis in virtutem refert ad ſolos ſenſus, & novo vocabulo *Intereſſe morale* memorat. Sed id quidem ad ſympathiam apte referimus, qua alienos caſus perſentiſcimus, etſi nihil ex iis commodi vel incommodi in nos redundet; tum certe aliena fortuna affici dicimur, ac ſi ad nos pertineret, & noſtra *intereſſet*, quidpiam eveniſſe, aut contra. Si quid vero nos ipſos attingit maxime, ſi nobis ſummæ curæ eſſe debet, & præcipui officii eſt, perabſurde dixero, id ſpectari a me, quaſi mea intereſſet: perabſurde item vir bonus & ſapiens ſua intereſſe judicat, aut in rationibus ſuis ducit, ne perturbationi ac deſperationi ſe det: ne ſibi vim inferat: ne parentes occidat: ne patriam prodat: ne ſtupra, adulteria, parricidia committat. Philoſophi quidem *bonum*, qua ad appetitum, ac voluntatem refertur, tripartito ſumunt, & jucundum, honeſtum, utile nominant; quod non eam vim habet, ac ſi id, quod honeſtum nuncupant, nihil jucunditatis, delectationis-

que aut contineret in ſe, aut, cum quis illo fruitur, admitteret. Delectatur enim mens noſtra cognitione veritatis: delectatur rerum ordine ac perfectione, perſpectoque nexu: tenetur contemplatione præſtantium ac novarum rerum: adficitur ſimilitudine, aptaque imitatione, uti ſiquod ectypon quam proxime accedere ad propotypon, aut hominum mores apte exprimi in ſcena videat. *Non hæc parva vis naturæ eſt* (Cicero de Officiis I. 4.) *quod hoc unum animal ſentit, quid ſit ordo, quid ſit id, quod deceat, in dictis factisque qui modus; itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit; quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis factisque conſervandum putat.* — *Forma quidem ipſa & tanquam facies honeſti, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores, uti ait Plato, excitaret ſui.* Ex his igitur delectatio & voluptas gignitur, quæ ad rationem tota pertinet. Talia enim probat mens rationis particeps: ea laudat: in iis contemplandis acquieſcit: eorum cognitione & memoria paſcitur; quod quid eſt aliud, quam ea delectabilia eſſe ſecundum rationem? Non igitur delectatio omnis ſenſibus adſcribi, & kantiano *ſenſualitatis* nomine infamari poteſt, quemadmodum Epicurei opinati ſunt, *animi voluptates & dolores naſci e corporis voluptatibus & doloribus*; & Epicurus ipſe *auſus eſt interdum teſtificari, ne intelligere quidem ſe poſſe, ubi ſit, aut quid ſit ullum bonum, præter illud, quod cibo & potione, & aurium delectatione, & obſcæna voluptate capiatur.* Cicero de Finib. I. 17. & II. 7.

§. 38.

§. 38. Hactenus de notione officii dictum est. Addam divisionem, quam Kantius attulit non ex instituto, sed quasi prætereundo, & exempli causa. Vulgo, inquit, statuuntur officia hominis erga se, & erga homines alios: item perfecta, & imperfecta; ac perfecta sunt, quæ nullam propensionis exceptionem, excusationemve admittunt. *) Non dicam, abscissis hoc quidem modo officiis erga Deum, præstantissimam eorum partem tolli, & quemadmodum Lactantius scripsit Lib. VI. c. 9. Div. Inst. *Justitiam proferri similem humano corpori caput non habenti, in quo, quoniam deest id, quod est omnium principale, & vita pariter & omnis sensus deficit* Quid quod sublata religione fundamentum omnium officiorum subvertitur; qua de re post paulo disseram. Nunc illud animadverto, si perfecta officia sunt, quæ nullam propensionis exceptionem capiunt, consequens est, ut imperfecta censeantur, in quibus propensioni affectionique voluntatis locus est. Nemini ergo nocendum, & auferendum est jus suum; quod perfecti officii est, quaqua in illum voluntate simus; sed quod ad imperfecta officia pertinet, ex doctrina Kantii benefaciendum, largiendumque iis est, in quos voluntatis propensione inclinamur. Hic enimvero dicendum: *Si salutaveritis fratres vestros tantum; quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt.* Matth. V. 47. Scripserat Tullius lib. 3. Offic. sæpe *idoneis* hominibus egentibus de re familiari impertiendum esse. *Quid est, idoneis?* exclamat Lactantius lib. 6. c. 11. *Nempe iis, qui restituere, ac referre gratiam possint. Verum hic aberrasti a vera justitia Marce Tulli, cum pietatis & humanitatis officia utilitate metitus es; non enim*

enim idoneis hominibus largiendum est; sed quantum potest, non idoneis, id enim juste, id pie, id humane fit, quod sine spe recipiendi feceris. — — Si virtus mercedem non exigit: si propter se, ut dicis, expetenda est; ergo justitiam, matrem, principemque virtutum, suo pretio, non tuo commodo æstima: ei potissimum tribue, a quo nihil speres: pro homine tibi sumendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putat. Largire cæcis, debilibus, & reliquis, quibus, nisi largiare, moriendum est: inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Hæc in kantianam philosophiam examussim cadunt.

*) Grundl. Seite 53. Ich verstehe hier unter einer vollkommenen Pflicht diejenige, die keine Ausnahme zum Vortheile der Neigung verstattet.

Caput VI.

Kantianum principium cognoscendae legis moralis.

§. 39. Inscripsi principium *cognoscendæ* moralis legis. Ad hanc enim significationem principii nomen paulatim detorquet Kantius non præmonito lectore; cum antea non aliud denotarit ea voce, nisi objectum formale, ut appellant, seu motivum, ex quo impleri lex debeat, nempe ipsius legis causa, aut ex observantia, & reverentia erga legem. Progressu autem tractationis novam eidem vocabulo subjicit notionem; quod ex iis, quæ dicturus sum hoc capite, manifestum fiet. Ac conqueritur in primis de perturbata, confusaque methodo, qua res morales adhuc tractatæ fuerunt

fuerunt a ſcriptoribus, qui nunc finem humanæ naturæ, alias perfectionem, nunc felicitatem, dein ſenſum moralem, tum etiam timorem ſupremi Numinis commemorant. *) Principia hæc omnia ad duas claſſes revocari poſſe docet; aut enim *empirica* ſunt; quo pertinet principium felicitatis, nixum ſenſu phyſico vel morali: aut *rationalia*; cujusmodi eſt principium perfectionis repetitum ex idea rationis, aut ex perfectione naturæ & voluntatis divinæ. Hisce omnibus rejectis novum videtur ſtatuere principium hac formula conceptum: *Age ex tali regula, quam velle potes evadere legem univerſalem.* **)

*) Grundl. Seite 31. Man darf nur die Verſuche über die Sittlichkeit in jenem beliebten Geſchmacke anſehen, ſo wird man bald die beſondere Beſtimmung der menſchlichen Natur, — bald die Vollkommenheit, bald Glückſeligkeit, hier moraliſches Gefühl, dort Gottesfurcht, von dieſem etwas, von jenem auch etwas in wunderbarem Gemiſche antreffen.

**) Ebendaſ. Seite 17. Es bleibt nichts, als die allgemeine Geſetzmäſsigkeit der Handlungen überhaupt übrig, welche allein dem Willen zum Geſetz dienen ſoll, d. i. ich ſoll niemals anders verfahren, als ſo, daſs ich auch wollen könne, meine Maxime ſoll ein allgemeines Geſetz werden. Seite 52. Der categoriſche Imperativ iſt alſo nur ein einziger, und zwar dieſer: Handle nur nach derjenigen Maxime, durch die du zugleich wollen kannſt, daſs ſie ein allgemeines Geſetz werde.

§. 40. Principium conſtitutum ſequentibus exemplis illuſtrat.

I.

I. Eſt non nemo calamitatibus quaquaverſus oppreſſus, qui, cum ipſe ſe amet, ut miſeriæ finem faciat, finire vitam cogitat. At rationis etiam tum compos, quid hominis erga ſe officium poſcat, exploraturus, in hunc modum ipſe ſe interrogat: poſſumne velle, ut hæc generalis ſtatuatur regula, qua cuivis ſuimet amore vitam liceat abrumpere, quæ majorem exhibet calamitatem, quam melioris fortunæ ſpem? Hac poſita generali interrogatione facile quivis videt, naturam ſecum ipſam pugnaturam, ſi ſenſum amoris ſui, quem ad vitam conſervandam ingeneravit, ad eandem extinguendam convertere juberet, ſineretve. *)

II. Eſt alius, qui ut anguſtis rebus atque inopiæ conſulat, pecunias mutuas elicere vult promiſſo vano, prævidens omnino, nunquam futurum, ut ſolvendo ſit. Poſſumne velle fas eſſe omnibus, circumvenire homines tali tempore? profecto nequit hæc eſſe lex generalis, neque enim ullus promiſſor fidem faceret præſtandæ ſolutionis, pecuniasque obtineret, ſi ficta promiſſio conceſſa omnibus eſſet. **)

III. Præclaris a natura dotibus exornatus quispiam mavult, voluptati atque otio ſe dedere, quam labore induſtriaque excolere naturales facultates. Fierine poterit, ut iſtuc deſidiæ luxuriæque propoſitum lex generalis ſit? Non eo quidem deſtruendam fore naturam, exempla probant eorum, qui inſulas maris meridionalis inhabitant. Sed ut idem generali lege concedatur, qui velit, reperies neminem, quivis enim perſpicacia rationis, qua pollet, mox intelligit, neceſſe eſſe, ut excolantur na-

turæ

turæ facultates; eoquod variis casibus consiliisque maximas utilitates afferre hominibus possint, debeantque. ***)

IV. Fieri potest, ut quis homines conspiciat maximis incommodis atque egestate conflictantes, ipse opibus pollens & opitulandi copia; qui quidem cogitet: equidem nemini quidquam de suo auferam: de meo autem ut largiar, in animum non induco. Talis sentiendi, agendique ratio ut lege generali constituatur, velle scilicet poterit? non poterit omnino id velle; quia usuvenire posset, ut ipse laborans inopia, atque alienæ opis indigus omnem sibi viam obtinendi subsidii hoc voluntatis decreto præcluderet. ****) Hæc Kantii exempla velim, ut probe expendantur; amplum enim differendi argumentum præbent de universa ratione, qua in fundanda Mephysica morum usus est. Primum eorum refertur ad *autochiriam:* alterum ad officium *perfectum negativum* erga alios: *neminem lædere;* tertium ad officium hominis *erga se* de usu ac perfectione virium corporis, animique; postremum denique ad *officia imperfecta* humanitatis, & beneficentiæ erga alios.

*) Grundl. Seite 53. Da sieht man aber bald, dass eine Natur, deren Gesetz es wäre, durch dieselbe Empfindung, deren Bestimmung es ist, zur Beförderung des Lebens anzutreiben, das Leben selbst zu zerstöhren, ihr selbst widersprechen, und also nicht als Natur bestehen würde; mithin jene Maxime unmöglich als allgemeines Naturgesetz statt finden könne, und folglich dem obersten Princip ganz widerstreite.

**) Seite 55. Denn die Allgemeinheit eines Gesetzes, dass Jeder, nachdem er in Noth zu seyn glaubt, versprechen könne, was ihm einfällt, mit dem Vorsatz, es nicht zu halten, würde das Versprechen, und den Zweck, den man damit haben mag, selbst unmöglich machen; indem Niemand glauben würde, dass ihm was versprochen sey, sondern über alle solche Aeusserung, als eitles Vorgeben lachen würde.

***) Seite 56. Als ein vernünftiges Wesen will er nothwendig, dass alle Vermögen in ihm entwickelt werden; weil sie ihm doch zu allerley möglichen Absichten dienlich, und gegeben sind.

****) Ebendas.. Denn ein Wille, der dieses beschlösse, würde sich selbst widerstreiten; indem der Fälle sich doch manche eräugnen können, wo er anderer Liebe und Theilnehmung bedarf, und wo er durch ein solches aus seinem eigenem Willen entsprungenes Naturgesetz sich selbst alle Hoffnung des Beystandes, den er sich wünschet, rauben würde.

§. 41. Exhibui sententiam Kantii de principio legis moralis: addidi exempla, quibus illustrare eandem nititur, ut jam ejus mens hac quidem parte obscura videri non possit. Ex his multa sunt, quæ confici ac concludi debent. Primum illud est, de principio ac veluti fonte legis ab eo differi hoc loco. Non enim jam docet, ex qua causa movente observari lex debeat, sed unde colligi ratione debeat, quidpiam concessum esse per leges, præceptum, aut vetitum, ceu in datis exemplis, concessum non esse homini, se ipsum perimere miseriæ finiendæ causa: vetita esse promissa fallacia, quibus alii exspolientur bonis suis: præscriptum esse, subsidia egentibus præstanda: imperatum esse studium ex-

excolendi perficiendique naturæ dotes, ne desiditorpescant. Qua rationum firmitate hasce moraales leges ex principio suo deducat Kantius, non quæro nunc. Deducit tamen, & mutato priore significatu quale sit *principium cognitionis* inquirit. Ob quam inconstantiam aliorum rejicit principia, ex quibus erui, & cognosci posse naturæ leges statuerunt; quamquam quæ improbat Kantius, verbisque rejicit, ut novi quidquam, nec a viris doctis adhuc adinventum videatur afferre, ipse re amplectitur, tenetque. Cur enim fas non esse docet, vi sibimet illata abrumpere vitam, unaque intolerabiles ærumnas? commemorat *fines naturæ*, quæ conservandæ vitæ causa incredibilem vitæ amorem cunctis animantibus ingeneravit. Cur natura vetita sunt promissa falsa, nec danda est fides, nisi liberandi animo? quia id poscit *societas humani generis*, quæ concessa illa perfidia turbaretur, ut jam nemo necessitati suæ posset consulere. Cur indigentibus subveniri præcipit? quia talis est *constitutio hominum* in hoc orbe, ut alteri in altero mutua vitæ præsidia sint constituta. Cur, excussa segnitie, corporis ingeniique vires adhibere ad laborem, usumque necesse est? quia hanc *perfectionis necessitatem legemque* hominibus imposuit ipsa natura, *quæ*, ut Tullius ait de finibus V. 22. *dedit talem mentem, quæ omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum, & quasi instituit docere, & induxit in ea, quæ inerant, tanquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. Itaque nostrum est (quod nostrum dico, artis est) ad ea principia, quæ accepimus, consequentia exquirere.* — — Igitur in fines naturæ, in constitu-

tionem generis humani, in ſocietatem hominum, in perficiendæ naturæ neceſſitatem, aliaque iſtiusmodi cognoſcendæ legis principia argumentando revolvitur, quæ paulo ante reprehenderat, abjiciendaque putavit.

§. 42. Proximum eſt, ut inquiram, de ipſo principio kantiano quid cenſeri debeat: *ſic age, ut actionis regula lex univerſalis eſſe queat*, ſive ut velle poſſis, tuam agendi regulam evadere legem pro omnibus, non hominibus tantum, ſed naturis univerſis, in quibus intelligentia & ratio ineſt. Equidem ſic exiſtimo, qua parte admitti quoquo modo iſtuc principium poteſt, novum haud eſſe: qua vero novum eſt ex quodam additamento, approbari minime poſſe. Si in hunc modum pronuntiaſſet Kantius, *id naturæ lege præceptum eſt, vel prohibitum, quod ad felicem ſtatum naturæ humanæ ſimpliciter expedit eſſe præceptum vel prohibitum, licitum vel illicitum*, id ferri poſſet, nec eum reprehenderem; at repetiiſſet nempe illud, quod a compluribus Theologis ac Jureconſultis dudum excogitatum, tritumque fuit, qui hanc præterea adjunxerunt regulam provida ſane cautione, qua uſus non eſt Kantius: *Id autem omne ſimpliciter expedit, in cujus licentiam vel prohibitionem homines conſenſiſſent, ſi ante omnem caſum particularem ab auctore naturæ requiſiti ſuffragium tuliſſent.* (Ignat. Schwarz in Inſtit. Juris univerſ. Nat. Tit. II. de lege naturali, ejusque cognoſcendæ principio.) Ex horum igitur ſententia ſic efferendum erat principium generale: ſic age, ut, quod tibi conceſſum eſſe, præceptum aut vetitum ſumis, idem aliis omnibus pariter conceſſum, præceptum,

aut

aut vetitum esse, cogitare possis, debeasque. Atque hæc quidem sententia directo respexisset leges & facultates ex natura profectas, omnibus hominibus communes & universales, sive ut Kantius loquitur, hæc sententia continuisset principium objectivum omnibus æque propositum; habuissetque id commodi, ut ex nostris de actionibus aliorum judiciis judicare de nobis, nostrisque actionibus disceremus. *Fit enim nescio quo modo* (Cicero de officiis I. 41.) *ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, siquid delinquitur.* Sed Kantius non tam communem *legem* respici agendo voluit, sed actionis *regulam* esse communem vult. Quid intersit inter hæc duo, inter legem & regulam, sive ut ait, inter principium objectivum & subjectivum, ipse explicat, uti exscripsi §. 13. Lex quidem omnibus pariter, uni æque, ac alteri concedit quidpiam, præcipit, vetat: regula præter propositam communem legem continet præfixos actioni fines, consiliaque, rationes item ad agendum impellentes, quas causas impulsivas vocant. Atque hæc quidem manente eadem lege omnino mutabilia sunt & varia in aliis atque aliis, atque in eodem, qui agit quidpiam, varia pro temporum varietate. Cum enim homo ipse regat actiones suas, sibique & saluti suæ consulere animi corporisque viribus debeat, consequi necesse est, ut, salva perpetuo honestatis lege, aliud atque aliud spectare agendo, aliosque proponere fines cogatur, alias item atque alias rationes, quibus ad agendum impellatur, præ oculis habere possit fatente ipso Kantio. *) Ita cuivis concedit natura parare opes honestis artibus; at qui eo utuntur jure, quam disparia habent consilia? alius quidem satisfacere creditoribus heredi ta-

riis cogitur: eſt, qui familiam alit: eſt, qui amicis, qui egentibus largiri de ſuo cupit. *Neque enim*, ut Tullius ait de Offic. **III.** 15. *ſolum nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ: ſingulorum enim facultates & copiæ divitiæ ſunt civitatis.* — „*Standum* „*eſſe conventis*, regula eſt illuſtris (Lockius de „Int. hum. **I.** 3.) de qua in morali philoſophia inter „omnes convenit. Si tamen *Chriſtianus*, cui ſem„piterna beatitudo aut cruciatus in ævo venturo ob „oculos verſatur, interrogetur, cur promiſſa ſint „ſervanda, rationem eam reddet: quoniam nimi„rum Deus, a quo vitæ & mortis æternæ arbitria „pendent, hoc a nobis poſtulat. Si vero *Hobbe*„*ſii diſcipulus* rogetur, ut veritatis iſtius rationem „exponat, reſpondebit: quia neceſſarium eſt ad „devinciendam hominum inter homines ſocietatem; „&, qui ſecus facit, pœnas reipublicæ luere coge„tur. Si e veteribus iſtis *Ethnicis Philoſophis* ali„quem ea de re quiſpiam interrogaret, reſponde„bit: quia ſecus faciens agit inhoneſte, haud dig„nitatem hominis ſervat, contra virtutem peccat, „quæ naturæ humanæ ſumma eſt perfectio.“ Similiter qui flagitiorum, quæ patrarunt, conſcii ſunt, ducti dein pœnitentia, ea deteſtari poſſunt, ſolentque ex aliis atque aliis rationibus, vel ob ipſam ſcilicet eorum turpitudinem, aut ſtudio evitandi gehennæ ignes, aut amore Numinis, timoreque reverentiæ pleno. Ex quibus ſatis jam conficitur manifeſto, nec velle homines, nec velle prudenter poſſe, ut eadem omnes utantur actionum *regula* (ſenſu kantiano accepta) etſi eandem omnes *legem* agnoſcant, eidemque pariter ſubeſſe velint.

*)

*) Grundl. Seite 41. Man kann ſich das, was nur durch Kräfte irgend eines vernünftigen Weſens möglich iſt, auch für irgend einen Willen als mögliche Abſicht denken, und daher ſind der Principien der Handlung, ſo fern dieſe als nothwendig vorgeſtellt wird, um irgend eine dadurch zu bewirkende mögliche Abſicht zu erreichen, in der That unendlich viel.

§. 43. Adducto jam kantiano principio, propoſitisque exemplis, quibus ipſe utitur, multa ſe offerunt, in quibus non verſari tantum oratio mea, ſed exultare quodammodo, & triumphare poteſt: tam aperte enim in oculos omnium jam incurren- incredibiliter abſurda, quæ in chartam projecit Kantius. Promiſerat officia ſe quædam commemorat turum hominum erga ſe, aliosque. Selegit ex iis bina negativa de vitanda autochiria, promiſſione item fallaci in commercio hominum inter ſe: bina itidem affirmativa de ſubſidio egentibus præſtando, curaque excolendi naturæ dotes. Ac horum etiam officiorum ipſa fundamenta, rationesque patefacere conatus eſt. Vix tum id ſcribendo perfecerat, lectores monet, ne veritatem principii a ſe propoſiti ex ſingulari naturæ hominum conſtitutione derivare adlaborent: officium in practica abſoluta actionis neceſſitate conſiſtere, & communiter pertinere ad omnes naturas rationis participes, in quas rationis imperium caderet, ob eamque communem cauſam pro humana etiam voluntate vim legis id habere. *) Quas, obſecro, naturas rationis participes Kantius ſomniavit, quibus lege morali, abſolutaque neceſſitate interdictum eſſet, violentas ſibi manus inferre calamitatis finiendæ cauſa, & circumvenire ſe mutuo fallacibus promiſſis? quas fin-

xit naturas inopes, quibus ſubveniri ab æqualibus poſſit, debeatve? an pauperculos dæmonas a ditioribus adjuvari vult? Quibus dein naturis ratione præditis rudem adoleſcentiam affinxit, quæ artibus informari, induſtriaque & labore excoli queant? Veritatem principii ſui ex ſingularibus affectionibus naturæ humanæ repetendam eſſe negat. At unde demum repetit ipſe? Nonne naturalem propenſionem tuendi corporis, membrorum ac vitæ commemoravit? quid naturæ humanæ magis proprium eſt? Nonne ad fidem promiſſorum, pactorumque inter homines firmitatem provocavit? quas alias naturas fidem mentiri vetat? Sed explicet prius Kantius, quomodo naturæ participes rationis quidem, ſed corporis expertes confabulentur inter ſe; quomodo cogitata ſua aliæ aliis nunc occultent; ac tum capiemus kantianum de mendacio interdictum. Neceſſitas excolendi naturales dotes nonne in naturam humanam, ejusque longam infantiam & nativam ruditatem maxime cadit? quas ergo alias officiorum rationes ipſemet protulit, niſi ex intima conſtitutione naturæ hominum erutas, protractasque?

*) Grundl. Seite 59. Es iſt von der äuſſerſten Wichtigkeit, ſich dieſes zur Warnung dienen zu laſſen, daſs man es ſich ja nicht in den Sinn kommen laſſe, die Realität dieſes Princips aus der beſonderen Eigenſchaft der menſchlichen Natur ableiten zu wollen. Denn Pflicht ſoll practiſch-unbedingte Nothwendigkeit der Handlung ſeyn; ſie muſs alſo für alle vernünftige Weſen (auf die nur überall ein Imperativ treffen kann) gelten, und allein darum auch für allen menſchlichen Willen ein Geſetz ſeyn.

§. 44.

§. 41. Nunc ventilandum eſt, quod Kantius hoc loco monet, & ante ſæpius, & poſtea iterum iterumque, ut pene utramque paginam ſcriptitando impleat hisce verbis: ideæ morales *a priori* originem habent, ſedemque ſuam in ratione pura: nihil *experientiæ* adſcribendum, ſed totum *rationi puræ*: nihil *ab exemplis*, ſi honeſtum inquiritur, deſumendum. *) Atque in his conſiſtit id, quod maxime proprium eſt philoſophiæ kantianæ, quodque perpetuo ad faſtidium jactatur, ſed nullo explicatur loco, ſatisve definitur; & qua parte approbari poteſt, otioſum eſt plane, nec quidquam momenti adfert ad inveniendam veritatem, vel cum aliis communicandam; perinde ac ſi ambulantes moneret identidem Kantius, pedibus greſſum fieri, non agitatione manuum; quod admonente nemine norunt omnes. Quis enim unquam id, quid conceſſum ſibi, quid præceptum, vetitumve judicare debeat, olfactu exploravit, vel contrectatione? quis palato deguſtare, aut oculorum acie, arrectisve auribus comperire ſtuduit id, quod ratione ſua perſpexit? quis naturæ jura, quæ vera propriaque cenſuit, ſenſibus metitus eſt, niſi forte ſimilitudine quadam deſignare voluerit Ulpianum illud jus, quod natura omnia animalia docuit? Siquid honeſtum dicimus, ſi natura nobis conceſſum, ſi præceptum, vetitumve, id judiciis continetur, quibus affirmamus quidpiam aut negamus, minime autem in ſolis ideis, ſeu prima & ſimplici mentis apprehenſione ſitum eſt. At qui judicium ferri poteſt, niſi præſto ſint ideæ, quas comparamus inter ſe, & affirmando conjungimus, negando ſeparamus? Quæro nunc, in ideis rerum moralium nullamne penitus partem habeat experientia, nullam ſenſus externi,

nullam internus seu intimus, quo affectionum mentis nostræ, atque eorum, quæ intus in animo contingunt, conscii sumus, primasque notitias accipimus? Ipse Kantius, quæro, an totum rationi puræ attribuere potest? Negat, concessum natura esse homini, semet vita exturbare; eoquod natura incredibilem amorem propensionemque tuendæ vitæ nobis ingeneraverit. Ideam quidem humanæ cædis, ideam item naturalis propensionis, quam intime persentiscimus, rationi puræ non adscribet Kantius. At lex, inquit, prohibens humanam cædem, quæ cum naturali propensione pugnat maxime, ex ratione pura est. Haud dubie. Igitur objecta legis, actionesque humanæ experientia, sensibusque innotescunt, aut ex ideis inde acceptis & conformantur, & cognoscuntur; secus ratio de honestate actionum vel turpitudine judicare haud posset. Non ergo totum rationi puræ adscribere potest Kantius, qui negat, vi rationis vel objecta legum, vel ea, quæ in sensu quodam propensionis sita sunt, cognosci aut inveniri posse. **) Dein cur legem moralem *a priori* intelligi affirmat? forte quod ratio illam protrudat immediate, non ex aliis præcognitis veritatibus concludat? Falsissimum id est; nulla est enim regula vel lex moralis, cujus fundamentum, deductioque non ex theoretica veritate quadam assignari, repetique debeat; quod ab ipso Kantio factitatum est, ut ex theoreticis veritatibus de natura hominis, de finibus propensionum, de possibilitate casuum variorum, in quos incidere homo potest, suas derivarit leges. (§. 40.) Sed idem innumeris exemplis, atque adeo generali inductione confirmari potest. Ut proinde æque falsum sit, quod itidem

itidem, docet Kantius, præ theoretica ratione præstare, atque eminere practicam. ***) Cur ergo (cogor enim iterato quærere) cur legem moralem *a priori* intelligi affirmat? legem quidem, qua autochiriam docet vetitam, ex naturali vitæ amore, propensoque eam conservandi studio repetit: istiusmodi naturales propensiones sola experientia, non ratione cognosci docet. Legem igitur suam non ratione a priori, sed ratione a posteriore, seu ab experientia repetit. Similiter leges illas morales, quæ hominem homini opitulari, & naturæ vires jubent excolere, ea ex veritate theoretica derivat Kantius, quod sæpe casus incidant, quibus alienæ opis homo indiget, aut quibus aptius consulet rebus suis, si disciplinis, artibus, opificiis excoluerit naturam, quam si imperitus, bardus, stupidus desidiæ se dediderit. Quæro iterum, hasce ipsas theoreticas veritates, tanquam fontes practicarum legum unde discet homo? haud certe ex ratione pura, atque a priori, sed experientia, ipsoque usu vitæ, quo innumeras cognitiones paulatim colligimus, quin singulari studio ac meditandi labore opus sit. Videant ergo, & expendant Kantiani pedissequi, quem doctrinæ fructum adhuc ceperint, aut quem in cognitione veritatis fecerint progressum ex eo, quod de *ratione pura*, ac de notitiis illis *a priori* inculcare non desinit Kantius.

*) Grundl. Seite 34. Alle sittliche Begriffe haben ihren Ursprung und Sitz völlig a priori in der Vernunft. Seite 32. Man läſst sich nicht einfallen zu fragen, ob auch überall in der Kenntniſs der menschlichen Natur (die wir doch nur von der Erfahrung herhaben können) die Principien der Sittlichkeit zu suchen seyn, und wenn dieses nicht ist, wenn die letzere völ-

lig a priori, frey von allem Empirischen, schlechterdings in reinen Vernunftsbegriffen, und nirgend anders, auch nicht dem mindesten Theil nach, anzutreffen seyn, den Anschlag zu fassen, die reine practische Weltweisheit, als Metaphysik der Sitten ganz abzusonderen. Seite 29.

**) Seite 122. Die Vernunft kann für sich allein weder Objecte des Willens, noch ein besonderes ihm zum Grund liegendes Gefühl ohne Erfahrung ausfindig machen.

***) Seite 21. Man kann es nicht ohne Bewunderung ansehen, wie das practische Beurtheilungsvermögen vor dem theoretischen in dem gemeinen Menschen Verstand so gar viel voraus habe. In dem letzteren, wenn die gemeine Vernunft es wagt, von den Erfahrungsgesetzen und den Wahrnehmungen der Sinne abzugehen, geräth sie in lauter Unbegreiflichkeiten, und Widersprüche mit sich selbst, wenigstens in ein Chaos von Ungewissheit, Dunkelheit, und Unbestand. Im practischen aber fängt die Beurtheilungskraft denn eben allererst an, sich recht vortheilhaft zu zeigen, wenn der gemeine Verstand alle sinnliche Triebfedern von practischen Gesetzen ausschliesst.

§. 45. Unum hoc loco superest, quod silentio prætermittere ac sine reprehensione non possum. Iis, ait Kantius, qui honestatis leges pro ludibriis habent humanæ imaginationis, nihil optabilius pro confirmando errorre potest accidere, quam siquis officiorum notiones ab experientia proficisci contendat; quod quidem de aliis pariter notionibus ideisque, commoditatis scilicet gratia, affirmari solet. *) Quis unquam ab experientia derivare conatus est hæc rationis pronuntiata: fas non est, mendaci promisso circumvenire creditorem: aut semet vitæ tædio, neci dare: necesse est, egentibus opem ferre: excolere naturæ faculta-

tes?

tes? quis ea ſenſibus externis, quis intimo adſcripſit? Quis ſimilia eadem hisce pronuntiatis docuit: corpora ſunt gravia: fluida in omnem partem premunt: elaſtica ſe reſtituunt in priorem formam? Sed quid eſt o Kanti, quod mente volvis, cum hasce voces *fallax promiſſum*, aut *mendacium* ore profers? Equidem minime dubito, notionem fallacis promiſſi, mendaciive eſſe complexam, quæ ex ſimplicibus conformata eſt, quarum ſingulæ ſenſu quodam externo, intimove primum advenerunt. Cogitas 1. ſonos articulatos: 2. certas ideas, aut certum voluntati propoſitum in animo ejus, qui loquitur, ac promittit: 3. voces harum idearum, aut iſtius propoſiti notas: ſed 4. voces ſignificantes oppoſitum ejus, quod in animo loquentis ineſt. Hæc quidem mendacii, aut mendacis promiſſi notio non magis a priori eſt, aut ex ratione pura profluit, quam repræſentatio diſcoloris togæ. Sed, inquis, lex illa rationis: Fas non eſt, mentiri: ſemet interimere: item neceſſe eſt, opitulari aliis, perficere naturæ dona; hæ rationis leges a priori ſunt, ex ratione pura ſunt. At hæ rationis leges non ſolis jam notionibus, ſed judiciis comprehenduntur, quibus adfirmatur, quid fieri fas & honeſtum ſit. Quomodo hæc judicia *a priori* eſſe comperta doces, cum eadem ex propenſionibus a natura datis, experientia nempe magiſtra perceptis, & ex variis caſibus, qui incidere in vitam humanam poſſunt, ipſe ratiocinando concludas & confirmes? Igitur ex theoreticis veritatibus ab experientia ſeu a poſteriore cognitis practicas illas veritates, quas tu leges nuncupas, deduxit ratio tua, qua earundem veritatum inter ſe nexum & conſecutionem perſpiciebas. Quæ eſt enim ea humanæ mentis facul-

facultas, quam rationem nuncupamus? *Per quam* nempe, ut Tullius ait Offic. I. 4. *homo consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atque annectit futuras: facile totius vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias.* Sed dices, notio *necessitatis*, in qua officii vis sita est, a priori oritur in nobis, atque ex ratione pura. Non dicam nunc (quia alius id locus exspectat) ipsum te ignorare, qualis sit, & cujusmodi illa necessitas legis moralis. Hoc ergo scíscitor, necessitatis notionem num generatim, ac semper a priori ortam doceas, an aliquando tantum, vel in re morali sola? Videt architectus necessitatem hoc, illove modo construendi operis aut substruendi, ne corruat. Videt medicus necessitatem adhibendi ægro medicamenta emollientia, refrigerantia, aut confortantia, ut malo medeatur. Quid ergo? A priori *necessitatis* hujus notionem provenire statues? oculis quidem, vel auribus, olfactu, palato, tactu, aut perceptione intima non ingeritur nobis *necessitatis* notio. Quæ est ergo vis isti vocabulo subjecta? quæ mentis cogitata exprimimus, cum illo utimur? Perspicimus scilicet connexionem rerum, quæ in eo consistit, ut uno posito alterum consequatur; atque ad hanc dein perspicientiam & connexionem necessitatis vocem adhibemus, quæ quidem minime rem novam, & a rebus ipsis, quarum connexionem perspicimus, penitus distinctam exhibet, sed ad ipsas refertur tota, seu, ut in disciplinis loquimur, relativa est. De necessitate illa, quæ inest in morali lege, infra, ut dixi, differam. Sed tu o Kanti, qui satis habes, jactitare perpetuo priori-

ritates illas tuas, puritatemque rationis, neque novam veritatis inveniendæ viam monſtras, neque quidquam affers omnino, quo veritas cognita illuſtretur, dicere tamen audes, *commoditatis gratia, laborisque faſtidio* fieri, ut ideæ rerum ſenſibus atque experientiæ adſcribantur. At quem tu quidam laborem in eo collocaſti, ut centies rationem puram, cognitionesque a priori nominares? quas complicatas notiones explicaſti iis vocibus? quas relationes detexiſti? quas primas idearum origines oſtendiſti? Nonne igitur jure appellavi *otioſas* voces illas tuas, nihilque habere momenti dixi ad inveniendam veritatem quampiam, aut communicandam cum aliis?

*) Grundl. Seite 27. Man kann denen, die alle Sittlichkeit, als bloſses Hirngeſpinſt einer durch Eigendünkel ſich ſelbſt überſteigenden menſchlichen Einbildung verlachen, keinen gewünſchteren Dienſt thun, als ihnen einzuräumen, daſs die Begriffe der Pflicht (ſo wie man ſich auch aus Gemächlichkeit gerne überredet, daſs es auch mit allen übrigen Begriffen bewandt ſey) lediglich aus der Erfahrung gezogen werden müſsten.

Caput VII.

Judicium Kantii de principiis aliorum.

§. 46. Principiorum de morali lege genera duo facit Kantius; alia *Empirica* vocat, alia *Rationalia.* Ad empirica refert principium felicitatis, & ſenſum moralem. Rationalia collocat in perfectione, quam aut ſibimet comparat homo ex idea

idea rationis, aut quam tribuit naturæ infinitæ, divinæ nempe voluntati, qua voluntas ad honeste vivendum moveri debeat. Empirica principia universe rejicit. Si enim ultima legis ratio ex singulari constitutione naturæ hominum, aut ex statu derivatur, in quo ea posita est, fieri non potest, ut lex *universalis* sit; cum non pertineat ad omnes naturas rationis participes, neque ut *absolutam contineat necessitatem*; quia ab experientia pendet. Ac principium quidem felicitatis præ aliis rejiciendum docet, tum quod falsum sit omnino, atque experientiæ repugnans, quasi virtutis comes fortuna prospera semper esset, ac qui honeste, justeque vivit, continuo etiam belle, beateque haberet se, tum quod ad honestatem nihil plane conferat; cum aliud sit, virum probum formare, aliud, efficere beatum; ac postremo quia felicitatis ratio ea suppeditat virtutis incitamenta, quæ ejus dignitatem lædunt, eamque ipsam subvertunt potius, quam adjuvant. Paria enim virtutis vitiique incitamenta proponuntur, eo solo discrimine, quod vir probus adcuratius ineat rationes felicitatis suæ, quam sceleratus & improbus. *)

*) Grundl. Seite 89.

§. 47. De felicitate hominis aut beatitate locis aliis hæc tradit, quæ sequuntur. *Primo.* Ut quisque consulat saluti & felicitati suæ, officii est, saltem *indirecti*. Qui enim sorte sua contentus non est, curis anxiis, ac desideriis, quibus satis non fecit, facile avocatur ab officio; ac quivis etiam impulsu naturæ, ut beatus sit, ex animo cupit, vehementerque; quidquid enim uspiam desiderabile est, una felicitatis idea comprehendit. *) *Secundo.*

Vaga

Vaga eſt felicitatis notio, ut homines, quantumvis eam expetant, quid optent reipſa, definire certo non poſſint; eoquod partes, & veluti elementa, ex quibus conflata eſt felicitatis notio, empiricæ ſint, id eſt, ab experientia derivatæ: eadem tamen requirit totum abſolutum, ſeu quod maximum eſt ac ſummum in proſperitate & præſentis & futuri ſtatus. Ac iſtuc a natura etſi perſpicaciſſima, quæ infinita non ſit, definiri non poteſt. Si divitiis inhiet homo, quantas ſollicitudines, quantam invidiam, quas inſidias ſibi comparabit? Si rebus cognoſcendis ſtudet, forte mala & miſerias deteget, quas ante non perſpiciebat, rebusque pluribus egere ſe deprehendet, cum nec præſentia deſideria valeat explere. Longam vitam exoptabit? nempe longam ſubiturus moleſtiam. Sanitatem poſcet? at quoties affecta valetudo libidini obſtitit. **) *Tertio.* Natura rationem, ac voluntatem non ob eam proprie cauſam hominibus impertit, ut ſaluti, ut incolumitati, ut beatitati ſuæ provideant. Id enim immiſſo inſtinctu citius certiusque fuiſſet conſecuta; ac experimur, eo longius homines a pacato & tranquillo animi ſtatu abduci, quo diligentius excolunt rationem fruendæ vitæ & felicitatis cauſa. Conceſſa ergo nobis ob eam duntaxat cauſam eſt ratio, ut ea voluntatem noſtram efficeremus bonam. ***)

*) Grundl. Seite 11. Seine eigene Glückſeligkeit ſicheren, iſt Pflicht wenigſtens indirect. Denn der Mangel der Zufriedenheit mit ſeinem Zuſtande, in einem Gedränge von vielen Sorgen, und mitten unter unbefriedigten Bedürfniſſen, können leicht eine groſse Verſuchung zu Uebertretung der Pflicht werden. Aber auch ohne hier auf Pflicht

Pflicht zu sehen, haben alle Menschen schon von selbst, die mächtigste und innigste Neigung der Glückseligkeit; weil sich gerade in dieser Idee alle Neigungen zu einer Summe vereinigen.

**) Seite 46. Der Begriff der Glückseligkeit ist ein so unbestimmter Begriff, dass, obgleich jeder Mensch zu dieser zu gelangen wünscht, er noch niemals bestimmt, und mit sich selbst einstimmig sagen kann, was er eigentlich wünsche und wolle. Die Ursache davon ist: dass alle Elemente, die zum Begriffe der Glückseligkeit gehören, insgesammt empirisch sind, das ist, aus der Erfahrung müssen entlehnt werden, dass gleichwohl zu der Idee der Glückseligkeit ein absolutes Ganze, ein Maximum des Wohlbefindens in meinem gegenwärtigen, und jedem zukünftigen Zustande erforderlich ist. &c.

***) Seite 4. 5. Wäre an einem Wesen, das Vernunft und Willen hat, sein Wohlergehen, mit einem Worte seine Glückseligkeit, der eigentliche Zweck der Natur, so hätte sie ihre Veranstaltung dazu sehr schlecht getroffen, sich die Vernunft des Geschöpfes zur Ausrichterinn dieser ihrer Absicht zu ersehen. Denn — jener Zweck würde weit sicherer durch Instinct erhalten werden, als es jemals durch Vernunft geschehen kann. — — In der That finden wir auch, dass je mehr eine cultivirte Vernunft sich mit der Absicht auf den Genuss des Lebens und der Glückseligkeit abgiebt, desto weiter der Mensch von der wahren Zufriedenheit abkomme.

§. 48. Propositæ jam de felicitate sententiæ Kantii discutiendæ nunc sunt. Principium felicitatis ante alia omnia principia de lege morum rejiciendum asserit. At felicitatem tanquam metam ultimam actionum omnium spectandam esse, & ductu ipso naturæ spectari necessario alii Philosophi docent

docent omnes, ne exceptis quidem Stoicis, qui in ipsa virtute beatam vitam collocarunt, eamque satis præsidii ad beatitatem habere opinati sunt, nec aliam philosophandi causam esse hominibus censuerunt, nisi ut beati sint. Quid enim uspiam appetit homo, aut quid appetere per naturam potest, nisi quod bonum reipsa est, aut boni speciem habet, aut beatitatis quandam particulam videtur continere? Sed Kantius id rejicit; quia *empiricum* est, a sensibus nempe petitum, & sensibus nixum. Ita is quidem verbis tradit, uti alia omnia in hoc genere, sed argumentis nullis. Qui felicitatis principio utuntur pro eruendis morum legibus, felicitatem intelligunt naturæ hominis consentaneam, quæ & sensibus instructa est, & multo præstantiore intelligentiæ & rationis facultate exornata. Nemo autem philosophorum, præter eos, quos Horatius Epicuri de grege porcos nominat, felicitatem solis sensibus, eorumque titillatione æstimarunt. Si empiricum est felicitatis principium, eoquod sæpe res attingat sensui cuidam subjectas, erit etiam lex virtutis empirica; quia & virtus & virtutis lex in iis expetendis, fugiendisve se exerit maxime, quæ percipiuntur sensu quodam, vel ad perceptionem cujusdam sensus externi, internive revocari demum possunt; cum præsertim, qui felicitatem proponunt tanquam fontem legum, Deum respiciant in primis; Kantius a virtutis lege illum excludat, nihilque de officiis erga Deum commemoret in fundanda sua metaphysica morali. Sed videamus, utrumne totum empiricum sit principium felicitatis illius, quam Kantius velut per transennam prætereundo nobis exhibuit, parum ab epicurea distantem. Partes illius seu elementa re-

censet hæc, opes, cognitiones rerum, scientiasque, corporis valetudinem, vitam longam. Quæro in primis, rerum cognitioni ac perspicientiæ studere, ac dedere se, anne empiricum censet? Dein fac, hominem felicitatis suæ causa opes quærere & accumulare velle. Quid! totumne id empiricum est? auri inquit, & argenti fulgor oculos perstringit. At non istuc quærit homo cupidus, quod ipsum intuendo res alienas, quæ ex auro argentoque conflatæ sunt, facile consequeretur. Quid spectat igitur, quid tam avide, tantisque laboribus consectatur? jura nimirum proprietatis, & possessionis, quibus incubare gestit. At jura hæc anne empirica sunt, & sensibus comperta, anne communia bestiis perinde, ac homini? Kantius tamen adeo pro certo habet, empiricum esse principium felicitatis, ut de argumentis conquirendis nihil laborarit: una tamen fatetur, ejus felicitatis notionem magnopere esse complicatam, compositamque. Quo ergo sensu tam complexa notio illabitur in animum? nihil scilicet ingenii acumen, vis rationis, contentio cogitandi in ea componenda adjuvat? Est, inquit, idea imaginationis. *) Ita velut ex tripode pronuntiat nulla facta inquisitione, nulla adhibita probatione. Non disputabo nunc, utrum partes singulas, seu ut vocant, partiales ideas, ex quibus coagmentatur felicitatis notio, præsentes sistere possit imaginatio, quando de curanda felicitate sua meditantur homines, qualis qualis obtineri mortali hoc statu potest. Sed propositis iis partibus necdum confecta res est, neque felicitatis notio conflata. Ea est enim natura bonorum in hac vita, ut qui ad unum illorum adjicit animum, renuntiare aliis non paucis cogatur,

eodem-

eodemque tempore ſubire mala & moleſtias certas, periculaque bonorum aliorum; atqui non imaginationis, ſed intelligentiæ, ſed rationis eſt diſpicere, quid præferri, quid abjici debeat: quis in his tenendus modus, in aliis ordo; quo velut lucro compenſari queat aliorum jactura; qua via evitari aut minui incommoda: qua cogitatione obfirmandus ſit animus ad moleſtias exantlandas, quæ a perſequendo fine, quem propoſitum quis habet, abeſſe non poſſunt. Atque hæc quidem, ne omnia congeram, perſpicue demonſtrant, minime empiricum nuncupari poſſe felicitatis principium, neque ejus notionem imaginationi adſcribi.

*) Grundl, Seite 47. Glückſeligkeit iſt nicht ein Ideal der Vernunft, ſondern der Einbildungskraft.

§. 49. Sed *vaga eſt notio felicitatis*, inquit Kantius, eoquod ignoret homo, quid ſibi expediat ad felicitatem, & præ rebus aliis optabile ſit. Reſpondeo. Diſpulſis jam dudum craſſæ ſuperſtitionis tenebris, atque inſanis erroribus de cultu falſorum numinum, poſteaquam ipſa humana ratio quodammodo expergefacta eſt Evangelii luce, minime incerta & vaga felicitatis notio dici poteſt, niſi iis fortaſſis, qui magis tenebras diligunt, quam lucem. Nam certum plane, & definitum eſt, beatitatem hominis non conſiſtere in caducis bonis præſentis vitæ, non opibus & potentia, non honore & nominis gloria, non voluptatibus ſenſuum, non artibus & ſcientiis; ſive ſingilatim hæc ſumas, ſive conjunctim velut in cumulo. Quomodo igitur vaga felicitatis notio? Dein certum plane ac definitum eſt, beatitatem non in ipſa etiam virtute & ho-

neſtate morum eſſe ſitam, quia virtus non ipſa eſt beatitas, ſed effectrix & mater beatitatis, ſi genuina ſit, & ſolo nomine non ſplendeſcat; quemadmodum pugna non ipſa eſt victoria & pax, nec navigatio portus, nec peregrinationis labor patria, nec curſus meta. Quomodo vaga felicitatis notio? Certum etiam ac definitum eſt, beatitatem naturæ intelligentis quocunque ejus ſtatu non aliam eſſe poſſe omnino, niſi quæ in cognoſcenda, atque admiranda, & amanda infinita Dei perfectione, bonitate, pulchritudine conſiſtat. Quomodo ergo vaga felicitatis notio? Certum præterea ac definitum eſt, beatitatem intra hanc vitam, ejusque anguſtos terminos minime conſtringi, eam ipſam mortali hoc ſtatu imperfectam & mancam eſſe, atque in colendo Deo optimo maximo, animique erga providentiſſimam ejus gubernationem ſubjectione, ac ſpe melioris, & ſempiternæ vitæ conſiſtere. Quomodo igitur vaga eſt felicitatis notio? Si fortunæ notio diceretur vaga, uti ea hominum ſermone celebratur, ferri id poſſet; cum aliud non denotet, niſi mobilitatem humanarum rerum, caſuumque proſperorum adverſorumque viciſſitudinem, quæ fere nec præviſa hominibus nec præcauta eſt. At ob id felicitatis notio vaga, incertaque non fit; cum viciſſitudo illa & varietas rerum in ipſa gubernatione providentiſſima, animique ad eam ſequendam præparatione jam contineatur. Si ventorum marisque ſtatus nec in notitia navigantium, nec poteſtate ſit, non continuo vaga navigationis, proveſtionisque ad portum notio eſt. Quando felicitatem nobis propoſuit Deus optimus, conditor ac gubernator rerum nihil vagum incertumque promiſit, non fortunam inſtabilem conſectari juſſit,

nec

nec animum humanum a rebus fluxis pendere voluit.

§. 50. Ut quisque felicitati suæ, sibique consulat, officii saltem indirecti est, ait Kantius. Cur indirecti, obsecro? Quia soli virtuti directo studet vir honestus: a virtute autem ne avocetur, curandum est, ut sorte sua contentus vivat, nec curis, & desideriis vexetur, quibus necdum satisfecit. Explere igitur desideria debet? o virtutem Stoicam, gravitatis & sapientiæ plenam! Scimus sane, qualia in humanis cordibus erumpant desideria, hæc explenda sunt virtutis causa. Quid est hoc aliud, nisi cupiditatibus indulgendum esse, virtutis nempe causa. Quid aliud Epicurus præciperet? Si honesta, si rationi conformia, si naturæ intelligenti consentanea intelligit desideria; cur ea explere indirecti officii est, non directi? quod ratio exigit, instar legis est, cui directo ac per se est parendum. Sed ratio, inquit, non felicitatis causa hominibus data est. Hunc enim finem certius consecuta esset natura immisso instinctu, quo necessario propelleremur ad id, quod beatos efficeret. Verum hoc quidem modo liberum non fuisset obsequium, quod exigebat summus conditor, ut felices redderet. Memini, homines ethnicos temporibus iis, quibus florere cæpit christiana religio, similia prope objectasse. *Si Deus est potens*, inquiebant, *si misericors, convertat nobis mentes, & invitos faciat suis pollicitationibus credere.* His tum respondit Arnobius afer lib. 2. disputationum contra gentes n. 64. & 65. *Nulli Deus infert necessitatem. — — Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii*

dii aliquid, diſpendiive patiatur. — — Nunquid orandus es, ut beneficium ſalutis a Deo digneris accipere? — — Tu, qui te converti, & vim deſideras perpeti, ut id, quod nolis, accipias, atque arripias coactus: cur reſpuis aſſumere voluntate id, quod converſus deſideras, atque immutatus efficere?

§. 51. Non felicitatis, ſed virtutis cauſa, regerit Kantius, data eſt nobis ratio, ut nempe rationis vi ac lege efficeretur bona voluntas, quæ ſola vere proprieque bonum eſt. Non nego, virtutis cauſa datam eſſe rationem; ſed quid virtus ſpectet maxime, quodque habeat fulcrum ac fundamentum, præter beatitatem convenientem naturæ intelligenti, requiro. Dein ſi ſola voluntas bona vere proprieque bonum exiſtimari poteſt; neque naturæ, & quæ appellamus, externa ſeu fortunæ dona numerari in bonis poſſunt; conſequens eſt, nullum eſſe verè proprieque malum, niſi voluntas non bona; neque tam naturæ calamitates, aut quæ appellamus, fortunæ ſeu externa mala in malis erunt cenſenda. Igitur vir probus, qui mala voluntate non eſt, vacabit omni malo, potieturque ſummo bono, voluntate ſcilicet bona, erit igitur beatus neceſſario. Quid enim eſt beatitas, niſi ſecretis malis omnibus poſſeſſio ſummi boni? qua ergo ratione differre hæc duo, ait Kantius, virum probum formare, & efficere beatum? Non jam quæro, quid dicat; ſed quid convenienter doctrinæ ſuæ, ſi conſtare ſibi velit, dicere omnino debeat. Ita ſane Stoici, cum ſolum honeſtum dicerent bonum, uti Kantius ſolam voluntatem bonam vere proprieque nuncupari bonum docet, infere-

ferebant, nihil malum esse, nisi quod contrarium honestati esset virtutique. Kantius primum assentitur: & quod inde per se manat, inficiatur; cum ait, multum interesse inter hæc duo, virum bonum & probum formare, ac efficere beatum. Sed philosophorum veterum is fuit maximus ac prope communis error, quod intra cancellos mortalis vitæ constringerent ea omnia, quæ de virtute, de vita beata ac misera summa contentione disputarunt; unde ad absurda plane & enormia prolapsi sunt. In quam sententiam acutissime contra Philosophos Lactantius & Augustinus scripserunt; quos exscribere non piget. Sic igitur ille Lib. III. Divinarum Institutionum c. 27. de falsa sapientia Philosophorum commentatur: „Virtutem esse Stoici „ajunt, quæ sola efficiat vitam beatam. Nihil po„test verius dici. Sed quid, si cruciabitur, aut „dolore afficietur? poteritne quisquam inter car„nifices beatus esse? Imo vero illatus corpori do„lor materia virtutis est: itaque ne in tormentis „quidem miser est. Epicurus multo fortius. Sa„piens, inquit, semper beatus est; & vel inclusus „in Phalaridis tauro hanc vocem emittet: suave est, „& nihil curo. Quis eum non irriserit? maxime „quod homo voluptuarius personam sibi viri fortis „imposuit, & quidem supra modum. Non enim „fieri potest, ut quisquam cruciatus corporis pro „voluptatibus ducat; cum satis sit ad virtutis offi„cium implendum, perferre ac sustinere. Quid „dicitis Stoici? Quid tu Epicure? beatus est sa„piens, etiam cum torquetur? Si propter gloriam „patientiæ: non fruetur; in tormentis enim fortas„se morietur. Si propter memoriam: aut non „sentiet, si occidunt animæ: aut si sentiet, nihil

 „ex

„ex ea consequetur. Quis ergo alius fructus est in „virtute ? quæ beatitudo vitæ ? ut æquo animo mo- „riatur ? Bonum mihi affertis unius horæ, aut for- „tasse momenti, propter quod non expediat in tota „vita miseriis & laboribus confici. Quantum autem „temporis mors occupat ? quæ cum veniat, utrum „æquo aut iniquo animo eam subieris, jam nihil „refert. Ita fit, ut nihil aliud ex virtute capte- „tur, nisi gloria. Sed hæc aut supervacua & bre- „vis est, aut pravis hominum judiciis non seque- „tur. Nullus igitur ex virtute fructus est, ubi virtus „mortalis est & caduca. Ita qui hæc locuti sunt, „umbram quandam virtutis videbant, virtutem ipsam „non videbant. — Beatus est igitur Sapiens in tor- „mentis : sed cum torquetur pro fide, pro justitia, pro „Deo ; illa patientia doloris beatissimum faciet. Est „enim Deus, qui solus potest honorare virtutem, cu- „jus merces immortalitas sola est : quam qui non ap- „petunt, & religionem non tenent, cui æterna sub- „jacet vita, profecto neque virtutis vim sciunt, cu- „jus præmium ignorant, neque in cælum spectant.“ Augustini acumen, appositasque ad rem sententias post paullo exhibebo. Nunc ad Kantium revertendum est, qui negat, rationem hominibus beatitatis comparandæ causa a natura fuisse concessam.

§. 52. Experimur, inquit, eo longius abduci homines a pacato & tranquillo animi statu, quo diligentius excolunt rationem fruendæ vitæ & beatitatis gratia ; ergo ratio data non est felicitatis causa. Respondebo scholastico more : Tr. a. quod plane falsum. Exculta enim diligenter ratio multas ægritudinis, calamitatis, perturbationum, malorum-

lorumque consequentium causas amputat, evitat, repellit, ac plurima vitæ cum securitate ac pace degendæ præbet subsidia. Sed his prætermissis d. c. ergo ratio data non est felicitatis caducæ, temporalis, fallacis causa, c. c. non est data felicitatis, homini propriæ, in altera præsertim vita comparandæ causa n. c. Sciscitabor ergo ex Kantio causam, cur exculta ratio humanum animum perturbet magis, quam tranquillet, forte quia inanitatem mundanarum rerum, inconstantiam fortunæ, molestias vitæ commodis adjunctas homini detegit, easque etiam intime sentire nos cogit? At istuc summum est beneficium rationis, ne fallacibus blandimentis earum rerum decipi nos, & obcæcari sinamus. Quid ergo? sistet in his ratio? nequaquam; sed aliam homini beatitatem, qua omnia ejus desideria expleantur, præparatam ab optimo conditore ostendet. *Alia invenienda est causa* (inquit Lockius de Int. Hum. Lib. II. c. 7. §. 5.) *cur Deus per res omnes, quæ nos circumstant, & afficiunt, voluptatis & doloris varios gradus hinc inde passim diffuderit, eosque inter se commiscuerit in iis propemodum omnibus, circa quæ cogitationes & sensus nostri versantur; ut nos meram imperfectionem, amaritudinem, nec ullam omni ex parte perfectam beatitatem in iis voluptatibus, quæ a rebus creatis oriuntur, experti eas in illius fruitione quæreremus, apud quem gaudii est plenitudo, & cujus ad dextram sunt voluptates in æternum.* Quam aliam causam profert Kantius, cur rationis colendæ informandæque studium obsit magis felicitati hominum, quam adjumento sit? forte quia ratio diligenter exculta angustias humanæ mentis in cognoscenda natura, quæ ob oculos posita est,

 quia

quia ignorantiam plurimarum rerum, quas ſcire maxime avemus, atque ipſius rationis tenue acumen, arctumque modum patefacit, & fateri nos cogit? Atqui iſtuc quoque ingens rationis donum, atque utiliſſimum documentum eſt, ne vana ſcientiæ opinione ſuperbiamus, eodemque tempore, quo cæcutire nos ſentimus in rebus levibus, atque ob oculos poſitis, ingenii noſtri modulo res divinas metiri, & religionis myſteria perſcrutari audeamus. Nec vero hic etiam ſiſtet ratio, ſed ultra progreſſa cito alium ſtatum prænoſcet, proſpicietque, quo naturali ſciendi cupiditati cumulatiſſime fiet ſatis. In quam ſententiam adpoſite Mac-Laurinus in Expoſitione Philoſophiæ Newtonianæ c. ult. ſcripſit: *Satis ſuperque ad irritandam, ſed non ad explendam ſciendi cupiditatem noſtram hæc corpora noſcimus. Atque ex his non minus, aliisque conſimilibus animadverſionibus, quam honeſti, vitioſique contemplatione facile adduceremur, ut, qua nunc ſumus, conditioni ſortique noſtræ plurima deeſſe exiſtimaremus, niſi eam alius aliquando exciperet ſtatus, qui clariorem noſtræque aviditati adcommodatam, naturæ, magnique ejus Auctoris cognitionem ſecum afferat. Haud e dignitate immenſæ illius ſapientiæ, quæ tanta ubique in natura ſeſe prodit evidentia, fuerit arbitrari, tam arctos intelligentiæ limites nos nunquam poſſe transgredi, eoque tantummodo conſilio a tanta rerum creatarum varietate Deum in nobis ſciendi concitare ardorem hunc, ut nunquam ad finem ſuum pertingat.* Ipſa igitur ratio noſtra, ſi eam modo audire velimus, apertiſſime nos docet, convincitque, alterius poſt mortalem hanc vitam vitæ ſtatum nos manere, quo indagatrix veri intelligentia, ſciendique aviditas,

&

& cupidiſſima bonorum voluntas, ac beatitatis deſiderium expleatur. Sed hæc rationis concluſio, doctrinaque longe fortaſſis petita eſt, difficili ſpeculandi labore demum eruta, deprehenſaque? atqui univerſo patet humano generi, & communi naturæ voce proclamatur. Ceſſet igitur Kantius humanam rationem, ceſſet naturam, vel naturæ potius auctorem accuſare. Accuſet ſegnitiem ſuam, qua uti ratione, quemadmodum par eſt, refugit: accuſet duritiam animi ſui, qua fidem adhibere rationis, univerſæque naturæ teſtimonio refragatur, accuſet pravitatem mentis ſuæ, qua propoſitas ratione veritates reddere ambiguas & convellere adlaborat. Sed ſi humana ratio beatitatis quærendæ dux eſſe non poteſt, pronuntiante Kantio, eam ſcilicet ſolius virtutis magiſtram, & effectricem voluntatis bonæ, vitioſique amoris proprii expultricem docebit eſſe? atqui iſtuc etiam rationis vi ac munere præſtari, negat Kantius; & ita negat, ut ſi verum ſolerter inquirere ac profiteri velimus, maximopere ambigendum ſit nobis, ullane uſpiam in univerſo orbe genuina ac vera virtus inveniri queat. *) Si igitur humana ratio a felicitate magis abducit, quam adjuvat homines, ac ſi nec voluntatem bonam, cujus ſolius cauſa data dicitur, uſpiam certo inſerit hominum animis; quid reſtat, niſi ut largitorem humanæ rationis Deum non accuſet modo Kantius, ſed reprehendat & condemnet cum Cotta illo academico apud Ciceronem lib. 3. de Natura Deorum contra Stoicos diſputante, qui res pleraſque, quibus conſuluiſſe hominibus dii dicuntur, in primiſque rationem ad eorum perniciem ſpectare, convertique, multis argumentis evincere adniſus eſt.

*)

*) Grundl. Seite 27. Man braucht auch eben kein Feind der Tugend, sondern nur ein kaltblütiger Beobachter zu seyn, der den lebhaftesten Wunsch für das Gute nicht so fort für dessen Wirklichkeit hält, um (vornämlich mit zunehmenden Jahren, und einer durch Erfahrung theils gewitzigten, theils zum Beobachten geschärften Urtheilskraft) in gewissen Augenblicken zweifelhaft zu werden, ob auch wirklich in der Welt irgend wahre Tugend angetroffen werde.

§. 53. Sed ut has de felicitatis principio disquisitiones concludam, non id jam sciscitabor ex Kantio, utrum rejici debeat, sed anne possit omnino rejici, non singulis quidem actibus, sed universe omnino? Si communis omnium hominum, si intima, vehementissimaque beatitatis appetitio est, fatente Kantio; quomodo universe, perpetuoque naturæ resisti poterit? & quo incitamento poterit? atqui nihil agit uspiam, vel expetit homo, nisi quod bonum est, bonive speciem præ se ferat: nec refugit, nisi malum, aut quod speciem habet mali. Dein felicitati aliorum consulere, officii esse docet Kantius ex eo genere officiorum, quæ imperfecta dicimus; *) cur suæmet felicitati consulere ab officio, ab honestate, a virtute alienum censeatur? Ac ne Stoici quidem beatitatem respuerunt. *Communiter omnes Philosophi* (Augustinus Tract. de Epicureis & Stoicis) *studendo, quærendo, disputando, vivendo appetierunt apprehendere vitam beatam. Hæc una fuit causa philosophandi. — Appetitio vitæ beatæ Philosophis Christianisque communis est. Sed res tam consona ubi inveniri possit, inde quæstio est, deinde discretio. Nam vitam beatam appetere, vitam beatam concupiscere, desiderare, sectari omnium hominum esse arbitror. Unde*

Unde me video parum dixisse hunc appetitum beatæ vitæ Philosophis, Christianisque communem. Debui enim dicere omnium hominum, prorsus omnium, bonorum & malorum. Nam & qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit; & qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret. Quid ergo Kantius, & affeciæ, quos habet, naturam hominis sibi detrahent? nihilne cogitabunt, aut spectabunt agendo, quo afficiantur, teneantur, quo delectentur, in quo conquiescant? Sane deludunt ipsi se; neque rem, sed verba, nec studium beatitatis, sed objectam quam habent, materiam commutant. Sentimus, inquit Kantius, eam in nobis vim inesse, ut sola beatitatis dignitate (quin beatitate ipsa noveamur) affici per se, atque ita teneri possimus, ac si maxime nostra interesset. Hinc inquirendum esse ait, quomodo adstricti simus lege virtutis eatantum de causa, eoque solo proposito, ut, quod æstimabile, ac in pretio est, ipsi in nobis inveniamus, detracto omni alio commodo, quod redundare in nos posset. **) Sua igitur ipsorum virtus, sua ipsorum dignitas, dignitas inquam beatitatis, non ipsa beatitas est, qua Kantiani afficiuntur, qua tenentur, qua delectantur, in qua conquiescunt tanquam ultima votorum actionumque meta, ac tanquam fine bonorum; quam maxime probant, unice in pretio habent, admirantur, amant; verbo: qua beati hac mortali vita, qua felices sint. O miseram beatitatem, quam in se ac virtute sua repositam habet homo, qua velut Deum esse se comminiscitur. Hæc enimvero non rationis idea, sed imaginationis notio, seu ludibrium est. Putat Kantius, quæ ab hominibus aguntur prope omnia, ea etsi maximam partem conformia sint officio, ejusque

simul,

ſimulacrum habeant, at non item officium ipſum ejusque vim continere; eoquod ſi penitus inſpiciantur, fere amor ſe proprius ubique prodat. At quis amori proprio indulget magis, quam qui ad ſe, ac dignitatem ſuam refert omnia, in ea ſiſtit, ea contentus penitus eſt? quo neſcio, quid futilius, quid inanius excogitari poteſt. ***) Vellem, oculos Kantiani conjicant in illud *Speculum non fallax*, quod Segnerius vir ſapientiſſimus conſidederandum propoſuit hominibus iis, qui ipſi ſe parum norunt.

*) Grundl. Seite 69. In Betreff der verdienſtlichen Pflicht gegen andere, iſt der Naturzweck, den alle Menſchen haben, ihre eigene Glückſeligkeit. Nun würde zwar die Menſcheit beſtehen können, wenn Niemand zu des andern Glückſeligkeit was beytrüge — — allein &c.

**) Ebendaſ. Seite 104. Wir finden wohl, daſs die bloſse Würdigkeit, glücklich zu ſeyn, auch ohne den Beweggrund dieſer Glückſeligkeit theilhaftig zu werden, für ſich intereſsiren könne. — Wie dieſes möglich ſey, daſs wir uns als frey im Handeln betrachten, und uns dennoch für gewiſſen Geſetzen unterworfen halten ſollen, um einen Werth bloſs in unſerer Perſon zu finden, der uns allen Verlurſt deſſen, was unſerem Zuſtande einen Werth verſchafft, vergüten könne.

***) Ebend. Seite 27. Sieht man das Dichten und Trachten der Handlungen näher an, ſo ſtoſst man allenthalben auf das liebe Selbſt, was immer hervorſticht, worauf und nicht auf das ſtrenge Geboth der Pflicht, welches mehrmalen Selbſtverläugnung fordern würde, ſich ihre Abſicht ſtützet.

Caput VIII.

Principium theologicum cur rejectum sit a Kantio.

§. 54. Cum theologicum vocatur principium, quod in exponenda naturæ lege a perfectionibus, & voluntate summi Dei petitur, non ea intelligi theologia debet, quæ a viris gravibus traditur in scholis, aut ab hominibus sacris usu perpetuo tractatur, sed ea scilicet, qua nec pueri & puellæ, si ratione polleant, nec agrestes & rudes homines, nec mulierculæ carere possunt. Quis enim cum in legem naturæ peccat, divinæ se voluntati adversari ignorat? Sed quis Kantium legens hoc loco, non intime commoveatur? rejectis primo pro invenienda ea lege perfectionibus divinis, sola ait, divinæ voluntatis idea reliqua manet, adjuncta eidem tanquam propria Deo, cupiditate gloriæ & dominatus, potestate item formidanda & ardore vindictæ. *) Quid ais, o Kanti, imo quid debaccharis? Deum nostrum, Deum vivum & infinitum, velut ambitiosum criminaris, appetentem gloriæ, cupiditate vindictæ æstuantem? nonne cohorruisti, cum talia subirent animum? nonne contremuit manus tua, cum projiceres in chartam? nunquidnam furore concidisti, cum typis subjiceres, ut æternam redderes impietatem tuam? satis ergo non habuisti, ut, cum officia recenseres, silentio prætermitteres prima hominis, gravissimaque officia erga Deum, nisi eundem sacrilegis etiam vocibus lacesseres? satis non habuisti, cum fundare Metaphysicam tuam cogitares, ut metum Numinis ac religionem tuis ex scriptionibus tolleres, nisi

etiam

etiam ex institutionibus aliorum, & universa morum disciplina eam exterminare conquisitis argumentis conareris? Hanc tu igitur hominum notionem esse dicis, cum in regendis actionibus divinam sibi voluntatem ponunt ob oculos, ut summum Deum gloriæ & dominationis cupidum cogitent? putas ergo, egere Deum laude hominum obsequioque? nam propensiones tu quidem, multoque etiam magis cupiditates ex aliqua indigentia provenire, atque indigentiæ signa esse & argumenta, doces. **) Atqui non eget Deus, non eget profecto ulla gloria, qui est gloriæ plenitudo, nec dominatum requirit, qui dominantium dominus est, præter quem alius non est. Potestatem summam attribui a nobis Deo, & justitiam scelerum ultricem, ægre fers? at mihi crede, ni timeas hanc potestatem, & inexorabilem justitiam, certo certius senties eandem sempiterna calamitate tua in gehennæ ignibus, qui non extinguuntur. Vis ergo, nullum ut cultum, nullum obsequium, reverentiam nullam, nullum amorem, timorem ab hominibus Deus exigat, seu ut apertius dicam, vis, ut ipse se neget Deum? Tu quidem leges morum, quarum fundamenta ponere aggrederis, esse necessarias absolute doces; sed quæ sit illa necessitas, aut unde proveniat, fateris te ignorare. ***) Disce igitur ab illis, qui in asserendis iis legibus divinæ perfectionis ac voluntatis principium constituunt, quod tu inconsiderate rejicis.

*) Grundl. Seite 92. So müſste der uns noch übrige Begriff seines Willens aus den Eigenschaften der Ehr- und Herrschbegierde, mit den furchtbaren Vorstellungen der Macht, und des Racheifers verbunden, zu einem System der Sitten, welches der

der Moralität gerade entgegen gesetzt wäre, die Grundlage ausmachen.

**) Ebendas. Seite 38. Neigung beweiset jederzeit ein Bedürfniss. Seite 65. Neigungen, als Quellen der Bedürfniss.

***) Seite 128. Wir begreifen zwar nicht die praktische unbedingte Nothwendigkeit des moralischen Imperativs; wir begreifen aber doch seine Unbegreifllichkeit.

§. 55. Quæ ad naturæ legem vere proprieque pertinent, ea ostendunt referri per se & natura sua ad divinas perfectiones, has respicere, cum his connexas esse: dein inferunt, ejusmodi actiones necessario præceptas esse a Deo, aut necessario vetitas. Eccur necessario? quid enim supremo Deo necessitatem quidpiam præcipiendi, aut vetandi imponere potuit? nihil sane, nisi perfectissima ipsius natura, ob quam imperfectus esse, aut negare se ipsum haud potest; quemadmodum acute animadversum est a doctoribus scholasticis, quos honoris causa nomino; etsi enim nonnulla disputarint frivole ac putide, multa obscure, pleraque impolite; tamen si cum Kantio conferantur, & circuitionibus kantianis ac tenebris, aurei sunt, & lucidi toti. Ut autem, quid sit hoc: *Deus negare se haud potest*, penitius perspiciatur, exscribam, quæ ante annos quindecim ex mente veteram Scholasticorum hac de re commentatus sum in Institutionibus Juris Nat. & Eccl. publ. — Se ipsum negaret fons, si negaret, se esse originem procurrentis rivuli, se sitim pellere, se refrigerare. Se ipsam negaret lux, si negaret, abs se tenebras discuti, novamque speciem & vitam impertiri rebus. Se ipsam negaret via, si quæ rectissima est atque

unica, hac veniri ad metam debere, negaret. Se ipsum negaret genitor, si, quos progenuit liberos, suos negaret, eorum officia respueret. Se ipsum negaret, si, qui cum imperio præest, Rex, sibi reverentiam deberi ac subjectionem negaret. Se ipsam negaret norma, si secundum ductum suum fieri constructionem debere, negaret. Se ipsam negaret dulcitudo, ac pulchritudo, si oblectamento se esse iis, qui se fruuntur, negaret. Quid igitur? Deus, qui imperfectus esse, atque negare se ipsum haud potest, anne negare poterit, se originem esse cunctarum rerum, atque omnis boni, quodcunque mente comprehendi potest? negabit, necesse esse, ut a creata mente subjectio sibi ac reverentia præstetur? abdicare se unquam poterit summo imperio: aut quod ex sapientissimis causis condidit, id curare atque administrare desinet, quasi mutata voluntate, aut labore fractus? nunquid perinde habebit, voluntati suæ atque optimis legibus a creata mente obtemperetur, nec ne? Cum certa libertatis jura dederit hominibus singulis, ea ab aliis violari ac frustrari non gravate feret? Quis unquam Princeps disturbari a sibi subjectis consilia sua, aut privilegia a se in alios collata conculcari æquo animo patitur? Negabit scilicet Deus, se beatissimum natura sua, omnique dignissimum amore ac cultu esse? Ut mens humana, quam ad suam similitudinem efformavit, cognitioni & amori beatissimæ ac perfectissimæ mentis rem nihili præferat, divinamque imaginem voluptatum spurcitiis deformet, & inquinet, unquam probare poterit? Non poterit sane, cum negare se ipsum haud possit, neque non esse perfectus possit. In eos, qui aliter sentiunt, objurgatio illa cadit, quam homini scelerato per Prophetam

tam ſuum intorſit Deus: *Odiſti diſciplinam : & projeciſti ſermones meos retrorſum. — Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis. — Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Pſal. XLIX. 16. 21.

§. 56. Excutienda diligenter ſunt omnia, quæ de principio theologico protulit Kantius, nihil eſt enim gravius, majorisque ponderis, quam diſciplinæ morum naturalem ac neceſſariam connexionem ac veluti cohærentiam cum religione inveſtigare, & protrahere in lucem. Rejecto igitur, ut ſuperiore capite recenſui, principio felicitatis, ſimili condemnationis ſententia profligat principium *perfectionis*, quod *rationale*, non *empiricum* vocat; cum tamen utrumque in idem recidat, niſi in vocabulo perfectionis plus honeſtatis, gravitatisque ineſſe putes, quam in felicitatis, & commoditatis nomine. Ceterum qui illud in ore habent: *perfice te ipſum*, nihil aliud re vera expetendum eſſe ac defugiendum docent, quam qui felicitatem pro norma expetendi quidpiam aut defugiendi adhibent. Kantius eo argumento perfectionis principium reprobat; quia inane cenſet, incertum, proindeque inutile; eoquod nunquam definiri poſſit, quæ ſit maxima perfectionum ſumma, quæ in hominem cadit. Sed eſt hæc communis difficultas principiorum omnium, ſi ad leges affirmativas applicantur. Sunt enim & bona & mala animi, corporis, fortunæ: inſunt in homine ſtatus varii, quibus agendo diſtrahitur, ac per ſeſe officia erga Deum, ſeipſum, alios homines ſingulos & univerſos habet impoſita. Porro quantum curæ, diligentiæ, temporis, ſumtuum ſingulis hisce officiis ſit

tribuendum, quo modo eadem officia, quo veluti gradu seu perfectionis seu felicitatis, quo ordine, incidente præsertim necessitate ex parte aliqua, sint explenda, non mathematica accuratione, sed judicio prudentiæ expendi ac definiri debet. Atque hoc idem obtinet in principio kantiano: ea pro concessis, præceptis, vetitis habeto, quæ universe omnibus concessa, præcepta, vetita esse, velle potes. Sed utcunque inane censeat principium perfectionis, præfert id tamen theologico, quo ex divina perfectissima voluntate lex moralis deduci solet. *)

*) Unter den rationalen oder Vernunftgründen der Sittlichkeit, ist doch der ontologische Begriff der Vollkommenheit (so leer, so unbestimmt, mithin so unbrauchbar er auch ist, um in dem unermeſslichen Felde möglicher Realität, die für uns schickliche gröſste Summe auszufinden — —) dennoch beſser. als der theologische Begriff, sie von einem göttlichen allervollkommensten Willen abzuleiten.

§. 57. Argumentum primum Kantii adversus principium theologicum est hoc: *non intuemur divinas perfectiones.* *) Igitur pro rationis lege eas adhibere non possumus: Resp. 1. Requirendo ex Kantio, utrum, quæ ratione seu theoretica seu practica constant, sensibus investigare ac metiri debeamus. Quid sit illud, quod universe omnibus concessum, præceptum, aut vetitum esse expedit, id scilicet oculorum sensu, non acie mentis dijudicat Kantius? 2. Non *intuemur divinas perfectiones*, at eas intellectu conspicimus. *Invisibilia enim ipsius* (Dei), *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiter-*

piterna quoque ejus virtus & divinitas, ita, ut sint inexcusabiles. Rom. I. 20. Etsi igitur sensibus non intueamur divinas perfectiones; at ex mundi, & nostri ipsorum intuitione discimus, & intelligimus evidenter, & esse Deum, a quo facta sint omnia, & regantur, & non esse procreatum, nec ulla parte pendere a re alia: proindeque & esse a se ipso, & esse summæ potentiæ, sapientiæ, providentiæ, benignitatis: & habere in semet, atque ex se ipso plenissimam cujusvis perfectionis rationem, ac sufficientiam, seu plenitudinem essentiæ, nec aliunde accipere quidquam, proindeque nec constringi ullo limite. 3. *Non intuemur divinas perfectiones;* at impellimur naturæ & rationis vi, ut quotiescunque periculis, calamitatibus publicis privatisque conflictemur, eas tota mente cogitemus, Deum invocemus, propitiare studeamus. Ipsis adeo falsorum numinum cultoribus istuc & Tertullianus objecit & Lactantius, qui quidem lib. 2. c. 1. ita disserit: *Ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit, ut summum Deum confiteantur homines, & prædicent. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus; nam tunc maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes honorem dare divinæ indulgentiæ debent. At vero siqua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur.* Quid ergo? intuemur videlicet Deum, cum violatas leges vindicat; non intuemur, cum leges observandas dictat: flagella sentimus; benefacta ignoramus: agnoscimus iratum judicem; blandientem patrem non agnoscimus. 4. *Non intuemur divinas perfectiones;* nec dæmones intuentur Deum; quæ est atrocissima & inexplicabilis pœna damnatorum spirituum. Non intuentur, inquam, Deum; at cre-

dunt tamen : at contremiſcunt tamen ; quid quod ſcelerati homines, qui non intuentur divinas perfectiones, timent tamen commiſſo facinore, trepidant : conſcientiæ angoribus & cruciatibus agitantur. 5. *Non intuemur divinas perfectiones.* Hoc idem prope Chriſtianis primorum temporum objectarant inſani cultores idolorum. Unde S. Theophilus Antiochenus in ſermone cum Autolyco habito in hunc modum diſſerit : „Si dicas : *Oſtende „mihi Deum tuum* ; dicam tibi : *Oſtende mihi ho„minem tuum ;* & ego oſtendam tibi Deum meum. „Proinde oſtende, an oculi mentis tuæ videant, & „aures cordis tui audiant. — Videtur Deus ab „his, qui eum videre poſſunt ; ſiquidem oculos „mentis apertos habent. Omnes enim habent ocu„los, ſed quidam caligine ſuffuſos, ac ſolis lucem „non videntes. Neque ex eo, quod cæci non vi„deant, idcirco lux ſolis non lucet ; ſed ſibi ipſis „aſſignent cæci & ſuis oculis. Sic & tu mentis tuæ „oculos caligine ſuffuſos habes ob peccata, & ma„las actiones tuas.“

*) Weil wir ſeine Vollkommenheiten doch nicht anſchauen.

§. 58. Alterum argumentum, quod principio theologico opponit Kantius, hoc eſt : notiones perfectionum Dei ex noſtris deducimus notionibus ; in his præcipuæ ſunt morales ; igitur ſine circulo vitioſo ex perfectionibus Dei argumentari de moribus, ac lege morali haud poſſumus. *) Ne quid diſſimulem omnino, explicabo hoc argumentum multo clarius, ac ipſe aut potuerit proferre, aut voluerit. Ex notionibus iis, quas ipſi de

de virtute, honeſtate, & univerſe de morali lege habemus, attribuimus Deo perfectiones ſimiles, ceu veracitatem, fidelitatem in promiſſis, ſanctitatem, juſtitiam, miſericordiam, clementiam. Id cum facimus, jam ante ſumimus, eſſe hasce veras perfectiones, quæ ad mores pertinent, rectasque & laudabiles, & ſanctas actiones, ante, inquam, iſtuc ſumimus, quam perfectiones illas Deo attribuamus. Sæpius enim ſanctitatem moralis legis appellat Kantius; unde concludit, non ex ipſis perfectionibus primum diſci a nobis debere, quid rectum, laudabile, ſanctum ſit, cum id antea notum eſſe debeat.

Reſp. I. Sumit potius hoc argumento Kantius, totum id, quod recte & conſtanter de Deo ſentimus ac profitemur, ratione humana adinventum, erutumque fuiſſe, & rationis ductu attribui perfectiſſimo, ac infinito Deo. Sed falſitas hujus rei omnino certa & explorata eſt iis, qui norunt, quid de natura deorum ante Evangelicam lucem orbi illatam ſenſerit, ſcripſeritque ſuperſtitioſa antiquitas. Ex eo enim tempore evigilavit quodammodo humana ratio abſurdaque & impia de divinitate ſomnia excuſſit, & ſuperno adjuta lumine ſe ipſam & conditorem ſuum, ejusque admirandas perfectiones propius certiusque noſſe cæpit. Sed ingrati homines ingenio ſuo, & rationis acumini attribuunt, quod divinæ gratiæ, doctrinæque referre in acceptis deberent. Si ergo ab ipſo Deo didicimus, ac, quæ fuit omnium hominum temporumque communis perſuaſio, diſcere omnino debuimus, quid de illo recte ſentire, & quomodo ipſum colere nos oporteat, nullus ſit argumentorum circulus, cum ex

ex divinis perfectionibus de lege virtutis differere instituimus.

*) Seite 92. Weil wir die Vollkommenheit Gottes von unseren Begriffen (unter denen der der Sittlichkeit der vornehmste ist) allein ableiten können. — Welches ein grober Cirkel im Erklären seyn würde.

§. 59. Resp. II. Confundit pro more Kantius principium legis, quod vocant *essendi*, & principium *cognoscendi*, ut supra animadversum est, seu principium *obligationis*, & principium *cognitionis*, formam legis & materiam, neque quid & quatenus statuatur a defensoribus principii theologici, ut par est, distinguit. Quam ob rem necesse est, ut de principio essendi seu de vi obligationis primo disseram breviter id quidem, sed quantum satis est ad rem præsentem. Deprehensa facili ratione ex creatis rebus causa earum prima & necessaria, plenissimaque sufficientia, cognitis item ex mundi contemplatione atque ordine perfectionibus summi conditoris, potentia videlicet, sapientia, providentia, benignitate, non possumus non cognoscere, quæ sit ejus voluntas, iisdem perfectionibus, ac naturæ & finibus conditarum rerum consentanea. In hac divina voluntate, cui mens creata penitissime subjecta est, sitam dicimus vim obligationis, seu formam legis aut principium essendi. Ea voluntas Dei est necessaria, quippe fundata in necessariis Dei perfectionibus, quemadmodum supra explicatum est §. 55. Hac in sententia nihil per hypothesin fingitur: nihil subtilitate rationis longe repetita, aut vocabulorum lusu ambigue obtenditur; quia ad eam comprobandam eo utimur argumenti genere,

quod

quod unice tutum, quod firmum, quod inexpugnabile eſt, ac per universam philosophiam, quæ quidem dignitatem sui nominis ſustinet, latiſſime dominatur; eſtque hujusmodi: Hæc obligationis, atque eſſentiæ legum moralium explicandæ cauſa *& vera eſt*, de cujus nempe exiſtentia dubitari minime poteſt: & *unice ſufficiens* ad genuinam vim obligationis ac legis perſpiciendam. Veritatem quidem, & exiſtentiam potentiſſimæ voluntatis Dei, cui ſubeſſe ſe non ignorat mens creata, docet nos & convincit ipſa conſcientia humana: docet ſenſus ac conſenſus communis humani generis: docent antiquiſſimi *& poetæ & philoſophi*, qui *de juſtitia Dei, & judicio, & pœnis pronuntiarunt, ac etiam de providentia, Deum noſtri curam gerere — — vel inviti dixerunt: vincebantur enim a veritate*, uti inquit S. Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. 2. c. 38. docet denique ipſe Epicurus, qui ut homines ab angoribus conſcientiæ liberaret, hanc Dei providentiam tollere, inſano irritoque conatur aggreſſus eſt: cujus memorabilis extat ſententia apud Ciceronem de Natura Deorum. I. c. 20. *Impoſuiſtis*, inquiebat ad philoſophos, qui Numinis providentiam aſſerebant, *cervicibus noſtris ſempiternum Dominum; quem dies & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* Sed de veritate atque exiſtentia voluntatis divinæ, in qua legis & obligationis vim ponimus, & cognitionis ſufficientis, quam de illa homines reipſa habent, dubitare nos prohibet divina veritas, expreſſa ab Apoſtolo, Rom. II. 15. *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, te-*

stimonium perhibente ipsis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

§. 60. Est vero hæc legis & obligationis causa, nempe formalis, uti Metaphysici vocant, in qua ratio formalis legum sita est, non tantum vera, & existens re ipsa, sed *unice sufficiens ad genuinam vim obligationis ac legis perspiciendam.* Nihil est enim, quod divinæ voluntati præferri debeat in expetendis rebus, fugiendisve. De efficacitate autem voluntatis divinæ certos reddit annexa divinæ voluntati sanctio, nempe promissæ inexplicabilis mercedis iis, qui legem servant, & atrocissimæ pœnæ illis, qui aspernantur. Cetera quidem bona & mala omnia, quæ cadere in hominem possunt, facile contemnuntur ex doctrina ipsa Stoicorum, qui sapientem ea subter se habere, ac despicere jubent contemtis humanis casibus. Plura de hac re dicere non attinet. Sed committere non possum, ut prætercam insignem Ciceronis locum ex lib. 3. de Rep. quem Lactantius nobis conservavit, admiraturque lib. 6. div. Inst. c. 8. ac Tullius quidem legem moralem *sempiternam* vocat, *immutabilem*, rectam rationem diffusam in omnes; quo modo veteres Scholastici multa de lege æterna Dei disputarunt, homini promulgata per rectam rationem, quam summæ & divinæ rationis participationem appellarunt; sed legem ipsam in voluntate Dei collocarunt tanquam communis imperatoris & judicis, qui ulcisci possit contemtum legis suæ. Sic igitur Lactantius de Cicerone loquitur. „Suscipienda Dei lex est, illa sancta illa cælestis, „quam Marcus Tullius lib. 3. de Rep. pene divi-

„na

„na voce depinxit, dicens: Eſt quidem lex recta „ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, con„ſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium, cui „nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac ali„quid licet, neque tota abrogari poteſt, neque eſt „quærendus interpres ejus alius, nec erit alia lex „Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, „ſed & omnes gentes & omni tempore una lex ſem„piterna & immutabilis continebit, unusque erit „communis imperator omnium Deus, inventor, „diſceptator, lator, cui, qui non parebit, naturam „hominis aſpernatus, hoc ipſo luet maximas pœ„nas, etiamſi cetera ſupplicia, quæ putantur, ef„fugerit. Quis (ſubjungit Lactantius) ſacramen„tum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare legem „Dei poſſet, quam illam homo longe a veritatis „notitia remotus expreſſit." Lex igitur naturæ in Dei voluntate, ſeu divino juſſu conſiſtit. Neque huic ſententiæ refragari poteſt Kantius. Nam primo fatetur ipſe, admittitque conſenſum generis in agnoſcenda ea lege; atqui humanum genus, dum agnoſcit legem morum, eodem tempore æque perſpicue certoque judicat, obſervatione ejus legis ſatisfieri divinæ voluntati, contemtu repugnari, offendique ſummum Deum. Dein Kantius omni naturæ ratione præditæ poteſtatem & vim, & auctoritatem ferendæ ejus legis attribuit; qua quidem re etſi finitam mentem prope aſſimilet infinitæ; non tamen hanc excludit omnino. Sed ſubtrahemus fictitiam hanc majeſtatem menti creatæ; quo facto reſidua manebit ſola divina voluntas, in qua vera propriaque legis moralis ratio reponi queat.

§. 61.

§. 61. Si nunc Kantius principium theologicum, quod vocat, ad Dei voluntatem referat, prohibentis ea, quæ summis perfectionibus repugnant, & e contrario illa præcipientis, sine quibus tolli ab hominibus aut negari videatur divina quædam perfectio; quid reprehendet hac in sententia? quod argumentationis vitium objiciet? quem circulum somniabit. At, inquit, adjuncta divinæ voluntati potestas summa, justitiaque speculatrix & vindex scelerum metum incutit hominibus, qui dein, si ex metu virtutem colant, non jam virtutem & honestatem colunt, sed potius deserunt. Itane metus & timor supremi Numinis virtuti obest? Atqui *initium sapientiæ timor Domini*: & *timor Domini expellit peccatum.* Recte Tertullianus de quibusdam sui temporis deceptoribus scripsit: *Negant, Deum timendum; itaque libera sunt illis omnia & soluta.* De Præscript. Hæret. Si, quod res est, aperte dici oportet, idem conqueritur Kantius, quod Epicurus fuerat conquestus: *Imposuistis cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum?* Sed multo verior, sincериorque Epicurus fuit, qui istiusmodi timorem securitati suæ, & felicitati obesse professus est. Kantius virtutis speciem ementitur, ut fundamenta ac radices virtutis convelleret. At non inficiabitur, ut puto, *suis creatorem præesse operibus, omnium, quæcunque sunt aut fiunt, inspectorem, operum & cogitationum judicem* (Arnobius de Resurrectione mortuorum n. 19.) *nam si nullum omnino hominibus rerum gestarum judicium datur*

datur, nihil homines amplius habent, quam bestiæ. Imo istis infelicius agunt, ut qui perturbatos animi motus in servitutem redigant, ac pietatis & justitiæ virtutumque ceterorum curam gerant. Belluarum autem & ferarum vita optima. — — Siquis autem operum suorum ac cogitationum inspectorem agnoscat judicemque; quis sapientior, jujustiorque timor, quam ne contemtu legum, ejus in manus homo incidat, ex quibus eripere se nunquam potest. Negligere vero, quid futurum sit æternitate tota, non viri fortis, non prudentis est, sed hominis improvidi summa levitas, cæca temeritas, voluntaria stoliditas. At, inquiunt, timere infirmitatis est, atque formidinis. His respondit Augustinus Serm. 21. in Psalm. 118. *Est etiam infirmitas ad salutem: est etiam timor Sanctorum. Timete Dominum omnes Sancti ejus: &, beatus vir, qui timet Dominum.* Est hæc naturalis conditio, vel potius essentialis subjectio creatæ mentis, sive, ut phrasi kantiana utar, cujusvis (creatæ) naturæ ratione exornatæ, ut dominatorem cæli ac terræ, a quo pendet tota, intime revereatur, ejusque infinitam majestatem extimescat, nec aliter summæ ejus bonitatis, caritatisque esse particeps queat.

§. 62. Instandum est Kantio, ut falsitas objecti vitii patefiat, ac temeritas, qua principium theologicum reprehendit. Si eo nomine ratio ipsa & vis legis moralis veniat, ostendi, nullum esse in argumento circulum. Salvum igitur manet principium *essendi* legis. De principio *cognoscendi* videamus nunc, quale sit, & quamobrem rejici non debeat. *Principium cognitionis* dicitur, ex quo præ-

præcognito aut cognofcitur, aut certe demonftratur veritas alia. Judicia rationis practicæ moralis ea funt, quæ enuntiant, quid in re morali conceffum nobis, quid præceptum, quid vetitum fit. Ita conceffa fui defenfio, præcepta cultura naturalium facultatum, vetita occifio fui, fallax promiffio. Hæc judicia rationis practicæ, uti alia omnia in hoc genere, etfi perfpicua videantur per fe fe, certaque, tamen deducuntur ex aliis cognitionibus præviis, ac ultimo demum ex theoreticis. Quæritur nunc, quæ fint illæ cognitiones præviæ, ac theoreticæ, ex quibus judicia rationis practicæ moralis deducuntur? ac refpondent autores graviffimi, magnoque numero, effe cognitiones divinarum perfectionum; idque exponunt in hunc modum: docet nos theoretica ratio, effe Deum, rerum omnium conditorem, fibi fufficientiffimum, nullo perfectionis limite conftrictum, dominatorem fupremum, gubernatorem univerforum, largitorem bonorum omnium, a quo penitiffime pendeat mens creata. Ex theoreticis hisce cognitionibus deinceps ratio, quæ practica dicitur, facile deducit officia omnia interna, externa, ajentia, negantia *ad Dei cultum, & naturalem religionem* pertinentia, quemadmodum diftincte expofui in Inftitutionibus Juris Nat. ut adeo totum id, quod de colendo Deo ratione comprehendimus, nitatur divinis perfectionibus, ex iis deducatur, ad easdem referatur; quod explicatu, captuque facillimum eft. Nec multo major effe difficultas intelligitur *in officiis hominis erga hominem* fimiliter explicandis, eodemque ex fonte deducendis. Ex omnibus enim animantibus foli notitiam Dei conditoris habemus: ad ejus imaginem nos effectos novimus: ejus opus

&

& velut genus ſumus : ſub ejusdem providentiſſima cura perpetuo degimus : ab ipſo vitam, uſuram lucis, libertatis jura, victum multiplicem ex rebus conditis accipimus; ac ſiquis injuſte aut deſtituitur, aut opprimitur ab aliis, naturæ veluti juſſu ad Deum recurrit, ipſum implorat, ceu communem Dominum, judicem, vindicem; uti eſt expreſſum a Marone: Aeneid. I. v. 543.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Qui homini vitam eripit, qui libertatem, qui bona; injuriam facit Deo, a quo eadem donata ſunt, & jura divinitus conceſſa infringit, & adverſatur finibus, quos Deus præſtituit, & ordinem providentiæ turbat. Sane is etiam vitam eripit homini, qui ipſe ſibi eandem aufert; cujus ſceleris ratio ex ſupremo Dei dominio multo apparet evidentior, ac ex argumentis kantianis autochiriæ appoſitis; idque eleganter expreſſit Tullius in ſomnio Scipionis. c. 3. *Niſi Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt. Homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum. — — Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis; nec injuſſu ejus, a quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum, aſſignatum a Deo, defugiſſe videamini.* Hæc quidem ſatis & abunde oſtendunt, officia hominis &

& erga Deum, & se ipsos invicem ad divinas perfectiones referri directo, & ex iisdem tanquam uberrimo fonte derivari, illisque velut immoto fundamento niti.

§. 63. Nimis obscure, atque ambigue dictum a Kantio est, non posse legem moralem ex perfectionibus Dei deduci absque vitio circuli; quia eædem perfectiones non aliunde intelliguntur, nisi ex ideis nostris. Quid ergo vult Kantius? illud fortassis, prima simplicium idearum stamina ex ideis nostris provenire sensu & reflexione acceptis? atqui id de ideis quarumcunque rerum, ex quibus argumenta ducimus, similiter asseritur. Nulla ergo de re, si istuc valet, ratione concludi quidquam aut disseri poterit. Erit ergo fortassis hæc Kantii mens, ut perfectiones easdem, quas cadere in homines novimus, conferri in Deum a nobis putet? at ignorare nequit, perfectiones humanas intervallo infinito ab iis distare, quas attribuimus Deo infinito; similiter ut ideæ utrarumque. *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* I. Joan. I. 5. Nihil in eo inesse cogitamus, quod imperfectum sit, nihil quod deficiat ulla parte, aut quoquo modo constringatur. Nec aliter cogitare omnino de Deo possumus, nisi ut cogitemus esse Aeternum — unum Dominatorem — qui a re nulla pendat — qui sit a se ipso, a quo sint omnia, & sine quo esse possit nihil — beatissimum ex se se, in quo uno mens creata esse beata queat — optimum, ac fontem omnis boni — unum adoratione dignum — primum & ultimum seu α & ω. Dicetne Kantius, istiusmodi perfectiones a mente creata derivari in Deum? quodsi dicere haud-

haudquaquam possit; qualem circulum affingit nobis principio divinarum perfectionum utentibus? cum eæ perfectiones ne cadant quidem in creatam, angustamque mentem; & leges morales, iisdem perfectionibus respondentes, nec possint cadere in Deum.

§. 64. Hæc perspicua sunt, nec ulli obnoxia dubitationi. Sed necdum debellatum est. Nam objici nobis potest in hunc modum: nonnullæ tamen perfectiones tribuuntur Deo, quas esse revera perfectiones in re morali jam ante novimus, quam illas Deo attribuamus; cujusmodi est veracitas, fidelitasque in dictis & promissis: misericordia in calamitosos. Si ergo ex hisce perfectionibus dein concludamus: oportet hominem esse veracem in dictis promissisque, oportet esse fidelem, esse misericordem; circulus fit in conclusione argumenti. Resp. 1. Quæsivi jam supra, quid de istiusmodi perfectionibus Dei ante diffusam Evangelii lucem sola rationis vi cognoverit fabulosa antiquitas, quæ Deos simulatores, mendaces, insidiatores, fures, ira æstuantes, furiosos confinxit? quid illa de veritate revelationum Dei, de promissis Dei, ac promissorum fide, de misericordia in peccatores, de reconciliatione pœnitentium recte excogitavit, docuit, pro indubitato asseruit? cur igitur humanæ rationi tribuitur, quod ab ipso Deo didicimus? Sunt ea sine dubio maxime consentanea rationi: approbantur ratione, citoque arripiuntur. At notitiam eorum certam, firmamque & erroris expertem superne accepit humana ratio. Resp. 2. Quis negat, inesse in hominibus, si ratione utantur, nec eam prava consuetudine, aut

perturbationibus animi obſcuratam habent, judicia de eo, quid rectum, honeſtum, laudabile, aut contra pravum ſit, turpe, reprehenſione atque odio dignum? *Quæ natio* (inquit Tullius de LL. I. 9.) *non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? Quæ ſuperbos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit?* Hinc interna quædam actionum plurimarum aut honeſtas aut turpitudo ſtatuitur, earum in primis, quæ pro uſu quotidiano libertatis vitæque humanæ neceſſariæ ſunt. Ob hanc etiam cauſam actiones a doctoribus aliæ in re morali dicuntur prohibitæ (lege poſitiva) quia malæ ſunt: aliæ a contrario, malæ, quia prohibitæ; neque interna illa moralitas actionum magis doctis hominibus, quam indoctis perſpicua eſt, & velut in oculos incurrit, fatente ipſo Kantio. *) Inde fit, ut homines tenebras quærant ad patranda flagitia, ut ipſi ſe poſt facinus condemnent, ut coram aliis peccata negent, ut excuſare ſtudeant, ut culpam conferre in alios. Reprehendunt ſcelera in aliis, etſi eadem ipſis patrent, & virtutem laudant, quam ipſi negligunt. Deſiderat mater adultera pudicam filiam, & præceptor deſidioſus diligentem diſcipulum. Mendax odit mendacem, fur furem, & latrones juſtam diviſionem exigunt, nec ſine particula juſtitiæ, ut inquit Tullius, vivere poſſunt. Qui pro chriſtiana religione, cum in mundum induceretur, defenſiones ediderunt, proponere ejus doctrinam, non demonſtrare neceſſe habebant, & narrare virtutes Chriſtianorum, non virtutem ipſam argumentis comprobare; hæc enim ipſa per ſe lucebat & admirationi erat cæcæ etiam ſuperſtitionis hominibus. Cum igitur ratio-

nis

nis lumine cernant omnes, esse quidpiam per se bonum, & rectum, laudabile, naturæ intelligenti maxime conveniens; quid mirum, si idem ab omnibus tribuatur menti ac naturæ perfectissimæ, sed gradu quodam eminenti, cujus in hominum virtute levis tantummodo adumbratio & rude simulacrum inest. Quamquam, ut in aliis magis cernimus, quales eos oporteat esse, quam in nobis ipsis; ita proposita notione perfectissimæ mentis, quid eidem conveniat, quid repugnet, facillime colligimus. Sit enim de veritate & mendacio, sit de providentia curaque, & negligentia eidem opposita quæstio. Docet nos ipsa ratio, non oportere mentiri hominem, qui & ab ipsa natura fere impellitur, ut quod animo tenet, ore promat, & si aliud ore promat, quam animo tenet, æque repugnantiam intus sentit, quam si persuadere sibi vellet, non esse quidpiam, quod esse certissime novit. At obest veritati proferendæ nunc spes comparandi commodi, nunc periculi, pudoris ac pœnæ metus: nunc malevolentia & odium, nunc amor & assentandi studium; quæ quidem cum absint longissime a perfectissima mente, necessario veritatem summam dictis ejus, & promissis attribuimus. Similiter de providentia disseram. Necesse est, ut curet homo, quæ ad ipsum pertinent, suisque provideat, quos subjectos habet. At negligit sæpe eos, quibus prospicere debebat vel imbecillitate virium, vel ignorantia, vel mutabilitate mentis, fastidio ejus, quod ante adamaverat, infidelitate & inconstantia promissi; quorum omnium cum nihil cadere possit in perfectissimam naturam, persuasum est omnibus, curari a Deo humana negotia, ab eoque provideri nobis, a quo creati sumus, certissime confidimus.

Non igitur ex nostris ideis desumendum est, ut vult Kantius, quid de Deo sentire nos oporteat, sed ex divinis potius perfectionibus, quales esse nos oporteat, est colligendum.

*) Grundl. Seite 22. Der gemeine Verstand kann sich eben so gut Hoffnung machen, es recht zu treffen, als es sich immer ein Philosoph versprechen mag; ja ist beynahe noch sicherer hierinn, als selbst der letztere; weil dieser doch kein anderes Princip, als jener haben, sein Urtheil aber durch eine Menge fremder, nicht zur Sache gehöriger Erwägungen, leicht verwirren, und von der geraden Richtung abweichend machen kann.

§. 65. Incredibile dictu est, quas in partes se flectat, vertatque Kantius, ut, quid rectum aut pravum, quid honestum, aut turpe, verbo, quid per naturam concessum sit, quid præceptum, vetitumve, ita explicet, nullam ut mentionem perfectionum Dei, divinæque voluntatis facere cogatur, Deumque, ac religionem penitus amoveat ex disciplina morum. Nunc judicia illa, quæ honestatis legem proponunt nobis, pro ipsa lege habet, rationemque non magistram virtutis, sed imperatricem facit. Atqui *judicia* consensu omnium rationis sunt & intellectus: *imperare*, *præcipere*, *vetare* voluntatis est proprium, ut pariter norunt omnes. Nunc rationem practicam esse voluntatem docet: nunc istam a ratione practica determinari vult. Nunc inclinationes illas, motionesque, quas proposita honesti lex efficit in nobis, dum voluntatem stimulat, incitatque, ut eidem convenienter agat, pro actu voluntatis habet, atque adeo pro ipsa lege; cum non sint nisi indeliberatæ inclina-

clinationes, quas *velleitates* appellant Scholaſtici: lex autem & præceptum in certo ac deliberato voluntatis actu contineatur. Nunc impulſiones illas, quas propoſita lex in voluntatem exerit, *effectum ſubjectivum* legis vocat: id vero, quod ratio proponit, *legem* nuncupat *objectivam*. Atqui perinde in mente noſtra, tanquam ſubjecto, ineſt cognitio legis, ac effectus ille ſubjectivus. Cur ergo illud objectivum eſt quidpiam, iſtuc vero ſubjectivum? Doctores quidem moralem legem, uti ratione proponitur, *ſubjectivam regulam moralitatis* vocarunt: divinam vero voluntatem, in qua ſola vere proprieque ſita eſt vis legis, *regulam objectivam*. Neceſſitatem judiciorum rationis, ſeu, ut ipſe vocat, legum frequenter memorat Kantius, eamque vocat abſolutam, nulli conditioni alligatam, & imperativos ſuos eſſe vult categoricos, verbi cauſa hosce: conceſſum non eſt homini, vitam ſibimet eripere: vetitum eſt, vano promiſſo inducere alios; at præceptum, perficere naturam, & ſubvenire indigentibus. Talia eſſe categorica docet, & neceſſaria abſolute; at neceſſitatem hanc, cum longe vagatus eſſet commentando, & circumſpexiſſet omnia, fatetur demum, comprehendere ſe, & explicare haud poſſe. Equidem ſupra §. 11. diſtinxi varium neceſſitatis genus, quod exquiri hac in re poteſt. Si lex ipſa ſpectatur, quæ voluntate Dei continetur, ejus neceſſitatem expoſui paulo ante §. 55. Si de judiciis rationis eſt ſermo, quæ legem nobis præſentem ſiſtunt, ea neceſſaria ſunt *objective*, & efferuntur propoſitionibus in materia neceſſaria, quemadmodum vocantur in Logica. Atque hanc etiam neceſſitatem ex divinis, iisque neceſſa-

 neceſſa-

riis perfectionibus derivari, mox ante docui §. 62.

§. 66. At cur mens nostra, cum libertate sua utitur, non potest non cernere, quid rectum, honestum, quid pravum aut turpe sit? cur judiciis rationis, quæ istuc exhibent, assensum dat necessario? cur, cum violare legem concupiscit, invita admonetur, retrahitur, turbatur? quæ est ista judicandi necessitas, subjectiva, inquam, necessitas, cui mens ipsa subjacet? nulla in hisce judiciis apparet subjecti & prædicati manifesta connexio: nec sunt tales propositiones identicæ; nec facile resolvuntur in principium contradictionis, nec colliguntur inductione, uti fit in rebus physicis. Mens tamen videt, quid rectum, pravumque sit, idque dijudicat necessario, unaque stimulatur, ut illud arripiat, hoc devitet. Est nempe hæc natura rationis sanæ. Quid ergo? in hoc dicto sistendum erit, nec ultra progredi jam nobis licet? licet enimvero. Certe acutissimo ingenio viri Scholastici, iidemque assueti meditationum labori illud porro asseverarunt, rationem humanam esse singularem participationem legis æternæ Dei atque impressionem Divini luminis in nobis. Sed nempe participatio hæc atque impressio ea est, quæ solius est propria creatoris, qui ex nihilo condidit universa, atque ita participat suas perfectiones, nihil ut sibi detrahat, aut ex substantia derivet in res creatas: neque illa impressio sic concipi debet, uti cum ceræ præjacenti imago signi infigitur; cum ipsa mens imago quædam, & similitudo divinitatis sit. Cum igitur Deus sapientissimos fines lege æterna præfixerit rebus conditis, eosque a creata mente

mente obſequio libero voluerit impleri, neceſſe erat, ut ejusdem legis participem faceret humanam mentem, eidemque claritatem lucis ſuæ impertiret, quod quidem facilius eſt cogitando aſſequi, quantum eſt neceſſe, quam verbis explicare.

§. 67. His jam propoſitis, confirmatisque libet percunctari ex admiratoribus Kantii, etiamne in circulo nos obambulare nunc putent, quando ad cognoſcendam moralem legem, firmiterque ſtabiliendam argumentis utimur a perfectionibus ac voluntate Dei deductis; quodſi affirmant, non dubitabo eos vertigine laborare; iſtiusmodo enim hominibus omnia circumagi in orbem videntur, quantumvis ſolide conſiſtant, aut recta progrediantur. Sed Kantius quidem cum fundamenta ponere philoſophiæ morum aggreditur conatu novo, ut apparet (novum enim reipſa non eſt, aut honeſtatis ſpeciem extollere, quod majore eloquentia fecerunt Stoici, aut Dei providentiam removere, quod facere auſi ſunt Epicurei.) ſed Kantius, inquam, cum virtutis fundamenta ponere aggreditur, ſuſtulit fundamenta omnia virtutis, quæ in religione cultuque Numinis conſiſtunt. Neque enim infinitæ perfectiones & providentiſſima voluntas Dei iis tantum in actionibus officiisque ſpectari debent, quæ Deo ipſi exhibentur directo, ſed in officiis omnibus hominum erga homines vis omnis & efficacitas obligationis inde repetenda eſt. Secus enim, ut Lactantius ait Lib. V. c. 15., juſtitia profertur, quæ radices non habet; quam labefactare facile potuit Carneades athenienſis. Kantius in eo fallitur maxime, & incautos, imperitosque fallit lectores, quod plus ra-

tioni practicæ tribuendum doceat, quam theoreticæ. Nam id, quod rectum est in ratione practica, totum nititur veritate, firmitateque theoreticæ rationis; qua remota aut obscurata funditus tolluntur, aut omnino temeraria, incerta, & mutabilia fiunt dictata practica de eo, quid concessum, quid præceptum, aut vetitum nobis sit. Manifeste id elucet ex naturali cogitandi, operandique modo: id in communi vitæ usu observatur: id omnes opifices, artifices, architecti, medici, belliduces tenent perpetuo, ut rem propositam reique statum speculando, intuendoque ante perspiciant, quam, quid agendum sibi & qua ratione sit, possint decernere. Atque in hunc modum theoreticæ veritates de Deo, ejusque providentia, de statu hominis post hanc vitam (nam connexa sunt hæc inter se) recte fundamentum honestarum actionum & colendæ virtutis nuncupantur.

§. 68. Hac eadem de re quid in Institutionibus Philosophiæ dudum sim commentatus, describam. Sola est enim veritas luculente exposita, „quæ ætatem fert. „Ponantur theoriæ, seu theo„reticæ veritates, quas religio, quam fundamen„tum appellavi honestatis, continet: *Est supre„mum Numen, quod mundum sapientissimis legi„bus gubernat. Animus perpetuo manet intereun„te etiam corpore.* Et jam conclusiones practicæ, „quæ cum his theoriis necessario sunt connexæ, „expendantur. Siquod est supremum Numen, & „animus manet post corporis interitum; profecto „necesse est, ut illud Numen venerentur, ac ti„meant etiam ii, qui opibus ac potentia pollent, „& quibus opportunitas adest oppimendi imbecil„los:

„los: ut omnes ac ſinguli ab occultis etiam flagitiis „abſtineant, quæ etſi remota ſint ab hominum ocu„lis; tamen nunquam patrantur ſine ſummo teſte „ac vindice: ut in ærumnis, periculis, adverſis„que rebus a ſupremo Numine opem ac ſolatium „petamus: ut ſacroſancta habeatur juramentorum fi„des: ut officia, quæ ſupremum Numen erga alios „homines & rempublicam præſcribit, ſancte præ„ſtentur vel cum incommodo proprio, vitæque „periculo: ut illa exiſtimetur recta ipſius reipub„licæ conſtitutio, & genuina rectæ conſtitutionis „idea, quæ voluntati ſupremi Numinis & fini ab „eo intento faciat ſatis. Sed pertexamus iſtius„modi conſequentias. *Eſt ſupremum Numen:* igi„tur nemini licet impune ſcelerato eſſe: igitur ra„tionem exiget dictorum factorumque, & ſuum cui„que ſumma æquitate tribuet: igitur futurus ſta„tus ab honeſtate vel turpitudine vitæ præſentis „pendet, ac merito quivis commiſſo crimine cru„ciatur, juſtosque conſcientiæ morſus ſentit. Hæ „ſunt igitur conſecutiones cum theoreticis princi„piis religionis connexæ; quæ ſatis oſtendunt, quam „vere fundamentum honeſtatis ac naturalis juris „appelletur religio. Sed evertatur jam id funda„mentum, ponaturque oppoſitum theorema: *Nul„lum eſt ſupremum Numen: nulla poteſtas, niſi hu„mana.* Quod in quibusdam domibus uſuvenit, „ut petulans juventus & petulcum famulitium libi„dini fræna laxet, ſi patrefamilias peregre profecto „ſola impunitatis ſpes relicta eſt; idem profecto, „multoque pejora in orbe fierent ſublata poteſta„te ſuprema. Si Numen non eſt, aut rerum hu„manarum curam non gerit; igitur cui major po„tentia, eidem quoque majus jus eſt; quique viri-

„bus prævalet, ideam rectæ constitutionis in repub-
„lica pro suo arbitrio determinabit: igitur fraus &
„dolus pro industria, violentia pro lege valebunt.
„Quid enim, eo posito theoremate, hominem a
„nefandis flagitiis, in quæ tantopere propendet,
„primo quidem occulte, mox aperte patrandis,
„quid a latrociniis absterrebit? quid viros poten-
„tes, ne cives innocuos opprimant, quid subdi-
„tos, ne potentum vitæ insidientur? quæ erit ju-
„ramenti religio? quæ fides pactorum? quid mi-
„seria, nisi desperationem, quid prosperitas, nisi
„arrogantiam & crudelitatem pariet? Dein si mens
„interit cum corpore, aut si status separationis ab
„actibus præsentis vitæ haud pendet; igitur recte
„agit, qui omnes curas ad vitam præsentem con-
„fert, qui omnem beatitatem in bonis caducis quæ-
„rit; quia beatitatem quærere, certe rectum est,
„& laudabile: igitur mors tanquam extremum om-
„nium malorum est fugienda; & quoniam extrema
„miseria declinanda est modis omnibus; fas erit
„vitandi doloris aut mortis causa pejerare, patriam
„prodere, fidem, justitiam, & quidquid sanctum
„est, conculcare, innocentem mactare, aut ex de-
„speratione, ut ærumnis una, ac vitæ finis impo-
„natur, sibimet vim inferre. Si summum bonum
„in hac vita, & summum malum in morte po-
„situm est: stulte agit, qui vitam hosti objicit pro
„patria, qui arduum virtutis iter capessit, qui cu-
„piditates frangit, libidinem domat, in egenos pro-
„fundit opes, ab alieno manus abstinet. — Hæc
„paucis verbis complexus est S. Augustinus lib. 6.
„Conf. c. ult. *Si animus mortalis est, Epicurus
„in animo meo palmam habet.*"

CA-

Caput IX.

Kantius immutata iterum principii notione inquirit in vim legis, qua voluntas necessario determinetur.

§. 69. Lex moralis docente Kantio, & centies idem repetente, obligat *absolute*, ejusque præcepta, seu *imperativi*, uti loquitur elegantiæ causa, sunt *categorici*, nulli conditioni alligati: atqui his, ut officio satisfiat, non ex propensione quadam, non commoditatis aut felicitatis studio, non timore aut voluntate Dei, non ob ipsam delectationem virtutis (hæc enim sensuum esset propria) parendum est. Ex his oriri quæstionem ait: *Quomodo istiusmodi Imperativi categorici possibiles sint*, id est, quomodo, aut quæ necessitas (moralis) qua voluntas iis imperiis subjecta est, intelligi queat. *) Nulla enim naturæ necessitate voluntas bona est, sed incitamentis sensuum subjacet, & desicere a bono & honesto potest. Res omnes, in quas voluntas propendere, & inclinari potest, non absolute bonæ, & æstimabiles, & in pretio sunt, sed ex hypothesi, quod in eas propendeat voluntas, iisque egeat: hac sublata propensione, indigentiaque (quas tolli optabile est homini) amittunt æstimationem, pretiumque. At, inquit, siquid ostendi potest, quod est æstimabile in se, pretiique absoluti, in eo necesse est, ut fundamentum certarum legum, & possibilitas imperativi categorici consistat. **)

*)

*) Grundl. Seite 44. Nun entsteht die Frage: Wie sind alle diese Imperative möglich? Diese Frage verlangt nicht zu wissen, wie die Vollziehung der Handlung, welche der Imperativ gebiethet, sondern wie bloss die Nöthigung des Willens, die der Imperativ in der Aufgabe ausdrückt, gedacht werden könne.

**) Seite 64. 65. Alle Gegenstände der Neigungen haben nur einen bedingten Werth; denn wenn die Neigungen, und darauf gegründete Bedürfnisse nicht wären; so würde ihr Gegenstand ohne Werth seyn. Die Neigungen selber aber, als Quellen der Bedürfniss, haben so wenig einen absoluten Werth. um sie selbst zu wünschen, dass vielmehr gänzlich davon frey zu seyn, der allgemeine Wunsch eines jeden vernünftigen Wesens seyn muss. — — Gesetzt aber es gäbe etwas, dessen Daseyn an sich selbst einen absoluten Werth hat, das als Zweck an sich selbst, ein Grund bestimmter Gesetze seyn könnte; so würde in ihm, und nur in ihm allein der Grund eines möglichen categorischen Imperativs, d. i, practischen Gesetzes, liegen.

§. 70. Id igitur nunc agit Kantius, ut in vim atque efficacitatem legis inquirat: ut explicet, unde proveniat necessitas (in genere morum) qua voluntas adstringitur ad legem: ut definiat principium ratione nixum, quo ea rejectis sensuum incitamentis possit, debeatque ad tenendam constanter legem permoveri. Id vulgo *principium essendi legis* nuncupant; atque a me supra in divina voluntate fuit constitutum; ex qua una provenire vinculum intelligitur internum, naturæ liberæ & intelligenti accommodatum, & validissimum, quod omnibus aliis impellentibus causis, aut retrahentibus præferri ab homine debeat, nisi extreme desipere,

pere, aut æternum incredibiliter miser esse velit. Kantius post circuitiones multas longasque fatetur, se istiusmodi vinculum invenire haud posse, nec intelligere, unde illa possibilitas imperativi categorici, seu necessitas absoluta, qua voluntas legi adstringitur, deduci debeat. Atqui in voluntate divina habebat omnia, quæ pro necessitate illa desiderabat. Est enim ea voluntas, si sermo est de lege naturali, absolute necessaria: est categorica, nulli alligata conditioni: est in se ac per se summe æstimabilis, præferenda omnibus rationibus oppositis, aut propensionibus, est necessario sancta, adoranda: valet pro omni natura rationis participe, quæ natura sua, atque immutabili essentia creatori suo ac gubernatori subjecta est. Quid amplius desiderare poterat Kantius? cur operam perdit, inquirendo aliud principum? cur fatigat lectores, ac demum turpiter deludit, ut post longos, eosque difficillimos speculandi labores dicat denique, comprehendi & inveniri haud posse, quod cum ipsis investigatum ibat? quid est, quod reprehendit in ea, quam proposui, explicandæ necessitatis ratione? *Heteronomia* est, inquit, qua voluntas alienæ, non suæ legi subjicitur: naturæ autem ratione præditæ *autonomiam* tribui necesse est, ut ipsa sibi & aliis naturis similibus censeatur legem ferre. Sit igitur hoc primum, quod in disceptationem veniat præsenti loco.

§. 71. Principio inquit, difficilimum est, percipere possibilitatem imperativi categorici, seu explicare necessitatem absolutam, quam voluntati imponit lex; nec id mirum videri debet. Est enim ea propositio synthetica practica a priori, non ana-

analytica. Constat autem, quantum negotii facessant syntheticæ propositiones in theoretica philosophia; inde conjici potest, non planiores, nec magis expeditas easdem fore in re practica. *) Dein frustra adhuc & conatu irrito laboratum fuisse asserit, in principio morum inveniendo. Homo enim per officia alligatus legibus credebatur. At nemini in mentem venisse, ipsum suæ propriæ tantum, sed tamen universali legum lationi esse subjectum, eoque tantum modo obligari, ut convenienter suæ ipsius voluntati ferenti leges, quæ tamen ex naturæ finibus generales sunt, agat. *Si* homo subjectus tantum legi repræsentatur, qualis qualis ea sit, utique necesse esse, ut eidem legi adjungantur stimuli, incitamenta, vis cogens, qua adigatur ad eam implendam, quæ ex sua ipsius voluntate non fuisset profecta: hinc factum, ut labor omnis in exquirendo officiorum ultimo principio irritus fuerit, vanusque. Neque enim officium ea via esse inventum, sed necessitatem actionis ex re alia, quam consequi intererat: unde nec potuisset, nisi hypotheticus tantum imperativus emergere: *si rem illam voluero consequi, necesse est, agere vel non agere.* Atque hoc (concludit Kantius) est *principium autonomiæ voluntatis* oppositum quibusvis aliis, quæ omnia *Heteronomiæ* nomine comprehenduntur. **)

*) Grundl. Seite 50. Ist bey diesem categorischen Imperativ oder Gesetze der Sittlichkeit der Grund der Schwierigkeit (die Möglichkeit desselben einzusehen) auch sehr grofs. Er ist ein synthetisch-practischer Satz a priori; und da die Möglichkeit der Sätze dieser Art einzusehen so viel Schwierigkeit im theoretischen Erkenntnisse hat; so läfst sich

sich leicht abnehmen, dass sie im practischen nicht weniger haben werde.

**) Seite 73. Es ist kein Wunder, wenn wir auf alle bisherige Bemühungen, die jemals unternommen worden, um das Princip der Sittlichkeit ausfündig zu machen, zurück sehen, warum sie insgesammt haben fehlschlagen müssen. Man sah den Menschen durch seine Pflicht an Gesetze gebunden: man liess es sich aber nicht einfallen, dass er nur seiner eigenen, und dennoch allgemeinen Gesetzgebung unterworfen sey, und dass er nur verbunden sey, seinem eigenen, dem Naturzwecke aber allgemein gesetzgebenden Willen gemäss zu handeln. Denn wenn man sich ihn nur als einem Gesetze (welches es auch sey) unterworfen dachte: so musste dieses irgend ein Interesse, als Reiz oder Zwang bey sich führen; weil es nicht als Gesetz aus seinem Willen entsprang, sondern dieser gesetzmässig von etwas andern genöthiget wurde, auf gewisse Weise zu handeln. Durch diese ganz nothwendige Folgerung aber war alle Arbeit einen obersten Grund der Pflicht zu finden, unwiederbringlich verlohren. Denn man bekam niemals Pflicht, sondern Nothwendigkeit der Handlung aus einem gewissen Interesse heraus. Dieses möchte nun ein eignes oder fremdes Interesse seyn. Aber alsdann musste der Imperativ jederzeit bedingt ausfallen, und konnte zum moralischen Gebothe gar nicht taugen. Ich will also diesen Grundsatz das Princip der Autonomie des Willens, im Gegensatz mit jedem andern, dass ich deshalb zur Heteronomie zähle, nennen.

§. 72. Quanta in his kantianis inest verborum rerumque confusio, quanta apparent absurda, si explicentur, quæ incertis, obscurisque implicata sunt vocibus. Imperativos suos categoricos appel-

appellat ſyntheticas propoſitiones. Si Imperativi ſunt, quomodo propoſitiones? ſi propoſitiones; quomodo imperativi? quæ eſt enim imperativi ſeu imperii formula? certe non alia, niſi hæc, aut hujusce generis: *hoc fac, omitte, veni, vade, abſtine a vi inferenda vitæ propriæ: opitulare egenti, perfice naturam: cave a promiſſis falſis.* At in his qualis ineſt enuntiatio aut propoſitio? quod propoſitionis ſubjectum, quod prædicatum? quid affirmatur? quid negatur? Dein propoſitiones illas vocat ſynthetico-practicas, quarum nempe prædicatum ex notione ſubjecti intelligi non poſſit. At ego non imperia quidem, ſeu præcepta, quæ voluntatis ſunt, ſed judicia rationis practicæ, quæ enuntiant, quid ex neceſſaria ſeu naturali lege morum conceſſum ſit, præceptum, aut vetitum, eſſe propoſitiones analyticas contendo; quia ex natura hominis tanquam ſubjecto colligi omnino poteſt, quid ei conceſſum, quid præceptum, aut vetitum ſit, ſi modo complete ſumatur natura hominis, neque mutilata præcipuis illis notis, quibus ex eſſentia ſua & nexu indiſſolubili refertur ad Deum conditorem ſuum, gubernatorem, ac finem ultimum. Si mens creata ſubjecta Deo, ac divinæ voluntati dicitur, nihil extrinſecus adſciſcitur, nulla heteronomia fingitur, ſed exhibetur id, quod intime in natura mentis inhæret, nec divelli ab ea poteſt, perinde ac multo etiam magis, ac ſi ex neceſſaria connexione inter patremfamilias aut principem, & domeſticos vel ſubditos, iſtorum officia definiantur. Atque hæc cauſa eſt, cur obligationis vinculum, quod ex divina provenit voluntate, internum eſſe ac naturale, ſupra aſſeruerim §. 70.

§. 73.

§. 73. Dein lex morum a sua cujusque voluntate dicitur proficisci. A voluntate quidem nostra proveniunt actiones, & agendi decreta consentanea legi. At lex prælucet, ne cæca sit voluntas, facem quodammodo præferente ratione practica, quæ, quid concessum, quid præceptum, aut vetitum sit, nos docet, v. g. concessum non esse, vim inferre sibimet miseriæ finiendæ causa, nec alios circumvenire promissis falsis: præceptum esse, subvenire egentibus, excolere naturales dotes. Sed docente Kantio, ipsa cujusque voluntas leges fert & *sibi*, & *aliis omnibus*. Non miror, istuc in mentem adhuc venisse nemini, adeo absurdum est utrumque; ac nescio, utrum utro ineptius sit. Dicam primo de posteriore. In consortium ergo divinæ gubernationis admittit Kantius angelos, dæmonas, homines universos ac singulos. Si, non dicam muliercula quædam aut vilis servulus, sed Kantius ipse, criticus ille philosophus ex alta specula, aut ex suggestu in hunc modum concionaretur ad circumfusam multitudinem: scitote omnes, quotquot adestis, viri & mulieres, ac sciant omnes homines cujusvis ætatis, & nationis, ego, ego inquam, legislator sum omnium: ego concedendi quidpiam, ego præcipiendi, ego vetandi potestatem habeo: cavetote, nequis vestrum ipse se perimat: ne aliis noceat promisso vano: nequis egentibus desit: ne naturæ vires otio sinat torpescere. — Quis Kantium elata voce sic concionantem crederet sapere, suique compotem? nunc vero cum nihil proloquatur publice, sed solo animo & cogitatione teneat, se latorem legis esse & suum, & universorum; quis ejus lege affici se, aut constringi putet nullo indicio promulgata, sola specula-

tione metaphysica veluti specu quadam, & in tenebris comprehensa: dein si singuli universorum lege tenentur, quomodo heteronomiam evitat Kantius? Sed pars altera de suo cujusque in se ipsum imperio num minus absurditatis habet? Fateor, verba mihi deesse, quibus ejusmodi imperium exprimam concepta formula. Marcianus JCtus in Digestis lib. penult. de receptis, qui arbitr. ait: *Neque imperare sibi, neque prohibere se quisquam potest.* In quæ verba acute commentatur glossa, *quia imperativus non habet primam personam;* nisi forte in grammatica kantiana, de qua novum jam lexicon in lucem publicam prodiit; tanta est ingeniorum ætatis nostræ levitas, tanta novandi omnia libido. *Sed* (ut inquit Paulus II. Tim. II. 19.) *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus; & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* At revertamur ad Kantium, qui ita disserit: quando voluntas subjecta tantummodo legi cogitatur, tum sane necesse est, ut adjungantur legi alia præter ipsam incitamenta, ceu sanctio pœnalis; aliter res habet, quando ipsa voluntas fert legem. Sed enim voluntas legem ferre non potest omnino, nisi prælucente ratione. Hæc prælucens ratio vel id indicat: necesse esse, ut voluntas ferat legem; sic autem redit quæstio kantiana, unde ista necessitas oriatur; vel mere concessum esse docet, atque in arbitrio voluntatis positum; ac tum inquirere in illam necessitatem non debuit Kantius. *Ego mihimet impero*: nova hæc est formula. Si nihil cogit, ut imperem, posthac desinam mihi imperare libertatis causa; siquid cogit, aliud sit præter voluntatem, necesse est, quod voluntatem eo adi-

adigit, ut mihi imperem, & meam ipſe libertatem coarctem. Ego mihimet fero legem, & ſinguli ipſi ſibi & univerſis. Quid? etiamne tum, cum agunt contra legem? cum inviti ſentiunt conſcientiæ monita, & repugnantiam? & tamen, ut Kantius ait, voluntas fert legem? invita ſcilicet, ut nolens velit, & volens non velit? Nam Paulinum illud: qui legem ſcriptam non habent, *ipſi ſibi ſunt lex*; ad vulgi uſum & conſuetudinem loquendi aptatum eſt. Neque enim id voluit apoſtolus, quod ipſe homo ſuus ſit legislator, quippe qui legem Dei ſcriptam cordibus aſſeruit; ſed indicavit, ſuam cujusque rationem & conſcientiam ſatis docere, quid lex divina imperet. Sed Kantius voluntatem hominis non magiſtram modo, ſed inventricem & auctorem legis, & imperatricem vult eſſe. Voluntas imperat non ſic, ut legem primo ferat, ſed ut agere decernat convenienter legi prælucenti, & convenienter huic decreto alias ſuſcipiat actiones, tanquam media ad finem: atque hoc ſenſu actus imperatos & elicitos voluntatis diſtinguunt auctores. Fieri etiam poteſt, ut quis *duplici affectus ſtatu velut duplicem* gerat *perſonam*, atque altera ſuperior alteri imperet (nam *perſona* apud Jureconſultos vocabulum juris eſt, unde ſervi nullam habere perſonam cenſebantur.) Hoc ſenſu Carolum V. Imperatorem Carolo V. archiduci Auſtriæ mandatum miſiſſe legimus. *) Sed Kantius docet, quod explicatum habet nullum, contentus dixiſſe, quod nemini adhuc in mentem venit. Novi ergo inventi gloria manet Kantium? haud dubie, qua parte abſurdum eſt: non item qua ferri quoquo modo, & tolerabiliter exponi poteſt. In natura ipſa rationali conſiſtere principium naturalis juris,

 ante

ante Kantium docuerunt multi ; sed propria Kantii absurdissima ejus principii interpretatio est.

*) Knipschild de civitatum Imperalium juribus & privilegiis Lib. I. Cap. III. n. 27. Wir Carl — Römischer Kaiser — entbieten Dir Carl Erzheerzogen zu Oesterreich &c.

§. 74. Proposuerat Kantius, in vim atque efficacitatem legis inquirere, ex qua necessitas moralis recte atque ex virtute agendi deduci queat. Cur ergo ad autonomiam deflectit, hominemque sui ipsius, unaque universorum legislatorem facit? hac nempe via procedit, atque hoc ordine. Officium, voluntas bona, virtus non sensu quodam, non stimulo, aut propensione naturæ, non comparando commodo, aliave movente causa niti debent, sed ex dignitate illa provenire, qua natura rationis particeps nulli subjecta est legi, quam non ipsa quoque tulerit. *) Vis ergo legis in hac naturæ dignitate consistit tota. Sed unde hæc est naturæ dignitas? respondet Kantius: ex virtute, ex officio, ex voluntate bona, qua id consequitur homo, ut in universo regno finium, quod ex naturis ratione præditis consurgit, tanquam legislator considerari possit, debeatque. **) Est ergo officium, virtus, voluntas bona prior dignitate autonomiæ; cum hæc ex illis proveniat: & autonomiæ dignitas pariter prior est officio, dignitate, voluntate bona; cum istorum principium sit, & sola ratio movens, & basis unica. Quid est, circulum facere, atque idem per idem explicare, si hoc non est? etiamne vitium hoc argumentationis in principium theologicum conjicere audebit Kantius, quo tam aperte laborat ipse? Virtutem colere jubet ex sola dignitate autonomiæ: hanc autem autonomiæ dignitatem ex sola virtute proficisci

ci tradit. Bellum virtutis fulcrum, quod in vanissima autonomiæ imaginatione seu ludibrio ponitur!

*) Grundl. Seite 76. Die Pflicht beruhet gar nicht auf Gefühlen, Antrieben, und Neigungen. — Geschieht nicht um irgend eines andern practischen Bewegungsgrundes, oder künftigen Vortheils willen, sondern aus der Idee der Würde eines vernünftigen Wesens, das keinem Gesetze gehorcht, als dem, das es zugleich selbst giebt.

**) Seite 77. Nur durch die Moralität ist es möglich ein gesetzgebend Glied im Reiche der Zwecke zu seyn. Seite 78. Und was ist denn nun, was die sittlich gute Gesinnung oder die Tugend berechtigt, so hohe Ansprüche zu machen? Es ist nichts geringeres, als der Antheil, den sie dem vernünftigen Wesen an der allgemeinen Gesetzgebung verschafft.

§. 75. Non prætereundum hic est, de regno finium, quid Kantius tradat, aut somniet potius. *Homo*, inquit, atque adeo *natura quævis rationis particeps existit tanquam finis per se ipsam, non tanquam instrumentum*, mediumve, quod cujusvis voluntatis arbitrio serviat, atque obnoxium sit. *) Quæ expertia sunt rationis, nullo in pretio sunt, si nemo iis afficiatur, utaturque; unde *rerum* nomine veniunt: at naturæ ratione præditæ nuncupantur *personæ;* illa pretium habent vulgare, aut solius affectionis: his solis inest dignitas. Unde principium manat hoc: *sic dege, ut humanitate & tuæ personæ, & cujusvis alterius semper etiam ut fine, nunquam pro nudo instrumento utare.* **) Hæc deinceps illustrat tritis jam exemplis suis, oblitus videlicet, quod non inquirere in legem primum inveniendam, sed legis jam inventæ vim & necessitatem moralem explicare aggressus fuerat: qui abrumpendæ calamitatis causa ipse se perimit, non

 pro

pro fine se habet, sed instar medii ad vitam, quamdiu tolerari potest, ducendam: qui falsis promissis nocet aliis, eorumve in jura aut libertatem invadit, pro instrumento, non fine eosdem habet: qui torpere desidia, quam excolere naturæ dona malunt, peccant non perficiendo fines suos: qui egentes non adjuvant, desunt finibus, quos spectare in illis deberent. Eo igitur principio dum utuntur naturæ ratione exornatæ *regnum finium* efficiunt, in quo singulæ & sibi & universis imperant, eaque re singulari dignitate effulgent..

*) Seite 64. Der Mensch und überhaupt jedes vernünftige Wesen, existirt als Zweck an sich selbst, nicht blos als Mittel zum beliebigen Gebrauch für diesen oder jenen Willen.

**) Seite 66. Handle so, dass du die Menscheit, sowohl in deiner Person, als in der Person eines jeden andern, jederzeit zugleich als Zweck, niemals blos als Mittel brauchest.

§. 76. Videamus nunc, quid veri subsit in hisce enuntiatis, quorum primum est theoreticum: alterum, ut res postulat, practicum; cum ut sæpe monui, totum id, quod practicum dictat ratio, in theoria quadam fundetur, indeque vim omnem ducat, contra ac Kantius plus tribuendum practicæ rationi putat, quam theoreticæ. Homo existit tanquam finis; imo quævis natura rationis particeps ipsa per se finis est: igitur Deus, angeli, demones, homo. Quæro, pariter omnes, eodemque modo finium instar spectari debent? nihil distinxit Kantius, uti debuerat; infinitum enim discrimen est. Sit homo finis conditarum rerum rationis expertium. At nonne *universa propter semet ipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum*? Prov. XVI, 4. Dein sibimet soli

ſoli natus eſt homo? Kantius ait, hominem homine uti non debere tanquam *mero inſtrumento*, aut *puro medio*; ergo tamen ex parte ut inſtrumento & medio, ſed non unice, ſimpliciter, pure; proindeque homo nec ſimpliciter, ac pure tanquam finis ſpectari poteſt; multa enim vitæ præſidia homini Deus in hominibus aliis conſtituit. Sed, quod præcipuum eſt, oportet hominem ex ſe ipſo ſciſcitari, quem in finem poſitum ſe in orbe arbitretur? ut ſit tantummodo? ut mortalem vitam vivat, ac eſſe deſinat, perinde ac ſi non fuiſſet omnino? Si autem ratione magiſtra, ſi naturæ voce, & populorum conſenſu, ſi divina fide ſuperſtitem ſe poſt caducam vitam, atque immortalem novit, ſempiterna beatitate fruiturum, aut ſempiterna miſeria excruciandum; cur ſuperbit ob principatum, quem tenet inter animantes; cum negotium maximum habeat impoſitum in hac vita, ſuæ ut immortalitati & ſempiternæ ſaluti conſulat? Hac quidem ratione ſinguli homines inſtar finium ſunt; quia ſors ſingulorum haudquaquam ab aliorum ſorte pendet. Fieri poteſt, ut æternum beatus ſis, cum alii æternum ſint miſeri: aut contra hi potiantur æterna vita, cum tibi perpetuo ſit moriendum. Nam, ut Lactantius inquit, lib. 2. div. Inſtit. c. 3. *Aeternam pœnam ſecundam mortem nominamus, quæ eſt ipſa perpetua, ſicut immortalitas, eamque ſic definimus: ſecunda mors eſt doloris æterna perpeſſio; vel ita: mors eſt animarum pro meritis ad æterna ſupplicia damnatio.* Hoc igitur modo quemque oportet ſuum reſpicere finem proprium, ſuæque æternitati conſulere. Nam *tunc* (cum adveniet filius hominis) *duo erunt in agro; unus aſſumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola; una aſſumetur, & una relinquetur.* Matth. XXIV. 40.

§. 77. Sed qua de causa, & quo modo rationem finis in se contineat homo, distincte, siquis alius, exposuit Athenagoras in Libro de Resurrectione mortuorum n. 12. „Ac I. considerandum „esse docet, utrum temere ac frustra factus fuerit „homo, an aliquam ob causam. Siquam ob causam, „utrum ad hoc ipsum, ut vivat, &, in qua factus est „natura, perseveret, an ad usum alterius. Si ad „usum alterius; vel ad ipsius creatoris, vel ad alterius cujuspiam eorum, qui ad Deum pertinent, & „majori cura ab eo dignantur."

II. Ostendit, haudquaquam temere & frustra, sed ob aliquam certe causam factum fuisse hominem. „Quod dum latius consideramus, reperimus, quicunque mentis compos sit, & rationis „judicio ad aliquid faciendum moveatur, nihil eum „ex illis, quæ ex animi proposito facit, frustra „facere, sed aut ad suos usus, aut ad eorum, quorum curam gerit, vel propter ipsum opus, cujus ad effectionem naturali quadam propensione „& amore impellitur; veluti homo ad proprios „usus facit domum: bobus & camelis tectum „proxime ob eorum studium, quorum curam gerit: procreat autem liberos non ad suos, aut suorum usus, sed ut sint, & quamdiu fieri poterit, „perseverent homines ex ipso geniti, liberorum & „nepotum successione solatium mortis suæ adhibens, atque hoc modo, quod mortale est, immortale se effecturum sperans."

III. Ait, Deum sapientissimo consilio condidisse hominem non ad suos usus velut ex indigentia quadam, neque ob naturam aliam creatam homine superiorem, aut inferiorem, sed ex bonitate sua, ut perpetuo

petuo viveret beatus, si labores præsentis vitæ fortiter toleraverit. Atque ita recte assignat Athenagoras, cum de fine creationis agit, & bonitatem Dei, & beatam hominis immortalitatem; quo modo discrepantes ea de re sententiæ, quæ una veræ sunt, inter se conciliantur; cum enim in finem actionis inquirimus, duo explicari possunt, nempe præsens in agente animi affectio, & finalis causa, sive id, quod agendo consequi mens cupit. Hinc proposita quæstione, cur Deus condiderit hominem, alii respondent: ob bonitatem suam: alii, ut beatitatem consequeretur homo; quæ omnia comprehenduntur, si ita ponas de creatione: Deus est *finis, cui excellentiæ & gloriæ* causa: homo autem *finis, cui utilitatis & beatitatis* gratia destinata sit procreatio rerum. Verba Athenagoræ hæc sunt: „Nec frustra Deus fecit hominem; est enim sa-„piens; nullum autem sapientiæ opus inutile: nec „ad proprium suum usum; nulla enim re indiget: „qui autem nulla omnino re indiget, sua ei ope-„ra nihil ad proprium usum attulerint. Sed nec „ob aliquam rerum a se creatarum hominem con-„didit. Nihil enim eis, quæ ratione & judicio „utuntur, ad alterius sive superioris, sive inferio-„ris usum creatum est, aut creatur, sed ad pro-„priam eorum, qui creantur, vitam & perpetui-„tatem. Neque enim ratio ullum usum reperit, „qui causa sit hominis generationis; quippe cum ii, „qui immortales sunt, extra indigentiam omnem „positi sint, nec ullo egeant hominum subsidio, „ut existant; belluæ autem natura subjectæ sint, & „ad quos quæque usus institutæ sunt, eos homi-„nibus exhibeant, nequaquam autem ita compa-„ratæ sint, ut hominibus utantur. Neque enim

„fas eſt, aut fuit, id, quod imperat, & principatum tenet, ad uſum inferiorum dejicere, & „quod ratione utitur, rebus rationis expertibus, „minime aptis ad imperandum ſubmittere. Quam „ob rem ſi nec ſine cauſa, nec fruſtra creatus eſt „homo (nihil enim inter divina opera inutile, „quantum ad auctoris conſilium ſpectat) nec ad „ipſius creatoris uſum, nec ad alterius cujuspiam „rei ab ipſo conditæ; liquet Deum, ſi prima & „latius patens conſideretur ratio, propter ſe ipſum „& elucentem in omnibus ipſius operibus bonitatem & ſapientiam adductum fuiſſe, ut hominem „faceret: ſi vero propior, & ipſis hominibus creatis „interior ratio ſpectetur, propter ipſorum vitam, quæ „quidem non ad breve aliquod tempus ſuccendenda & poſtea omnino extinguenda ſit.„ In eandem ſententiam eloquenter diſſerit Lactantius Lib. VII. div. Inſt. C. IV. & V.

§. 78. Ex his multiplex error Kantii hac una in re deprehenditur. *Primo.* Quod de quavis natura rationis participe, de creatore, & creata mente, quæ ab eodem diſtat infinite, diſſerat pari modo, veluti cum exæquatione finium. *Secundo.* Si homo inſtar finis ſpectari debet eo, quem expoſui ſenſu, id ex natura ejus profluit, non virtute acquiritur, aut fictitia illa leges ferendi poteſtate, uti vult Kantius. *) Lex morum prior virtute eſt, & voluntate bona; quia bona non eſt, niſi conformetur ad illam legem; quomodo ergo per virtutem effici poteſt, ut leges ferre, rationemque finis obtinere poſſit voluntas? *Tertio.* Res alias extra hominem æſtimabiles non eſſe docet, niſi appetantur, totumque unius rei pretium re alia poſſe compenſari: in ſolo homine ineſſe dignitatem,

quam

quam res nulla exæquare possit. Verum totum id abhoret a vero. Res enim quævis bonitatem & metaphysicam & physicam, quam nacta est a conditore, perinde retinet, sive appetatur ab homine, sive negligatur. Error in eo est, quod comparentur inter se, quæ toto genere differunt, nec communem admittunt comparationis mensuram. Ceterum virtus cum ipsa se admiratur, atque in pretio habet, etiam ipsa se conficit, atque extinguit; ut in vanissimas auras abeat, tanquam lux flatibus. Sed nosse equidem vellem, quam tandem virtutem tantopere prædicent, ac demirentur philosophi Stoici, suam, an aliorum etiam hominum? vereor, ne frequens occurat, qui ita dicat apud se: *non sum*, *sicut ceteri hominum*, more scilicet Pharisæorum, qui quidem Josepho teste philosophiam stoicam fere affectabantur. Nec dubium, quin tota illa parabola contra quosdam, qui in se confidunt tanquam justos (Luc. XVIII. 19.) in Stoicos maxime quadret. *Quarto.* Maxime autem in eo peccat Kantius, quod posito existentiæ fine ultra hanc vitam non progrediatur, ac prætermissis etiam officiis erga Deum de fine sempiternæ vitæ, aut sempiternæ mortis nihil memoret omnino, aut cogitare jubeat hominem.

*) Seite 77. Nun ist die Moralität die Bedingung, unter der allein ein vernünftiges Wesen Zweck an sich selbst seyn kann, weil nur durch sie es möglich ist, ein gesetzgebend Glied im Reiche der Zwecke zu seyn. Also ist Sittlichkeit und die Menschheit, so fern sie derselben fähig ist, dasjenige, was allein Würde hat.

§. 79.

§. 79. A theoretica propoſitione hac: ***Homo inſtar finis eſt***, ad principium practicum, ut ſupra memoravi, delabitur Kantius: ſic ***ergo dege, ut natura humana in te ipſo, & aliis omnibus ſemper etiam tanquam fine utare, non mero inſtrumento.*** At vero uti in propoſitione ſua, quam generatim de omni natura rationis participe concepit, nihil peculiare attulit de ſummo Deo; ita nihil ex illa de Deo (quod primum & præcipuum eſſe oportebat) valuit concludere: & quemadmodum non definiit, quatenus rationem finis obtineat homo, ita totum hoc, quod practicum eſſe deberet, incertum manet, vagum, minimeque aptum ad dubiam quandam morum controverſiam dirimendam; nec tantum anceps illud reliquit, ſed etiam obnoxium peſſimæ depravationi, his præſertim temporibus, quibus cum vili plebecula ad omnem licentiam, non jam libertatem, extorquendam graſſantur homines perditi ac furioſi, qui cum ſe ſe præceptore Kantio rerum fines eſſe in animum induxerint, facile eo impellentur, ut omnem ordinem evertant, atque omne excutiant imperium, cum præſertim eidem principio maxime obeſſe doceat Kantius, ſi in libertatem hominum invadatur, alioque loco expleri ſinat deſideria, ne ſcilicet moleſta ſint hominum animis. Hic enimvero Tertullianum illud in Apologetico opponi poteſt: ***Leno eſt philoſophus, & cenſor.*** Sed expendamus exemplo unico, quantam vim habeat Kantianum principium. Ait, homines calamitoſos eo prohiberi, ne vim inferant vitæ ſuæ. Cur ita? quia homo in numero finium, non rerum eſt, quæ ſolæ hominis cauſa deſtruuntur. At dicet infelix: ſi finis ſim ergo, nec id obtinere valeam, ut beate & tranquille vivam, nihil relin-

linquitur, nisi ut curem, ne sine spe miser sim. Id, nisi morte, non obtinebo. Neque enim Kantius commonefacit istos homines, eos voluntaria nece multo majorem miseriam, & supplicia sempiterna subituros, quam patientia præsentium calamitatum. Ex alio principio sic differuerat: nullum homini jus dedit natura, ut se perimat; quippe quæ incredibilem vitæ amorem cunctis animantibus ingeneravit: non potest autem naturalis propensio conservandæ vitæ cum voluntate eandem tollendi consistere. Eccur non possit? respondebit Kantio homo miser fortunam meliorem desperans, cum temporibus servire hominem, sui amor jubeat; nunc ut cibum capiat, nunc ut abstineat: ut foveat membrum, ut amputet: qui tenerrime amant proles suas parentes, iidem nunc blandiuntur, nunc minantur: nunc oscula dant, alio tempore acerbe castigant. Similiter igitur sui amor esse causa potest, nunc ut vitam foveamus, nunc ut abjiciamus. Quam vana & infirma sunt humanæ rationis argumenta, sublato timore sempiterni Numinis! Laborarunt hac eadem in re Philosophi veteres, multum quærentes inter se, ac disputantes: quid faciet, inquiebant, sapiens, quando tormentis fortunæ subjacet, ut spes evadendi non sit? ac demum, ut vitam cum miseria abrumpat, fecere copiam. Unde Cicero Lib. V. Quæst. tuscul. n. 40. ex sententia eorundem ita scribit: *Congerantur in unum omnia, ut idem oculis & auribus captus sit: prematur etiam doloribus acerrimis corporis; qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur ferantur; quid est tandem, Dii boni, quod laboremus? portus enim*

enim præſto eſt (quoniam mors ibidem eſt) æternum nihil ſentienti receptaculum. Conferri in hunc locum poteſt S. Auguſtinus Epiſt.* 52. ad Macedonium, & de civit. Dei l. 19. c. 4.

§. 80. Nondum dimittendus eſt Kantius, ſed revocandus in viam, unde evagari nititur. Quomodo, inquiebat, intelligi poteſt imperativus categoricus, ſeu vis legis abſolute & categorice imperantis, ac neceſſitatem obſequii imponentis hominibus: at reſponſi loco alium profert imperativum categoricum hunc; *ſic age, ut quovis homine utare tanquam fine, non mero inſtrumento.* At ego de vi & neceſſitate hujusce ipſius imperativi quæro, unde & quomodo intelligatur, aut proveniat; cum is ſuprema lex ſit humanæ libertatis in officio continendæ. *) Dein ediſſerat aliquando Kantius de imperativo hoc ſuo, utrum illum ad ſtatum naturalem hominis referat, an ad adventitium & politicum? profecto ad naturalem referre non poteſt, qui ſtatum naturalem hominis, non quidem *bellum omnium in omnes* Hobbeſii verbis, ſed tamen ex mente Hobbeſii *ſtatum belli omnium in omnes* cenſuit, appellavitque. **) Demum ſi natura homines in ſtatu belli omnium in omnes collocavit; quomodo moderatur libertatem, ne in aliorum jura invadamus? quæ dein auctoritas, quæ vis & neceſſitas principii kantiani de finibus cogitari poteſt? aut ſi libertatem moderatur, & coarctat; quomodo bellum aut ſtatum belli omnium in omnes effecit? Ita cum ante in orbem verteretur Kantius, & argumenti loco id afferret, quod argumento perinde eget, ac quod primo propoſuerat; demum in ſe ipſum ac ſententias

ſuas

ſuas pugnando convertitur. In adventitio ſtatu non præcipiet, credo, ut unusquisque ſe ipſum, æque, ac univerſos pro fine agendorum habeat; cum privatis commodis præferendum ſit commune, publicumque; & munera omnia reipublicæ non ad eorum, qui ea obeunt, ſed ipſius reipublicæ utilitatem ſint inſtituta; ac obſervamus, vel cupidiſſimos homines, cum maxime rebus ſuis conſulunt, graviſſimis vocibus conteſtari, non ſuas ſeſe, ſed publicæ rei commoditates ſpectare, & augere velle.

*) Seite 69. Dieſes Princip der Menſcheit, und jeder vernünftigen Natur überhaupt, als Zwecks an ſich ſelbſt (welche die oberſte einſchränkende Bedingung der Freyheit der Handlungen eines jeden Menſchen iſt) iſt nicht aus der Erfahrung entlehnt.

**) *Die Religion inner den Gräntzen der bloſsen Vernunft* Seite 126. Hobbes Satz: ſtatus hominum naturalis eſt bellum omnium in omnes, hat weiter keinen Fehler, als daſs es heiſsen ſollte: Eſt ſtatus belli &c. denn wenn man gleich nicht einräumt, daſs zwiſchen Menſchen, die nicht unter äuſsern und öffentlichen Geſetzen ſtehen, jederzeit wirkliche Feindſeligkeiten herrſchen: ſo iſt doch der Zuſtand derſelben (ſtatus juridicus) d. i. das Verhältniſs, in und durch welches ſie der Rechte (ihres Erwerbs oder Erhaltung nach) fähig ſind, ein ſolcher Zuſtand, in welchem ein jeder ſelbſt Richter über das ſeyn will, was ihm gegen andere Ruhe ſey, aber auch für dieſes keine Sicherheit von andern hat, oder ihnen giebt, als jedes ſeine eigene Gewalt; welches ein Kriegszuſtand iſt, mit dem jedermann wider jedermann beſtändig gerüſtet ſeyn muſs.

§. 81. Neceſſitas ergo implendæ legis, quæ per kantianum rationis imperium voluntati imponitur,

nitur, per novum aliud imperium rationis minime explicatur. Quid igitur pro legis vi & necessitate relinquitur, nisi jactata illa a Kantianis *dignitas* humanæ mentis, quæ satis valida, & quodammodo cogens esse deberet ad coercendos appetitus pravos, & homines in officio continendos? At dignitas illa nequaquam ad solam legis necessitatem pertinet, sed multo etiam magis ad ea, qua absque lege fiunt honeste, liberaliter, prudenter, fortiter, heroice, admirabiliter in omni genere virtutum; aut ergo ex consiliis rationis fient præcepta naturæ; aut præcepta naturæ omni detracta vi redigentur in ordinem consiliorum & regularum simplicis convenientiæ, quæ agentium arbitrio subjacent; in quem errorem scriptores quosdam naturalis Juris, seu potius eversores incidisse constat; neque ab illo latum unguem distat Kantius; posteaquam id dedit Hobbesio, statum naturalem hominis esse statum belli omnium in omnes. Qua doctrina imbuti homines lascivi ac protervi ita cogitabunt: nihil homini dignius est, quam consulere tranquillitati & securitati suæ: & prævenire eos, qui nocere possent, atque ita premere & affligere, ut extra nocendi statum sint: nihil dignius, quam dominari aliis, neminem metuere, timeri ab omnibus. Qui vero leniore ingenio sunt, nihil dignius censebunt, quam sectari beatitatem, frui deliciis, explere desideria naturæ; quidquid enim de honestate virtutis disseritur a Philosophis, fortassis nihil est, nisi umbra & ludibrium imaginationis ultra humanam conditionem sese efferentis; qua de re addubitare nos docuit Kantius.

*)

*) Seite 4. Es liegt in der Idee von dem abſoluten Werthe des bloſsen Willens, ohne einigen Nutzen bey Schätzung deſſelben in Anſehung zu bringen, etwas ſo befremdliches, daſs unerachtet aller Einſtimmung ſelbſt der gemeinen Vernunft mit derſelben, dennoch ein Verdacht entſpringen muſs, daſs vielleicht bloſs hochfliegende Phantaſterey in geheim zum Grunde liege; und die Natur in ihrer Abſicht, warum ſie unſerm Willen Vernunſt beygeleget habe, falſch verſtanden ſeyn möge.

§. 82. Quæ eſt tandem vera dignitas humanæ mentis, aut quo ex fonte profluit, quibus nixa eſt fundamentis? In eo, inquit Kantius, poſita eſt dignitas naturæ noſtræ, quod, cum incitamentis ac ſtimulis ſenſuum non ſe ſubjicit, digna evadat, quæ in regno naturarum ratione pollentium ipſa etiam cum iisdem leges ferat. At iſtuc plane falſum eſt, & inane totum; quemadmodum ſatis & abunde oſtendi: non eſt hæc dignitas *veritate* nixa, ſed erroribus & illuſione vaniſſimæ imaginationis. Illa illa eſt prima & ſumma *veritas*, profiteri hominem, nihil eſſe ſe, nihil poſſe ex ſeſe: totum a Deo pendere: ejus unius legibus penitiſſime ſubjacere: ipſi ſoli omnem gloriam deberi. In hoc & natura creatæ mentis, & dignitas ſita eſt. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc enim omnis homo.* Eccl. XII. 13. quaſi diceret, hoc primum eſſe, hoc præcipuum, quod hominem efficeret, ſi veritati, ſi naturæ ſuæ, ſi naturæ finibus conſentire velit; ſecus ſcilicet partes ſequitur damnati illius ſpiritus, *qui in veritate non ſtetit; in quo veritas non eſt.* Joan. VIII. 44. Quod idem Philoſophi peccarunt, qui *cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, neque gra-*

tias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis; & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Rom. I. 21.

§. 83. Novum argumentum profert Kantius, quo ipſum hominem legum auctorem, & conditorem facit. Novimus, inquit, vel ex ipſa idea libertatis, non ſolius mundi ſenſibilis, ſed etiam intelligibilis partem nos eſſe. Porro mundus intelligibilis is eſt, qui fundamentum, rationemque eorum, quæ in ſenſus cadunt, & univerſi mundi ſenſibilis continet: ergo voluntas, quæ mundi intelligibilis propria eſt, tanquam ratio principiumque legum, proindeque ut imperatrix, aut dominatrix ſpectari debet. Hoc igitur modo poſſibiles ſunt imperativi categorici h. e. uti ipſe declarat, quando in eam poſſibilitatem inquirit, hoc demum modo vis & neceſſitas ex lege proveniens intelligi poteſt. *) Admirentur per me alii acumen kantianum: ergo inanitati verborum iraſcor, & Kantium Kantio iterum adverſantem video. Mundus, inquit, intelligibilis fundamentum rationemque continet mundi ſenſibilis. Argumetum non addit, quo aſſertum hoc confirmet. Igitur inſtar principii iſtuc ſumit, cui nemo facile refragetur, nec ego refragabor. Et quo animo, qua verborum ſignificatione iſtuc ſumi poteſt, ne a vero abhorreat evidentiſſime? Si ego mundum ſenſibilem vi intellectus rationisque habeam exploratum parte non modica: ſi leges ſtatices, ſi leges mechanices & terreſtris & cæleſtis noverim: ſi futuros motuum eventus, ſi obſcurationes ſiderum valeam prænuntiare; nunquid mens mea & ratio eorum omnium fundamentum rationemque continet? nunquid ego præfixi & conſtabilivi leges illas mundi ſenſibilis? quid eſt ergo, cur

cur in mundo intelligibili inesse vult rationem eorum, quæ in sensibili contingunt? quid est, inquam, aliud, nisi universa, quæ in sensus nostros cadunt, naturæ opera constanti ordine & admirabili varietate, quæ sine ratione & intelligentia cognosci non possunt, a conditore Deo summa sapientia esse effecta, constituta, certissime stabilita? atqui Kantius negat in critica ex mundi contemplatione satis cognosci divinum Numen posse.

*) Seite 110. Das vernünftige Wesen zählt sich als Intelligenz zur Verstandeswelt. — — Von der andern Seite ist es sich seiner doch auch als eines Stückes der Sinnenwelt bewusst. — Weil aber die Verstandeswelt den Grund der Sinnenwelt, mithin auch der Gesetze derselben enthält, also in Ansehung meines Willens (der ganz zur Verstandeswelt gehört) unmittelbar gesetzgebend ist, und also auch als solche gedacht werden muss. — — Und so sind categorische Imperative möglich.

Caput X.

Susceptus labor explicandi vim legis implicatur novis molestiis et difficultatibus ob confusas ideas libertatis humanae.

§. 84. De libertate hominis in re morali multis verbis agit Kantius in Critica rationis, & in sua Metaphysices moralis fundatione; quibus locis confuse omnia atque imperfecte tradit; non pauca etiam falsa & ipsi philosophiæ, nedum theologicis veritatibus contraria admiscet. Voluntas, inquit, est vis actuosa quædam & effectrix (species causalita-

litatis) naturarum viventium , quatenus ratione pollent. Unde libertas ea est illius proprietas, qua ipsa moveri atque operari potest, quin a caussis extraneis debeat determinari. *) Fatetur, negativam esse definitionem hanc: *non pendere a caussis extraneis :* at in eadem contineri quippiam positivum ait; quia voluntas certis legibus agit, non iis quidem naturalibus, uti fit in corporum mutationibus, sed hac lege, ut ipsa sibi sit lex. Naturæ quidem *necessitas* est *heteronomia* caussarum efficientium; quia caussa efficiens per aliud determinari debet, ut agat; unde a contrario infertur: libertas voluntatis *autonomia* est, sic ut ipsa sibi lex sit, & esse debeat. At vero positio hæc: *voluntas in agendo ipsa sibimet lex est*, exprimit principium morale, non agendi nisi ex regula, quæ lex universalis esse queat. Ex quo demum concluditur in idem recidere hæc duo: *voluntas libera est*, &: *voluntas legi morali est subjecta.* **)

*) Seite 97. Der Wille ist eine Art von Caussalität lebender Wesen, so fern sie vernünftig sind; und Freyheit würde diejenige Eigenschaft dieser Caussalität seyn, da sie unabhängig von fremden sie bestimmenden Ursachen wirkend seyn kann. Seite 109. Unabhängigkeit von den bestimmten Ursachen der Sinnenwelt ist Freyheit.

**) Also ist ein freyer Wille, und ein Wille unter sittlichen Gesetzen einerley.

§. 85. Mirum, quot res diversas hoc uno loco confundat Kantius, quas distinguendi maxima opportunitas fuit in tractatu bene longo, quem de solo conscripsit principio morum.

Ac

Ac *primo* confunditur *naturæ necessitas* ea, quæ ab *externa* provenit impulsione, & naturæ necessitas ex *interna* vi & propensione naturali orta.

Certe *secundo* confunditur *libertas a coactione*, seu immunitas a vi externa, cui resisti nequit: & *libertas a necessitate*, seu immunitas ab interna ac naturali ad unum præ alio determinatione; talis determinatio facit, ut sponte quidpiam agatur, at non continuo etiam libere. Ut feræ bestiæ prædas suas persequantur ac devorent, nulla opus coactione est; sponte id faciunt; at quis ob id libertate donatas putet? Fit sæpe numero, ut pravæ cupiditates effervescant in mortalium animis; quibus, si libertatem non accommodet homo, culpam non habet: nec e contrario, si illis obsequatur, & cedat, excusationem, fatente ipso Kantio. *) Sed idem nihil ultra libertatem a coactione profert, quando docet, concipi non posse rationem, quæ suorum conscia judiciorum extrinsecus ad illa determinetur; ut proinde voluntas tanquam libera spectari debeat. **) Libertas hæc fatente iterum Kantio, sibique ipso adversante, cum naturæ necessitate sane componi potest; ut adeo ex doctrina Kantii immunitas a coactione quidem, non item a necessitate naturæ concludatur, & propugnari queat. ***)

Tertio. Confunditur libertas *moralis*, ob quam in potestate hominis esse dicitur id tantum, quod cum lege & honestate congruit: ac libertas *physica*, qua homo in potestate habet, agere, quæ repugnant legi & honestati; nec aliter, nisi ope hu-

jus confusionis a libertate ad autonomiam & ab autonomia ad libertatem differendo progreditur Kantius.

Quarto. Confunditur libertas creatæ mentis & libertas summi conditoris. Si enim voluntas *libera* eadem est, ac voluntas *subjecta legi*; necesse est, ut conditorem rerum, legumque omnium legibus subjiciat, & obnoxium faciat; contra ac locis aliis profatus est.

*) Seite 118. Daher kömmt es, daſs der Mensch sich eines Willens anmaſst, der nichts auf seine Rechnung kommen läſst, was bloſs zu seinen Begierden und Neigungen gehört; und dagegen Handlungen durch sich als möglich, ja sogar als nothwendig denkt, die nur mit Hintansetzung aller Begierden, und sinnlichen Anreizungen geschehen können.

**) Seite 101. Man kann sich unmöglich eine Vernunft denken, die mit ihrem eigenen Bewuſstseyn in Ansehung ihrer Urtheile anderswoher eine Lenkung empfienge. — Sie muſs sich selbst als Urheberinn ihrer Principien ansehen, unabhängig von fremden Einflüſsen, folglich muſs sie als practische Vernunft, oder als Wille eines vernünftigen Wesens, von ihr selbst als frey angesehen werden.

***) Seite 113. Die Idee der Freyheit, das ist, Unabhängigkeit von bestimmenden Ursachen der Sinnenwelt nöthiget den Menschen unwillkührlich, daſs er sich in den Standpunkt eines Gliedes der Verstandeswelt versetzt, in welchem er sich eines guten Willens bewuſst ist, der für seinen bösen Willen, als Gliedes der Sinnenwelt nach seinem eigenen Geständnisse das Gesetz ausmacht, dessen Ansehen er kennt, indem er es übertritt. Das moralische *Sollen* ist also ein *nothwendiges*

Wol-

Wollen als Gliedes einer intelligibelen Welt, und wird nur so fern von ihm als Sollen gedacht, als er sich zugleich wie ein Glied der Sinnenwelt betrachtet.

§. 86. Velim ut probe expendantur, quæ ex Kantio totidem verbis exscripsi: quibus si adjungerentur ea, quæ hoc ipso opere fundationis, & in Critica rationis puræ, cum de antinomiis, & de canone ejusdem rationis agit, de libertate fuse lateque differit, tum pateret profecto, quantopere res perspicua, certa & expedita, verborum circuitione, vocumque, definitionum, & divisionum novitate, & peregrinitate implicari possit, obscurarique. Quid homini sanæ mentis, si modo ad rationem suam, si ad conscientiam parumper advertat animum, magis perspicuum exploratumque esse potest, quàm libertatis & clara notio, & indubitata veritas. Sed ista est sors errorum, falsarumque hypothesium, ut qui eas aliquando amplexati sunt, malint repudiare, quæ sunt certa plane, quam dimittere, quæ primo incerta assumta, dein falsa reperta sunt. Audiatur Kantius. Hominem incitamentis sensuum stimulari, eodemque tempore ratione uti, qua appetitum sensuum regat, res est plana, & liquida, quæ paucis verbis expediri potest; quam ille multis novisque vocibus de mundo sensibili & intelligibili involvit, obfuscavitque. Siquid homo ex legibus morum facere debet, id vult necessario; sic ut *oportere* fieri, & *necessario velle*, ut fiat, in eundem sensum recidant (Das moralische Sollen ist ein nothwendiges Wollen) quid oporteat fieri, id ratio dictat, seu in *judicio rationis* situm est: quid fiat reipsa (cum de morali actu est sermo) id *a volun-*

tate pendet. At quoties judicio rationis actus voluntatis, & rationi voluntas adversatur? quomodo igitur moraliter *oportere*, ut fiat, & *velle* reipsa necessario idem sunt? aut si proposita per rationem lex voluntatem ciet impulsione quadam, si monet, si absterret; qualis est hæc voluntas, quæ cum proposito, ac patrato flagitio una consistit? quæ est igitur ista inconstantia loquendi, quæ actionum, agendique facultatum confusio? nunc voluntatem per legem, & repræsentationem legis, seu per rationem determinari docet plane & diserte, ut adeo id, quod rationis est proprium, ab eo, quod attribui voluntati debeat, necessario distinguat: sed loco alio ex distinctis, separatisque rem unam facit eandemque. Quæ rationis est particeps natura, inquit in fundatione Metaphysices, *) ea facultate pollet agendi ex repræsentatione legis seu ex principiis, id est, eadem voluntatem habet. Atque hæc quidem verba satis indicant, aliam esse rationis functionem, quæ legem repræsentet, & quodammodo præmonstret: & aliam diversam esse actionem voluntatis, quæ legi repræsentatæ conformet se, vel adversetur. Vix ista inter se distinxerat, mox continenter subjicit hæc: quia ratione opus, ut ex legibus actiones deriventur, voluntas aliud non est, nisi ratio practica. At si ratio legem proponit, non jam alia ratione opus est, ut actio legi consentanea inde sequatur, sed voluntate, quæ legem arripiat, actionemque convenienter propositæ legi decernat, perficiatque. Ratio practica, quid concessum sit, quid præceptum, vetitumve docet. Fit autem sepenumero, ut maxime conscius legis fateri debeat: video meliora, pro-

proboque; deteriora ſequor. Qua igitur veri ſpecie ſtatui poteſt, practicam rationem eſſe reipſa voluntatem? nullane in eo, qui in legem peccat, ineſt ratio practica?

*) Grundl. Seite 36. Ein jedes Ding der Natur wirket nach Geſetzen. Nur ein vernünftiges Weſen hat das Vermögen, nach der Vorſtellung der Geſetze d. i. nach Principien zu handeln oder einen Willen. Da zur Ableitung der Handlungen von Geſetzen Vernunft erfordert wird, ſo iſt der Wille nichts anders, als practiſche Vernunft.

§. 87. In Critice de libertate agens aliud, inquit, *eſt arbitrium brutum*, quod non aliter niſi ſtimulis ſenſuum, id eſt, pathologice determinari poteſt: aliud *arbitrium liberum*, quod independenter a ſtimulis ſenſuum, proindeque per cauſas moventes ſola ratione repræſentatas poteſt ad agendum determinari. Quidquid cum iſtiusmodi arbitrio conexum eſt, tanquam principium aut conſecutio, id nuncupatur *practicum*. *) Quis furioſis, infantibus, ipſis beſtiis arbitrium unquam attribuit? aut quid deſignat arbitrium, quando de libertate fit ſermo? Arbitrium brutum, & arbitrium liberum quid aliud ſunt, niſi libertas non libera, & libertas libera? Dein libertas, inquit, alia eſt *metaphyſica*, tranſcendentalis ſive in ſenſu coſmologico; alia *practica*, ſive practica ſignificatione. Libertas metaphyſica eſt facultas ſtatum inchoandi ex ſe, qui nempe a ſtatu priore ſecundum certam regulam non determinatur. Libertas practica ſita eſt in independentia a neceſſaria determinatione ſecundum ſtimulos ſenſuum. **)

Mens Kantii hæc eſt, quando de *cauſis neceſſariis naturæ*, & *cauſis liberis mentium* ratione præditarum diſſerit: cauſalitas naturalis & neceſſaria conſiſtit in connexione neceſſaria cujuspiam ſtatus cum alio præcedente ſtatu rerum, ex quo ille ſecundum certam regulam ſequitur. In qua definitione continetur notio ſtatus prioris & ſtatus poſterioris, proinde notio temporis. Ex priore autem ſtatu, ſi idem extitiſſet ſemper, non ſequeretur poſterior. Igitur prior etiam ſtatus & ortum habuit, & cauſalitatem præcedentem. At cauſalitas libera, ſeu libertas metaphyſica facultatem indicat inchoandi ex ſe ſtatum, qui proin a ſtatu præcedente ſeu a cauſa ſecundum tempus ſe determinante non pendet. Atque hæc ad libertatem ſenſu coſmologico pertinent. In practico ſenſu libertas id denotat, quod homo ſtimulis ſenſuum obnoxius non ſemper & neceſſario iis determinetur, ſed rationis imperium ſequi poſſit, & ſequatur ſæpenumero. Sine dubio libertas vera ſenſu priore continetur, qui una ad pugnam ſenſuum & rationis referri debet; ut proin diviſio in regulas Logices peccet, quæ vetant ſic dividere, ut alterum membrum in altero contineatur, alterumve contineat. Intereſt ſane, dilucide rem exponere.

*) Critik der reinen Vernunft, Auflage vom Jahre 1791. Seite 830. Eine Willkur iſt bloſs thieriſch (arbitrium brutum) die nicht anders, als durch ſinnliche Antriebe, d. i. pathologiſch beſtimmt werden kann. Diejenige aber, welche unabhängig von ſinnlichen Antrieben, mithin durch Bewegurſachen, welche nur von der Vernunft vorgeſtellet werden, beſtimmt werden kann, heiſst die freye Willkur (arbitrum liberum) und alles,

was mit dieser, es sey als Grund, oder Folge zusammenhängt, wird practisch genannt.

**) Ebend. Seite 561. Ich verstehe unter der Freyheit, im cosmologischen Verstande, das Vermögen einen Zustand von selbst anzufangen, deren Causalität alfo nicht nach dem Naturgesetze wiederum unter einer anderen Ursache steht, welche sie der Zeit nach bestimmte. — — Die Freyheit im practischen Verstande ist die Unabhängigkeit der Willkur von der Nöthigung durch Antriebe der Sinnlichkeit. — — Die menschliche Willkur ist zwar ein arbitrium sensitivum, aber nicht brutum, sondern liberum, weil Sinnlichkeit ihre Handlung nicht nothwendig macht, sondern dem Menschen ein Vermögen beywohnt, sich unabhängig von der Nöthigung der sinnlichen Antriebe, von selbst zu bestimmen.

§. 88. Si illicia & stimuli sensuum actionem, qua iis pareatur, non efficiunt necessariam, sed facultate præditus est homo ipsum se determinandi, quin ab iis pendeat, tum quidem is vi libertatis practicæ ex se ipso statum inchoat a præcedente illiciorum, ac stimulorum statu haud quaquam pendentem; unde consequitur, ut libertas hæc practica in metaphysica libertate contineatur. Sed quia anceps est practicæ libertatis significatio, totum id penitius dispiciendum erit. Experimur sane, hominem neque semper rationi, neque perpetuo sensibus obsequi; unde sequitur manifesto, eundem natura, & stabili lege ad neutram partem esse adstrictum. Sed illud maxime videndum est, utrumne homo eo tempore ac statu, quo appetitum sensuum sequitur, in potestate habeat, non sequi eundem, sed obtemperare rationi, illo represso: aut con-

contra cum rationi obtemperat, utrum etiam tum cedere ſtimulis ſenſuum poſſit. Atque id omnino tenendum eſt, quando vera aliqua libertas humamanis actibus attribuitur. Neutro autem caſu vis externa, aut coactio ponitur; ſed de interna neceſſitate aut libertate diſputatio eſt. Adverſarii enim libertatis & ipſi hoc tenent, homines alio tempore virtutem, alio vitium amplecti, at ſic nempe, ut eo tempore ſtatuque, quo bene honeſteque agunt, non poſſint non bene agere honeſteque: aut ſi oblectamenta ſenſuum ſequuntur, in poteſtate non habeant proxime, iisdem rejectis virtutem amplecti. Kantius quidem hoc loco, ut alias ſæpe ſibi non conſtat. Aliquando enim veluti adactus veritatis vi ac luce, recta incedit via; ſed paulo poſt ab ea deflectit, velut pertæſus veritatem, ſi eadem jam recepta vulgo, & aliorum communis eſt. In fundatione ſua ait, etiam peſſimos quosque, ſuisque cupiditatibus maxime irretitos probare, & admirari virtutem, quæ cupiditatibus ſuperior eſt: velle eos eſſe, quales non ſunt, & dum in legem peccant, legis auctoritatem agnoſcere. *) In Critice vero ſua illud ſæpius ingerit: leges morales præcipiunt abſolute, quid fieri, aut non fieri oporteat: igitur poſſibile omnino eſſe debet, ut id fiat, aut non fiat reipſa. **) Sed quod expendi debet, ſummopere, illud eſt, quod libertatem practicam in metaphyſica libertate quodammodo fundari & contineri doceat, ſic ut ſublata hac poſteriore illam quoque tolli neceſſe ſit. ***) Nam vi libertatis metaphyſicæ quisque ſtatum ex ſe inchoat non pendentem a ſtatu præcedente illiciorum, & cupiditatum ad ſenſus ſeu, ut ait, ad phænomena per-

pertinentium. Si ergo in hominis poteſtate non eſt, ita inchoare ex ſemet ſtatum quendam, tum cupiditatem, ſenſuumque ſtimulos non libere ſequetur, ſed neceſſario, uti contingit in naturalibus eventis naturæ. Hæc quidem præclara ſunt, & veritati omnino conſentanea, ſatisque oſtendunt, Kantium non id tantum aſſerere, homines alio tempore ſenſibus obſequi, alio rationi; ſed aut obſequi ſenſibus ita, ut eodem tempore iis neglectis* in poteſtate habeant obſequi rationi: aut quando huic obſequuntur reipſa, in poteſtate habeant, obſequi ſenſibus, ſpretaque ratione cupiditatibus ſe ſe dare.

*) Grundl. Seite 112. Es iſt Niemand, ſelbſt der ärgſte Böſewicht, wenn er nur ſonſt Vernunft zu gebrauchen gewohnt iſt, der nicht, wenn man ihm Beyſpiele der Redlichkeit in Abſichten, des Standhaftigkeit in Befolgung guter Maximen — vorlegt, nicht wünſche, daſs er auch ſo geſinnt ſeyn möchte. — — Er erkennt das Anſehen des Geſetzes, indem er es übertritt.

**) Critik der reinen Vernunft Seite 835. Die reine Vernunft enthält zwar nicht in ihrem ſpeculativen, aber doch in einem gewiſſen practiſchen, nämlich dem moraliſchen Gebrauche, Principien der Möglichkeit der Erfahrung, nämlich ſolcher Handlungen, die den ſittlichen Vorſchriften gemäſs in der Geſchichte des Menſchen anzutreffen ſeyn könnten. Denn da ſie gebiethen, daſs ſolche geſchehen ſollen, ſo müſſen ſie auch geſchekönnen. Cogor hic velut prætereundo inſignem Kantii contradictionem notare. Ait enim hoc loco, in principiis morum contineri rationem, cur actiones virtuti conſentaneas cognoſcere per experientiam poſſimus. At in fundatione Metaphyſices negat de ulla honeſta actione experientiam habe-

haberi posse. Seite 26 und 27. Es ist schlechterdings unmöglich, durch Erfahrung einen einzigen Fall mit völliger Gewisheit auszumachen, dass die Maxime einer sonst pflichtmässigen Handlung lediglich auf moralischen Gründen, und auf der Vorstellung seiner Pflicht beruhet habe. — Es brauch eben kein Feind der Tugend, sondern nur ein kaltblütiger Beobachter zu seyn, um in gewissen Augenblicken zweifelhaft zu werden, ob auch wirklich in der Welt irgend wahre Tugend angetroffen werde.

***) Critik Seite 561. Es ist überaus merkwürdig, dass auf diese transcendentale Idee der Freyheit sich der practische Begriff derselben gründe. — Man sieht leicht, dass wenn alle Causalität in der Sinnenwelt bloss Natur wäre, so würde jede Begebenheit durch eine andere in der Zeit nach nothwendigen Gesetzen bestimmt seyn, und mithin da die Erscheinungen, so fern sie die Willkur bestimmen, jede Handlung als ihren natürlichen Erfolg nothwendig machen mussten, so würde die Aufhebung der transcendentalen Freyheit zugleich alle practische Freyheit vertilgen.

§. 89. Verum, ut dixi, non diu recta via procedit Kantius, sed mox, postquam docuerat, in metaphysica libertate fundari continerique practicam, eandem ipsam in medio relinquit, & instar problematis esse ait, cujus nec veritas satis demonstrari, nec falsitas possit, satisque esse, solam practicam habere præ oculis, omissa metaphysica seu transcendentali libertate, quæ ad speculativas quæstiones pertineret. *)

*) Critik Seite 831. Ob die Vernunft selbst in diesen Handlungen, dadurch sie Gesetze vorschreibt, nicht Wiederum durch anderweitige Einflüsse bestimmt sey,

sey, und das, was in Absicht auf sinnliche Antriebe Freyheit heisst, in Ansehung höherer und entfernterer wirkenden Ursachen nicht wiederum Natur seyn möge, das geht uns im Practischen nichts an, sondern ist eine blosse speculative Frage, die wir so lange, als unsere Absicht aufs Thun oder Lassen gerichtet ist, bey Seite setzen können. — — Die Frage wegen der transcendentalen Freyheit betrifft bloss das speculative Wissen, welches wir als ganz gleichgültig bey Seite setzen können, wenn es um das Practische zu thun ist.

§. 90. Ex naturæ legibus maximam & prope insuperabilem difficultatem, cum de libertate agendum est, provenire putat Kantius. Omnia enim, quæcunque in mundo afficiunt sensus nostros, certis, & necessariis legibus, & perpetuo ordine in præcedentium causarum effectuumque serie jam præparatum definitumque statum indicant, comprobantque evidenter. Cum hac autem naturæ necessitate componi nequit agendi, aut non agendi libertas, seu facultas ex se inchoandi statum in præcedentium causarum effectuumque serie non ante jam præparatum definitumque. Ex hoc laqueo pene inextricabili feliciter evadere se gloriatur, si ea mente, quam in Critice exponit, discrimen statuatur inter res, uti *sensibus subjacent*, easdemque, uti *solo intellectu comprehenduntur*, discrimen scilicet inter *Phænomena*, uti nuncupat, & *Noumena*. Quo posito naturæ necessitati subjacebit homo, quatenus phænomenon est, & libertate fruetur, uti inter noumena censetur. *) Sic autem differit: quævis natura actuosa & effectrix in hoc mundo *characterem* habet, id est legem causalitatis, sine qua lege

lege esse causa non posset: estque is character primo *empiricus*, quo ejus actiones tanquam phænomena cum aliis phænomenis stabili naturæ lege connectuntur: dein character *intelligibilis*, per quem ea natura causa est quidem actionum sub sensus cadentium seu phænomenorum: ipsa autem phænomenon non est, nec eorum legibus subjacet. De Noumeno recte dixeris, ipsum suas operationes aut effectus in mundo sensibili ex se ipso inchoare, quin actio in eodem ipso incipiat; idemque valeret, quin necesse sit, ut effectus in mundo sensibili ex se incipiant, cum ii jam ante per conditiones seu leges phænomenorum determinati sint, nec aliter evenire possint nisi tanquam progressio seriei per naturales causas definitæ. **)

*) Critik in der Vorrede zur zweyten Auflage. Seite XXVII. Ebendas. Elementarl. II. Th. II. Abtheil. II. Buch II. Hauptst. IX. Abschn. Möglichkeit der Causalität durch Freyheit in Vereinigung mit dem allgemeinen Gesetze der Naturnothwendigkeit. Seite 566.

**) Ebendas. Seite. 569. Man würde von ihm (dem Noumeno) ganz richtig sagen, dass es seine Wirkungen in der Sinnenwelt von selbst anfange, ohne dass die Handlung in ihm selbst anfängt; und dieses würde gültig seyn, ohne dass die Wirkungen in der Sinnenwelt darum von selbst anfangen dürften; weil sie in derselben jederzeit durch empirische Bedingungen in der vorigen Zeit, aber doch nur vermittelst des empirischen Characters (der bloss die Erscheinung des Intelligibelen ist) vorher bestimmt, und nur als eine Fortsetzung der Reihe der Natururſachen möglich sind.

§. 91.

§. 91. Duo nunc disquirenda sunt; ac primo de necessitate naturæ, & naturali causalitatis lege agendum, quantum quidem res præsens exigit, dein usus ille distinguendi phænomena & noumena, qui fit hoc loco, examinandus. Esse in mundo alias naturas intelligentes & participes rationis, alias experte, non inficiatur Kantius. Quo igitur argumento adstringitur, ut leges easdem, quas in materia & naturis expertibus rationis animadvertimus, ad eas etiam applicet, quæ ratione pollent? certe non argumento majore & verisimiliore, quam si leges sensuum, imaginationis, intellectus, rationisque accomodare ad res corporeas, & materiam inertem vellet. Si naturæ ipsæ differunt toto genere; cur proprietates easdem, & leges operandi easdem, quæ profecto ex natura profluunt, iisdem tribuamus?

§. 92. De distinctione, quæ fit hoc loco inter phænomena & noumena, perturbari se lector ne, quæso, sinat, si eandem perspicere, ejusque penetrare vim & significationem non possit. Persuasum enim mihi est, re diu multumque expensa, nec ipsum Kantium cogitare ac comprehendere potuisse, cum ea scriberet. Ac primo quid inter *effectus* causæ actuosæ (Wirkungen) & *actiones* seu operationes (Handlungen) discriminis concipi mente potest? Noumenon effectum ex se inchoat: sed actio in ipso non incipit. Quid est hoc? *Mens humana, spectata ut noumenon, ex se inchoat mutationem status, sed actio seu status mutatio in mente humana non incipit?* Si in Leibnitiana hypothesi de harmonia præstabilita, qua innutritus videtur Kantius, sic dissereret: mens libertate sua

utitur, & vult quidpiam, aut non vult, sed *effectus* hujus voluntatis, scilicet motio membrorum, non ita incipit, ut in præstabilito mechanismo non jam præparatus ac definitus sit; intelligi sane posset, quid dicat Kantius; nunc autem ait: Noumenon effectum ex se inchoat: actio tamen in eodem non incipit. Si actio initium non habet: igitur ante jam extitit, & mens ante mutationem mutata jam ponitur. Fortassis quod de æterno conditore rerum dicimus, id de mente creata similiter asserere vult? effectus in tempore inchoatur, sed actio, quatenus in Deo est, nempe voluntas creandi non tum primum incipit, cum effectus extra Deum ponitur; quia ab æterno jam extitit. Sed negat idem, de initio rerum conditarum quidquam constare nobis; cum in serie perpetuo ascendendum sit ad tempora superiora, nec ad initium perveniri queat. Quomodo dein mens statum ex se inchoat, si idem per antecessionem causarum definitus jam est? At enim opera perditur in explicandis iis, quorum alterum ab altero tollitur. Eadem nempe mutatio humanæ mentis, uti ad noumenon refertur, libera est, non necessaria: uti refertur ad phænomenon, necessaria est, non libera.

§. 93. Reliquum est, ut ipsa notio libertatis transcendentalis, ejusque origo ex doctrina Kantii discutiatur. Si libertas (inquit in Critica *) sensu cosmologico accipiatur, ejus idea pura transcendentalis est, quæ nihil continet, quod ab experientia proveniat, vel ad experientiam revocari, eaque comprobari possit. Quidquid enim fit, id necessaria lege ab alia pendet cau-

causa, eaque itidem ab alia, quæ pariter orta seu facta est, ut adeo totum id, quod experientia exhibet, quam patet latissime, naturam & naturæ necessitatem præ se ferat. At cum hoc quidem modo nunquam perveniri ad finem progressionis, & absolutam totalitatem effectuum, causarumque possit; humana ratio ideam causæ spontaneæ procreat, quæ ex se nulla præcedente causa statum seriemque inchoat, rationemque continet aut primam, si ab ea ad subsequentes rerum status descendas, aut ultimam, si ab his in data serie ascendas. Idea ergo libertatis, seu causæ liberæ nullo experientiæ adminiculo, sed sola vi rationis progignitur. In fundatione Metaphysices notionem *necessitatis naturalis* a priori oriri ait; sed eadem tamen notio per experientiam comprobari potest, & præsumi, seu præponi debet necessario, ut locum habeat experientia, id est, generalibus legibus nixa, copulataque rerum sensibilium cognitio. Ex quibus concludit, *libertatis ideam* efformari sola ratione, ejusque veritatem, seu objectivam realitatem esse incertam, dubiamque: at *necessitatis notionem* provenire ab intellectu, ejusque veritatem aut realitatem ostendi exemplis & experientia posse. **)

*) Critik Seite 561. Die Freyheit ist in cosmologischer Bedeutung eine reine transcendentale Idee, die erstlich nichts von der Erfahrung entlehntes enthält. Zweytens deren Gegenstand auch in keiner Erfahrung bestimmt gegeben werden kann; weil es ein allgemeines Gesetz selbst der Möglichkeit aller Erfahrung ist, daſs alles, was geschieht, eine Ursache, mithin auch die Causalität der Ursache, die selbst geschehen, oder entstanden, wiederum eine Ursache haben müſse: wo-

durch dann das ganze Feld der Erfahrung, so weit es sich erstrecken mag, in einen Inbegriff bloser Natur verwandelt wird. Da aber auf solche Weise keine absolute Totalität der Bedingungen im Causalverhältnisse heraus zu bekommen ist, so schafft sich die Vernunft die Idee von einer Spontaneität, die von selbst anheben könne zu handeln, ohne dass eine andere Ursache vorangeschickt werden dürfte, sie wiederum nach dem Gesetze der Causalverknüpfung zur Handlung zu bestimmen.

**) Grundl. Seite 114. Freyheit ist nur eine Idee der Vernunft, deren objective Realität an sich zweifelhaftig ist: Natur aber ein Verstandesbegriff, der seine Realität an Beyspielen der Erfahrung beweiset, und nothwendig beweisen muss.

§. 94. Inutilem sibi laborem imposuit Kantius inquirendo tam remotam originem ideæ libertatis nostræ: non ea profecto difficili & longa ratiocinatione colligitur; non ex necessitate obtinendi absolutam totalitatem effectuum per rationem confingitur: non per hyothesin quasi ex desperatione causæ ultimæ aliter inveniendæ assumitur, sed cuivis homini, cum primum illucescit ratio, sensu intimo accipitur, aut certe quidem ex iis, quæ sensu intimo quisque in se experitur, ultro se offert. Novit enim unusquisque nostrum, sæpenumero deliberare se, & animo circumspicere, utrum ex pluribus agat, eligatve, quorum quodvis in sua esse potestate judicat, atque etiam, si velit, sua in potestate esse, re experitur: novit, ex sua electione quid pendeat, quid non pendeat: novit, suboriri aliquando in animo suo appetitiones, cupiditates, commotiones, quin ipse libertatis suæ usu excitet, approbet, se-

qua-

quatur; quas ob hanc ipſam cauſam negat, crimini vitioque dari ſibi poſſe (fatente ipſo Kantio *) novit eam eſſe mentis in actiones ſuas poteſtatem, ut ope ſolius cogitationis ſuſcipere actionem, omittere, continuare, abrumpere, vires animi corporisque magis minusve intendere, præſentes ideas intueri, vel attentionem ab iis avertere, redeuntes iterato repellere valeat. Si pura & tranſcendentalis eſt idea libertatis humanæ, erunt pariter ideæ omnes, quas ſenſu intimo, animadverſioneque mutationum animi noſtri accipimus, puræ & tranſcendentales; nec dubito, citius faciliusque libertatis ideam, quam neceſſitatis naturæ ex certis legibus, longaque cauſarum & effectuum ſerie provenientis notionem in mentibus hominum efformari. Non diffitetur Kantius, quemvis hominem cum libertatis idea obire actiones ſuas, **) at quo argumento confirmabit, quemvis hominem ſuam libertatis ideam ex neceſſitate obtinendi abſolutam totalitatem vi & ſtudio rationis extundere?

*) Grundl. Seite 118. Der Menſch läſst nichts auf ſeine Rechnung kommen, was bloſs zu ſeinen Begierden und Neigungen gehört.

**) Seite 100. Ein jedes Weſen, das nicht anders, als unter der Idee der Freyheit handeln kann, iſt eben darum in practiſcher Rückſicht, wirklich frey.

§. 95. Experientia nihil aliud eſt Kantio, quam cognitio ſenſibilium rerum certis legibus nixa copulataque. Nimis anguſta hæc eſt definitio ad ſolam naturæ, & naturalium cauſarum cognitionem reſtricta. Si totum id, quod experimur, id

 eſt,

eſt, ſenſu aliquo animadvertimus, naturæ leges, & neceſſitatem exhibet, quem locum habebunt objurgationes, exhortationes, laudes, reprehenſiones, præmia, ſupplicia, leges; quæ omnia apertiſſime indicant, actiones, in quas cadunt, eſſe in hominum poteſtate, ut eas arbitrio ſuo edere, vel non edere valeant. Ait dein, theoreticæ rationi convenientius eſſe, naturæ neceſſitatem adſtruere & ſequi in omnibus: ſed aliter rem habere in practica conſideratione. *) At quo id argumento probat, ſi ipſa theoretica ratio rerum effectuumque rationem ultimam habet nullam; niſi ad cauſam liberam perveniat tandem, aut ab ea exordiatur? & ſi, uti ait, nulla ingenii ſubtilitate, nullo philoſophiæ acumine tolli libertas poteſt, ſed pari rationis, argumentorumque neceſſitate, ac ipſa naturæ neceſſitas, admitti debeat? **)

*) Seite 114. Die Vernunft findet in der ſpeculativen Abſicht den Weg der Naturnothwendigkeit viel gebahnter und brauchbarer, als den der Freyheit; doch iſt in practiſcher Abſicht der Fuſsſteig der Freyheit der einzige, auf welchem es möglich iſt, von ſeiner Vernunft bey unſerem Thun und Laſſen Gebrauch zu machen.

**) Ebendaſ. Daher wird es der ſubtilſten Philoſophie eben ſo unmöglich, wie der gemeinſten Menſchen Vernunft, die Freyheit weg zu vernünfteln. — Sie kann eben ſo wenig den Begriff der Natur, als der Freyheit aufgeben.

§. 96. Si idea libertatis eam originem non habet tam longe petitam, & ex hypotheſi & neceſſitate confictam, quam Kantius aſſignat, inepte nun-

nuncupatur alia metaphyfica feu tranfcendentalis libertas, alia practica. Nec vero aptius aut concinnius eft practicæ libertatis vocabulum, quam metaphyficæ; quafi non omnis plane libertas ad actiones feu praxin pertineret. Kantius tamen hanc folam, relicta in medio altera illa tranfcendentali, tanquam confentaneam veritati, feu tanquam *realem* propugnat, eamque in eo ponit, quod voluntas a ftimulis & incitamentis fenfuum non pendeat neceffario; quod ipfum valde anceps eft, nec vim genuinam libertatis exprimit, ut fupra docui. Nunc illud animadverto, libertatis vim & ufum nec femper, nec omnino neceffario referri ad pugnam fenfuum & rationis, appetituum nempe fuperioris & inferioris. Fit enim fæpenumero deliberatio, electioque inter bona feu honefta duo, rejecto omni eo, quod turpe eft, de quo citra peccatum ne deliberari quidem poteft, uti eleganter differit Tullius Lib. III. offic. c. 8. *Hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (eft enim totum fceleratum & impium) qui deliberant, utrum id fequantur, quod honeftum effe videant, an fe fcientes fcelere contaminent: in ipfa enim dubitatione facinus ineft, etiamfi ad id non pervenerint.* Sed funt tamen homines improbi, qui repulfo jam rationis judicio hæfitant inter turpia duo, aut plura; v. c. quo velint uti vindictæ genere: qua moleftia afficere velint eum, cui invident: qua furti aut injuftitiæ arte augere velint rem fuam, aut levare inopiam: quo libidinis inftrumento explere velint cupiditatem. Fit etiam deliberatio inter utilia duo: itemque inter id, quod utile, & quod utilius: quod honeftum, & quod honeftius. Quibus omnibus propofitis

nulla rationem inter, ſenſusque neceſſaria pugna cogitari debet. Ita Kantius cum novandi ſtudio novam excogitavit libertatis humanæ diviſionem, & mancam, inconcinnam, ipſis vocibus abſurdam attulit, & prætermiſit receptam illam inter eruditos diviſionem libertatis *a coactione*, & *a neceſſitate*, quæ maximi momenti eſt, & controverſiæ caput in hac re ſola continet.

Caput XI.

Disquiritur demum jactitata a Kantio necessitas constituendi fundamenta metaphysices morum.

§. 97. Siquis longum moleſtumque laborem ſuſcipere velit perſpiciendi ea, quæ in propoſita Metaphyſices moralis fundatione commentatus eſt Kantius, ejusque tractationis ancipites variasque circuitiones cum ipſo exitu conferat, in eam demum opinionem veniet, ut convulſis morum virtutisque fundamentis moralem Scepticiſmum inducere voluiſſe Kantium, affirmare non dubitet. In ipſo quidem limine operis id ſibi propoſitum eſſe aſſeverat, ut ſupremi morum principii fundamenta inquirat, conſolidetque. *) Dein iſtiusmodi principium debere categorium, & abſolutum, & apodicticæ neceſſitatis eſſe docet. At mox principii notiones omnes & ſignificationes maxime diſpares confundit, obcæcatumque lectorem quaſi in labyrintho circumducit, obruitque novis nominibus, & definitionibus nominum. Ait, legem illam ſic degendi, agendique in omnibus, ut actionis regula eſſe queat lex communis, perſpici non

poſſe,

posse, nisi in metaphysicam morum quis penetret. **) Lectores ergo suos velut arrepta manu in metaphysicos anfractus deducit; sed versantes ibi, promissamque veritatis lucem exspectantes paulo post frustratur, *per hypothesin*, inquiens, istiusmodi legem categoricam adhuc assumtam esse: veritatem ejusdem demonstrandi opportunitatem nedum esse obtentam. ***) Suspenso igitur animo praeeuntem Kantium sequitur lector, spe fretus, fore, ut legis necessitatem, vimque categoricam demonstret aliquando, eruatque ex metaphysicis tenebris, in quas eum deduxerat. Sed quanto suo fastidio spe delusum se cernit, cum ita differentem audit Kantium: qua vero ratione istiusmodi propositio synthetica practica, quæ legis possibilitatem, vimque categoricam & necessitatem exprimit, aut possibilis sit, aut necessitatem contineat, id jam ad Metaphysicam morum non pertinere: neque ejus rei veritatem abs se unquam fuisse assertam, multo etiam minus de proferenda demonstratione datam esse fidem: id solum se ostendisse, quid ex recepta vulgo notione moralis legis deduci necessario, admittique debeat, nisi pro chimærica habenda sit lex & notio moralitatis. ****) Post hanc ultro a se factam confessionem ignorationis, desperationisque suæ non tamen dimittit lectorem, sed quasi reconditum adhuc teneret mysterium, ad rem pertinens, repetit quæstionem eandem: *quomodo possibilis est imperativus categoricus?* *****) id est, qua demum ratione concipi, perspicique potest vis categorica, & absoluta necessitas moralis legis? sed fessum jam & impatientem lectorem in ipso etiam fine operis ludificat, negans,

gans, ullam viam patere humanæ rationi ejus explicandæ quæſtionis, quam explicare, ſuisque fundamentis ſtabilire initio propoſuerat. ******)

*) Grundl. in der Vorrede: Gegenwärtige Grundlegung iſt nichts mehr, als die Auffuchung und Feſtſetzung des oberſten Princips der Moralität.

**) Seite 62. Die Frage iſt dieſe: iſt es ein nothwendiges Geboth für alle vernünftige Weſen, ihre Handlungen nach ſolchen Maximen zu beurtheilen, von denen ſie ſelbſt wollen können, daſs ſie zu allgemeinen Geſetzen dienen ſollen? — Um es zu entdecken, muſs man, ſo ſehr man ſich auch ſträubt, einen Schritt hinaus thun in die Metaphyſik der Sitten.

***) Seite 71. Die Imperativen wurden nur als categoriſch angenommen; weil man dergleichen annehmen muſste, wenn man den Begriff von Pflicht erklären wollte. Daſs es aber praktiſche Sätze gäbe, die categoriſch geböthen, konnte für ſich nicht bewieſen werden, ſo wenig, wie es überhaupt in dieſem Abſchnitte auch hier noch nicht geſchehen kann.

****) Seite 95. Wie ein ſolcher ſynthetiſcher practiſcher (categoriſcher) Satz a priori möglich, und warum er nothwendig ſey, iſt eine Aufgabe, deren Auflöſung nicht mehr binnen den Gräntzen der Metaphyſik der Sitten liegt; auch haben wir ſeine Wahrheit hier nicht behauptet, vielweniger vorgegeben, einen Beweis derſelben in unſerer Gewalt zu haben. Wir zeigten nur durch Entwickelung des einmal allgemein im Schwange gehenden Begriffs der Sittlichkeit &c. — Wer alſo Sittlichkeit für etwas, nicht für eine chimeriſche Idee ohne Wahrheit hält, muſs das angeführte Princip derſelben zugleich einräumen.

*****)

*****) Seite 110. Wie ist ein categorischer Imperativ möglich?

******) Seite 125. Das zu erklären, dazu ist alle mensliche Vernunft gänzlich unvermögend, und alle Mühe und Arbeit, hievon Erklärung zu suchen, ist verlohren. — Seite 128. Es ist kein Tadel für unsere Deduction des obersten Princips der Moralität, sondern ein Vorwurf, den man der menschlichen Vernunft überhaupt machen müsste, dass sie ein unbedingtes praktisches Gesetz (dergleichen der categorische Imperativ seyn muss) seiner absoluten Nothwendigkeit nach nicht begreifflich machen kann.

§. 98. Sic igitur Kantius studia lectorum atque exspectationem deludit. Sic & Kantii admiratores sectatoresque eludunt viros summos de ratione kantianæ Philosophiæ inquirentes, dum confidenter asserunt, nihil ex ea religioni, nihil honestati morum, legumque auctoritati periculi imminere, atque adeo rem omnem moralem ita illustrari a Kantio, confirmarique, quantum a nemine Philosophorum adhuc præstitum sit. Quid est ergo? nihilne moribus & religioni obesse dicemus, siquis aperte doceat, moneatque homines, ut videant, atque expendant diligenter, utrumne ideæ omnes, quas de virtute, de naturæ lege & honestate habent, fortassis non sint, nisi ludibria phantasiæ ultra humanam conditionem sese evehentis? qui humanas de re morali cognitiones non esse, nisi partus & ideas rationis, affirmat: ideas omnes autem rationis, veritate reali & objectiva carere contendit, & in numero problematum esse, quorum nec veritas nec falsitas certo deprehendi, & de-

demonſtrari unquam poſſit? Ergone præ philoſophis omnibus de philoſophia morum eſt meritus Kantius, qui diſerte ait, nullum ſe argumentum invenire ſat firmum & perſpicuum, quo abſoluta vis, & firmitas, & neceſſitas naturalium legum demonſtretur: qui totum id ad receptas vulgo ideas, ſenſumque communem remittit: receptas autem vulgo ideas, ſenſumque communem locis aliis ſuorum operum manifeſto explodit, rejicitque adeo, ut horatianum illud uſurpet: *quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.* Quis poteſt Kantio eſſe ſermo de lege morali, qui notionem humanæ libertatis ad incertas & problematicas rationis ideas refert: qui metaphyſicam, uti vocat, nempe genuinam libertatem ſpeciatim problematicam eſſe docet, cui theoretica ratio præferat legem generalem neceſſitatis naturæ: qui ſufficere obtendit practicam libertatem; hanc ipſam autem niti fundarique in metaphyſica libertate fateatur, qua ſublata æque practicam tolli neceſſe ſit? Et qua demum veri ſpecie Kantii conſectatores vel in animum ſuum inducent, vel aliis affirmare audebunt, rem moralem ab auctore illo illuſtratam eſſe, atque confirmatam, qui clariſſimis verbis profitetur, non comprehendere ſe, quomodo voluntas hominis lege morum afficiatur, teneaturque, ut eidem obſequi ſua intereſſe judicet? Quis eſt tandem ſcepticiſmus moralis, niſi hæc ipſa Kantii de lege morali doctrina, quam in ſua Metaphyſices moralis fundatione, aut potius everſione protulit?

§. 99. Opportunus hic locus eſt judicium ferendi de propoſito Kantii, capite primo harum

dis-

disquiſitionum a me commemorato, quo Metaphyſicam morum ex ratione pura, ſegregatam ab omni eo, quod empiricum eſſet, tanquam novam diſciplinæ moralis acceſſionem conſtituere, ejusque jacere fundamenta aggreſſus eſt, multis verbis commendans neceſſitatem iſtiusmodi Metaphyſices. Hoc ſcilicet deerat diſciplinæ morum, ut generatim lex omnis ratione cognita non aliter proponeretur hominibus, niſi idealis, id eſt, ex Kantii doctrina expers certæ veritatis, ſceptica, problematica, populari ſolum opinione nixa; cujus nulla ſuppetat vera demonſtratio: quæ cum hobbeſiana hypotheſi ſtatus naturalis belli omnium in omnes conciliari poſſit: cujus vis abſoluta & neceſſitas humanæ rationi inacceſſa & inexplicabilis diceretur: quæ felicitatem homini propoſitam, & conditionem futuri ac ſempiterni ſtatus, quæ metum divini judicis excluderet, & obtentu moralitatis puræ pro graviſſimis æternisque veritatibus phantaſticam cogitationem dignitatis humanæ, & legislatoriæ auctoritatis ſubſtitueret. Hoc, inquam, deerat diſciplinæ morum: ut novis nominibus, & definitionibus vocabulorum, & interminatis diſſerendi anfractibus & circuitionibus implicarentur, quæ explicanda erant, confunderentur, quæ diſtinguenda, obſcurarentur, quæ illuſtranda, dictatorie & pro arbitrio ſumerentur, quæ argumentis fuerant confirmanda. Hoc ſcilicet deerat diſciplinæ morum, ut maxima legentium & tractationis ipſius perturbatione, implicationeque confunderentur inter ſeſe principia cognitionis legum & naturæ vel eſſentiæ earundem, (§. 12. 59.) judicia rationis, & voluntatis actus, (§. 72.) actus certi deli-

deliberatique & infirmæ motiones feu inclinationes voluntatis, (§. 65.) præcepta naturæ & honeftatis confilia, (§. 4. 34.) multiplex variumque neceffitatis genus quod disquiri de lege morali debet, (§. 11. 66.) libertas a neceffitate & libertas a coactione (§. 85.) lex fubjectiva & objectiva. (§. 13. 42.) Quis enim, cum legerit omnia, & volverit, quæ de conftituendis moralium principiorum fundamentis tractaturum fe pollicitus eft Kantius, exantlato difficili labore non fpe delufum fe queratur, & jacturam temporis deploret, quod tenebricofo legendo libro, explicandisque recentibus nodis, menteque fcriptoris ex vocum novarum farragine extricanda infumfit, perdiditque?

§. 100. Eft tamen, quod eam jacturam compenfet, non leve commodum, quale erroris inveftigandi, coarguendique labor folet afferre, ut deprehenfa aliarum opinionum falfitate mirifice in rectis, juftisque fententiis confirmemur, & veritatis lucem ex objectis tenebris effulgentem multo ac antea clarius intueamur. Ipfa Kantii inconftantia, qua, cum de lege morali agit, *principii* vocem fumit, illud in primis nos docet, maximi momenti effe diftinguere adcurate tria hæc, *primo* quale fit principium, ex quo cognofcatur lex, & ratione eruatur: *fecundo* quale fit legis principium velut internum, quod eandem conftituat, ejus vim, naturam, fummam auctoritatem efficiat, ut oppofitis rationibus omnibus, cupiditatibus, timoribus præferri debeat, nifi extreme defipere velit homo, fefeque implicare maximis calamitatibus, & privare fummis bonis: *tertio* denique quæ & qualis actio-

actionis propositæ ratio movens præ aliis arripiatur, respiciaturque ab agente. Tria hæc, cum inter se maxime differant, differentibus etiam nominibus sunt segreganda, ut primum vocetur *principium cognitionis*, alterum *principium essentiæ legum*, tertium *objectum formale, seu motivum* actionis. Sane ambigi sæpenumero, ac disputari solet, non utrum observanda sit lex; hæc enim ipsa dubitatio, ut Tullius inquit, jam turpis & flagitiosa est, sed utrum existat omnino, quemadmodum contingit, cum de æquitate quorundam contractuum, de falsiloquio, de duello, de occisione sui disputatur. Dein cognita lege non raro ingens appetituum conflictus oritur; ac tum maxime vis, & efficacitas, atque auctoritas, seu ut Kantius ait, categoricum imperium, & absoluta obtemperandi necessitas exquiri, & præ oculis haberi debet. Atque hanc ipsam vim categoricam & absolutam necessitatem legis, ut sejuncta voluntate Dei & reverentia supremi legislatoris ex sola natura humanæ mentis, ex fine & dignitate naturarum intelligentium, ex facultate rationis, ex voluntate atque adeo libertate derivare, explicareque posset, omnes ingenii vires intendit Kantius, omnes metaphysicarum speculationum latebras excussit, omnesque demonstrationis inveniendæ vias tentavit. Sed operam perdidit adeo, ut fateri ipse coactus fuerit, illam legis necessitatem & vim absolutam ab humana ratione perspici & comprehendi minime posse. Verba ipsius adnotavi supra ad §. 97. Quid ergo supererat Kantio in hisce angustiis & sola comprehensa legis incomprehensibilitate *), si ita loqui fas est, nisi ut, si constare

re sibi, suæque philosophandi rationi vellet, eandem exploderet penitus, & necessario observandam negaret, quemadmodum de mysteriis divinæ fidei id facere ausus est ea sola de causa, quod comprehendi ab humana mente non possent, proinde talia essent, per qua nihilo melior efficeretur homo, sive fidem iisdem adhibeat, sive abjudicet **) Sed cum divinam religionem ad naturalem, pureque moralem jam detrusisset Kantius, noluit etiam hanc aperte tollere. De hac autem legis vi & necessitate mox subjiciam animadversiones quasdam; nunc illud dicendum, præter quæstiones binas de existentia, ac de vi seu natura legis, aliam esse diversam, qua de causa movente actionis, seu ejusdem objecto formali inquiritur; quod aliud atque aliud esse potest, modo cum natura intelligente, & ratione congruat, quemadmodum §. 42. expositum a me fuit.

*) Grundl. Seite 128. Wir begreifen zwar nicht die practische unbedingte Nothwendigkeit des moralischen Imperativs; wir begreifen aber doch seine Unbegreiflichkeit.

**) In der Abhandlung von der Religion innerhalb der Gräntzen der blofsen Vernunft. Seite 107. Man müfste denn annehmen wollen, dafs das blofse Glauben und Nachfagen unbegreiflicher Dinge (was ein jeder kann, ohne darum ein befserer Mensch zu seyn, oder jemals dadurch zu werden) eine Art, und gar die einzige sey, Gott wohl zu gefallen.

§. 101. Ut datam paulo ante fidem ante operis conclusionem liberem, de vi & necessitate absoluta legis moralis, de qua princeps, maximique

que momenti disputatio est, recolat, quæso lector, quæ §. 59. & 60, ac deinde §. 70. de voluntate Dei conditoris ac gubernatoris omnium commemoravi, quæ una principium internum legis efficit, ejusque vim categoricam & necessitatem absolutam ac velut insuperabilem continet; quippe quæ nulla majore gravioreque ratione cujuscunque caduci boni aut mali, aut cumuli bonorum vel malorum omnium præponderari aut superari potest. Est ea vim ac necessitatem legis, ac respondentis obligationis vinculum explicandi causa, ratioque certo *vera*, seu kantiana phrasi *realis* & *objectiva*, quam sua cuique conscientia, intimaque experientia, quam sceleratis ipsæ animi perturbationes ac furiæ invitis manifestant: est eadem *unice sufficiens* voluntati humanæ ad legem ita adstringendæ, ut nisi extreme desipere velit, inde abduci se nulla boni malive specie patiatur. Illud asseveranter dico, & contendo, hanc argumentandi formam unam esse; quæ cum genuinis philosophandi legibus congruat, & per omnem philosophiam, quæ nomen suum sustinet, quodammodo dominatur. Nec usitatæ grammaticorum locutiones perturbare animum philosophorum debent, qui notiones, & vim ac naturam rerum secernere a vocibus didicerunt. Dicimus sæpe: *ratio dictat, præcipit, vetat*: *natura ipsa rationalis hanc legem præscribit*; quæque sunt aliæ formulæ istius generis. At enim totum, quod rationis & naturæ rationalis proprium est, in judiciis de honestate, vel turpitudine actionis, & necessitate (morali) agendi quidpiam aut omittendi consistit: rationis est, investigare, eruere, repræsentare legem, non

constituere & sancire eandem. Veteres scholastici recte statuerunt, legem esse in ratione *radicaliter*, in voluntate *formaliter*. Ratio enim prælucet voluntati legislatoris, quidque expediat sanciri, aut oporteat, præmonstrat. Legem ipsam ferre, & præcipere, vetare, concedere, voluntatis proprium est, non ejus, qui legi subjacet, sed ejus, qui præest. Si ratio humana, legem seu voluntatem supremi conditoris exhibens, voluntatem impellit, movet, incitat, trahit quodammodo ad honestum, & a turpi retrahit; istiusmodi motiones non ipsa sunt lex, neque deliberati voluntatis actus, perinde uti concupiscentiæ prævenientis motus neque lex sunt proprie, neque deliberati voluntatis actus. Hæc perinde certa sunt, atque extra dubitationem posita, quam perspicua instar meridianæ lucis: neque kantiana verborum, & operationum mentis confusione obscurari aut convelli unquam potuerunt. Quid enim hisce opponet Kantius, aut Kantii sectator & pedissequus? Si vim categoricam, & absolutam necessitatem suorum imperativorum ex natura & facultatibus creatæ mentis exsulpere nequeunt; cur a voluntate creatoris abhorrent, ad quam ipsa eos conscientia deducit? cur ipsi sibi, & sensis intimis refragantur? Dicam id quidem, & Kantii verbis dicam, nequid intactum omnino, quod ponderis cujusdam sit, relinquatur, aut ne ulla eidem evadendi via supersit.

§. 102. Cum igitur in fine operis, quod de fundanda Metaphysica morum inscripsit, fassus esset Kantius, nulla ratione comprehendere se posse vim categoricam, & absolutam necessitatem legem

gum moralium, ſine qua officii nomen inane & chimæricum nuncuparat, hæc verba ſubnectit: id rationi humanæ non debere vitio dari; neque etiam reprehendi eam poſſe, ſi vim illam & neceſſitatem explicare nolit per aſſumtam conditionem quandam, ſeu rationem moventem, quæ ad commodum quoddam humanum aut incommodum legi ſervatæ, aut violatæ annexum pertineret. Tali enim aſſumta conditione non jam haberetur lex moralis, ſeu lex ſuprema libertatis. *) Quaſi diceret: ſi vis categorica & abſoluta neceſſitas legis derivatur ex voluntate Dei, ſupremi gubernatoris ac judicis, tum lex illa non abſoluta & neceſſaria eſt, ſed conditionem habet hanc: *ſi conſequi velis ea, quæ ſervantibus legem promiſſa unt præmia, & evitare ſupplicia, quæ ſpernentibus legem ſunt intentata.* Hæc ſine dubio Kantii mens eſt, quam ipſe more ſuo obſcuris verbis & generalibus involvit.

*) Seite 128. Es iſt kein Tadel für unſere Deduction des oberſten Princips der Moralität, ſondern ein Vorwurf, den man der menſchlichen Vernunft überhaupt machen müſste, daſs ſie ein unbedingtes practiſches Geſetz (dergleichen der categoriſche Imperativ ſeyn muſs) ſeiner abſoluten Nothwendigkeit nach nicht begreiflich machen kann; denn daſs ſie dieſes nicht durch Bedingung, nämlich vermittelſt irgend eines zum Grund gelegten Intereſſe, thun will, kann ihr nicht verdacht werden; weil es alsdenn kein moraliſches d.i. oberſtes Geſetz der Freyheit ſeyn würde.

§. 103. Sed tam falſa hæc ſunt, & a ratione abhorrentia, quam e contrario vera, perſpicuaque, atque extra dubitationem poſita, quæ con-

cise paucisque verbis subnectam, genuinæ doctrinæ capita.

Primo. Divinum jus imperandi creatis mentibus, legesque immutabiles præscribendi omnino absolutum est, & absolutis Dei perfectionibus nixum: eidem absoluta respondet subjectionis necessitas & obsequendi obligatio.

Secundo. Nulla alia assumta hypothesi, præterquam creationis rerum liberrime a Deo decretæ, debuit Deus vi sapientiæ & bonitatis rebus creatis præstituere leges, naturæ earundem adcommodatas, & finibus a se præfixis consentaneas.

Tertio. Si Deus vi bonitatis & justitiæ subjectis sibi & obtemperantibus creatis mentibus adpromisit præmia: si contumacibus atque impiis intentavit supplicia, ob eam causam minime cessat, aut tollitur absolutum imperandi jus ex parte Dei, & absoluta obsequendi necessitas seu obligatio ex parte creatarum mentium.

Quarto. Ex hypothesi creatarum mentium, innatæque, atque a conditore quodammodo impressæ ac necessariæ propensionis, qua eædem ad beatitatem feruntur naturæ suæ adcommodatam, absolute exigit divina bonitas, ut eidem propensioni satisfieri aliquando possit: in eadem unica hypothesi poscit divina providentia, ut concessa libertate, ac præfixo beatitatis fine proponantur homini, qui ratione se regit, istiusmodi rationis argumenta seu motiva, quibus ab illecebris vitiorum absterreri, atque ad virtutem quantumvis arduam, satis permoveri possit: in eadem denique hypothesi

creatarum mentium, ſtatusque earum a divina providentia conſtituti poſcit divina juſtitia ac bonitas, ut probos ſua præmia beatitatis maneant in vita altera, improbos juſta ſupplicia.

Quinto. Non eſt in arbitrio (morali) hominis, ſeu libera (moraliter) optione poſitum, utrumne ſpreta beatitate, æternæ ſeſe miſeriæ ſtolidiſſima cæcitate ac temeritate velit objicere.

Sexto. Jam ſupra ex certiſſimis rationis ac juris principiis animadverſum eſt, conditionem, quæ intrinſeca & neceſſaria eſt, non efficere actum quempiam ſeu rationis ſeu voluntatis conditionatum, ſed ea non obſtante actum cenſeri abſolutum; ſecus nihil omnino, quod abſolutum eſſet, concipi animo aut verbis poſſet, quia ſemper conditio, quæ in re ipſa inhæret, poſſet adjungi. Iſtiusmodi interna ac neceſſaria conditio ea eſt, quæ legi morali adhæret in præſenti mentium creatarum hypotheſi: *Si conſequi velis ea, quæ ſervantibus legem promiſſa ſunt præmia, & evitare ſupplicia, quæ ſpernentibus legem ſunt intentata.* Atque ex his Kantiani aſſerti falſitatem omninó manifeſtam eſſe arbitror.

§. 104. Sed hæc quidem, quæ de voluntate Dei, ejusque implendæ neceſſitate ſolent diſſeri, hominibus Kantio mancipatis neque ex ratione pura eſſe depromta, neque ſolius moralitatis propria videntur; quaſi nihil ſatis proprium diſciplinæ moralis eſſet, quod non æque perditiſſima atque inſana atheorum fex, ac homines ſani, verique numinis cultores approbare poſſent. Quid

 enim

enim morale censent, nisi ex ipsa intima hominis natura petitum? aut a natura hominis alienum dicent, *sequi Deum*, quod e numero septem sapientum quidam protulit cum admiratione atque approbatione hominum ejus tum ætatis, etsi in tenebris superstitionis contabescerent? Nonne rationi puræ adscribent, siquis actionum humanarum normam, divinam esse voluntatem doceat? aut forte nobilius quoddam, purius, præstantius esse incitamentum dicent, si homo ex phantastica kantianæ autonomiæ opinione suam ipsius voluntatem ac legem sequi se jactitet? legem nempe hominis cæci, mille perturbationibus, erroribus, vitiis obnoxii, cum e contrario voluntas Dei ipsa per se sancta sit, justa, sapientissima, optima, summe adoranda? Non uno loco docet Kantius, istiusmodi legem esse moralem debere, quæ non solius hominis propria censeatur, sed in omnes cadat mentes creatas, ac naturas rationis participes. At quæ est alia lex cælestium geniorum, quis alius eorum proprius velut character, nisi *facere voluntatem ejus*, cui laus, potestas & gloria in omnia secula. Amen.

IN-

INDEX
R E R U M.

Numerus paginam denotat.

A.

Actus naturalis, actus hominis, actus humanus recte diſtinguuntur. Pag. 16.

Autonomia ficta Kantii. 125. ſeq. 148.

B.

Bonum ſummum quale ſit? 36.

D.

Dei timor an obſit virtuti. 108.

Dignitas mentis in qua re conſiſtat. 145.

F.

Felicitas an conſecutio tantum, non finis ſit virtutis? 40. Felicitatis principium rejicitur

a

a Kantio. 78. Quid de illa doceat. ibid. Illud principium an mere empiricum? 81. Felicitatis notio an vaga? 83. Felicitatem neceſſario omnes appetunt. 92.

Finium regnum a Kantio confictum. 133. Homo quatenus inſtar finis ſpectari poſſit? ib.

I.

Intereſſe morale Kantianum. 57.

K.

Kantii inconſtantia in notione principii morum. 19. & principio objectivo, ac ſubjectivo ſive in lege moralitatis & regula. 20. 67.

Kantius apathiam Stoicam poſcit. 27. cum Stoicis ſentit agens de ſummo bono. 37.

Kantiana & Chriſtiana virtus inter ſe comparantur. 44.

Kantius virtuti fulcra ſubtrahit. 41. Rejicit aliorum principia de cognoſcenda lege rationis, quæ tamen ipſe revera adoptat. 65.

Principia cognoſcendæ legis alia empirica vocat alia rationalia. 77. Con-

fulere

ſulere felicitati ſuæ eſſe officii indirecti ait. 85. Hominem per rationem abduci a felicitate docet. 88. Impie de Deo differit. 95. Opinionem impiam Hobbeſii de bello omnium in omnes probat. 142. Multitudine & novitate vocum res perſpicuas obſcurat, & confundit. 151. Arbitrium brutum & liberum abſurde dividit. 153. De Scepticiſmo & Indifferentiſmo morali ſuſpectum ſe reddit. 168. ſeq.

L.

Lex moralis. Vide V. moral.

Libertas practica, & metaphyſica 153. Libertatis notio Kantiana nimis anguſta & manca. 167. Libertatis notio quomodo oriatur. 164.

M.

Mendacii notio factitia & complexa. 75.

Metaphyſica morum pura quæ ſit? 1. 2. Criſis de hac nova parte diſciplinæ moralis. 168.

Morales ideæ quatenus a priori proveniant. 71.

Moralis legis proprietates ex mente Kantii. 8. An ſit communis omnium naturarum rationalium? 9. 69. An abſoluta? 7. Quomodo neceſſaria? 97. Ejus obligatio ſeu principium eſſendi. 104. Principium cognoſcendi. 109.

Moralitas actus an ſola lege proprie dicta nitatur? 5. 51.

Mundus intelligibilis quis ſit? 146.

N.

Neceſſitas multiplex in lege morali diſtinguenda. 15. Unde proveniat? 97. 117. Neceſſitas rerum an comprehendi poſſit? 11. Neceſſitatis notio. 76.

O.

Obligatio legis moralis. 104.

Obſervantia erga legem. 55.

Officii notio. 50. Diviſio. 59.

P.

Principii moralis vaga notio. 19. quæ omnino figenda eſt. 174. Principium Kantianum cognoſcendæ legis. 60. Principium felicitatis. 81. Cur rejiciatur a Kantio? 99. Principium theo-

theologicum. 95. Principium Kantianum finium. 133.

R.

Ratio cur data hominibus? 85. 88. Ratio theoretica est fundamentum practicæ. 119.

S.

Scientia hominum quanta sit? 12.

Sensus moralis, seu observantia erga legem. 52.

Stoicorum opinio de summo bono. 37. De virtute & beatitate. 86.

V.

Voluntas bona quæ sit Kantio? 23. 33. Ejus exempla disquiruntur. 26. seq.

Voluntas hominis an legislatrix? 129.

Errata.

Pagina.	*Linea.*	*Menda.*	*Lege.*
9	10 retro	inde ut humanam	perinde ut humanam.
65	1	desidi-	desidia.
69	13	incurren-	incurrent.
93	15	noveamur,	moveamur?
146	17	ergo	ego
168	8 retro	hinc qua	sine qua
176	6	categorium	categoricum.
		per qua.	per quæ.